Digitized by Google

6 M
41-h
20

M. 6/6

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
28 B
6

Ex Bibliotheca
Maiori Coll. Rom.
Societ. Jesu

23-6-16

23
6

6-41-h-20

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO.EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

OPUS EPISTOLICUM,

Exhibens

JOANNIS CASELII EPISTOLAS AD PRINCIPES,

NOBILES, VIROS CELEBRES, PROPINQUOS, CIVES AC FAMILIARES,

In Fuchtiana & Vagetiana Editionibus non comparentes;

Ex ipsius Autoris Adversariis & Manuscriptis maximam partem adornatum,

ET

IN XVI. LIBROS DESCRIPTUM;

ACCURANTE

JUSTO à DRANSFELD.

Præmissa est

HERM. CONRINGI, EPISTOLA DE SCRIPTIS CASELIANIS,

& annexa

LUCUBRATIUNCULA

De artificio, & inprimis Charactere epistolico ex Autoris Phalereo deprompta.

FRANCOFURTI,

Sumptibus BARTHOLDI FUHRMANNI.

Bibliopolæ Osterodani. ANNO 1687.

Bibl: Secr. Coll: Rom: Soc: Jesu

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

HERMANNUS CONRINGIUS

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VIRO

CLARISSIMO

JUSTO A DRANSFELD,
Illustris Pædagogii Göttingensis bene merito Rectori

S. P. D.

CUm ante hosce duodecim annos, *Clarissime Dransfeldi*, Centuriam Carminum Græcorum & Latinorum, Summi Viri Joannis Caselii publicares, simulque non reliquorum duntaxat Poëmatum, sed omnium omninò illius, nunquam satis laudati Senis scriptorum, Politicorum, Oratoriorum, Philologicorum, Apologeticorum, ac Epistolicorum,

editionem promitteres; & pietatem tuam in civem ac gentilem incomparabilem, & ſtudium boni publici juvandi paſſim apud bonos quosque prædicavi, Et verò eæ ſunt eximiæ virtutes Caſelianorum omnium, ut mereantur nunc quoque eſſe in manibus illorum, quibus virtus ſincera, cum ſermone Græco pariter ac Latino, quavis Ambroſia dulciore, conjuncta, eſt in juſto pretio: quorum licet numerus hodiè per ſit exiguus. Quid hactenus moretur reliquorum carminum editionem, me fugit quidem: non dubito tamen, eundem, qui fuit pridem, tibi animum eſſe, iſthac etiam parte benè de publico merendi. Quamvis enim jam tum anno ſeculi hujus viceſimo quarto Henricus Heidmannus, editis Carminibus Gnomicis Græcis & Latinis partem hujus beneficii quaſi occupaverit, & τῆς Εὐχῆς Κυριακῆς ipſemet optimus ſenex jam anno decimo integrum libellum nobis dederit: haud pauca tamen extra illas collectiones huc illuc vagari, æquè mellei & probi ſaporis, minimè omnium te fugit; ac proinde publica & horum editio tuam cumprimis operam unicè deſiderat. Inter omnia autem Caſelii videntur Epiſtolica hactenus fuiſſe feliciſſima. Namq;

Fuch-

Fuchtius noſtras jam tum anno nono decimo volumen integrum Epiſtolarum ad Principes, & quarto pòſt anno alterum ad Viros Nobiles collegit, primo poſt quadrageſimum Henricus Vagetius, doctrina itidem præſtans apud Hamburgenſes doctor, tertium volumen Roſtochii quondam exaratarum vulgavit, quarum nonnullæ quidem jam ante editæ, pleræque tamen tunc demum in publicam lucem pervenêre. Idem Vagetius ſpem quidem fecerat publicandi & Epiſtolas in Julia hac Academia conſcriptas, verùm illa decollavit. Etiam iſti tamen Epiſtolarum libri mirificè placuerunt doctiſſimis quibusque. Et verò liquet ex Epiſtola 132. operis Grotiani literarum ad Gallos miſſarum, inſtructiſſima Bibliotheca pariter, & varia eruditione pietateque celeberrimum Canonicum Joannem Cordeſium libros illos Caſelianos petiiſſe ſibi per Grotium Hamburgo Lutetiam deferri. Hunc autem misſis illis quæ dixi voluminibus, epiſtolâ poſt centeſimam ſextâ quadrageſimâ in hæc verba ad omnem poſteritatem digniſſima memoratu prorupiſſe: *Vtinam poſſim & Caſelii Epiſtolas ad Doctos mittere: Sed nondum prodiere, quanquam promiſſæ. Certè hîc*

non comparent. Misi sciscitatum in mercatu Francofurtensi, qui per hos bellorum æstus miserè friget. Caselium à te, quantum meretur fieri, gaudeo. Valuit judicio, nitore dictionis, & quod præcipuum, infucatæ virtutis studio. Sanè laus isthæc usque adeò propria est Epistolis Caselianis, ut hactenus illæ sint *sine exemplo*. Quamvis nempe in aliorum quorundam Epistolis plus sit ex Historia, aut ex subtiliore Philosophia, aut ex sacris Controversiis, aut ex Philologia, variisque aliis artibus, depromptum; hæ tamen in solo prope incitamento ad virtutis & literarum studia sunt occupatæ: quibus parænetici generis similes alias nullas facilè reperire fuerit. Ut taceam nunc stili incomparabilem itidem puritatem, suavitatem, atque veluti matronalem elegantiam. Ea propter me plurimùm exhilaraverunt nuperæ literæ tuæ, significantes, moliri te novam editionem integri Epistolici corporis, imò propediem illud visurum lucem. Nec verò dubito, compage isthac comprehendenda, non Fuchtianam tantùm utramque & Vagetianam σύνοψιν, ut & Caselii nostri ac Petri Victorii τὰ ἀμοιβαῖα pridem typis Francofurti excusa, sed illas etiam literas, quarum

situ-

titulos recensuit Henricus Ernstius, imò multas quoque alias, quia earum haud dubiè insignes supersunt copiæ. Meritò autem iis adjungi debent, quas in singulares classes sive Præfationum, sive officiosarum Gratulationum, sive & Apologeticarum Epistolarum, idem digessit Ernstius: quoniam & illa omnia reapse nihil nisi Epistolæ sunt, in illamque communem classem τῦ πάνυ Erasmi Roterodami similia omnia sunt redactæ: quantumvis Aristotelem ferant noluisse talia fieri ἐπιστολικά. Certe dignæ sunt, quæ itidem conjunctim in conspectum redeant eruditi orbis, idque cùm propter dictionis Latinitatem verè Romanam, tùm quia & ipsæ spirant Rhetoricam illam philosophicam, non alteram adulatricem aut furibundam, quam sanctissimo etiam Gregorio Nazianzeno fuisse familiarem, in historia vitæ illius refertur, vitiorum scilicet blandam expurgatricem. Dum hoc autem agis, non possum non te denuò laudare, *Optime Dransfeldi*, imò gratias habeo tibi maximas, etiam hujus nostræ Academiæ Juliæ nomine; utpote cujus intersit, memoriam Caselii semper hîc sanctam observari, tanquam Jovis Statoris veræ Philoso-

losophiæ ac bonarum literarum, nec non ad Civilis doctrinæ & primitivæ aureæ Ecclesiæ Scriptorum lectionem principis manuductoris. Utinam verò liceat tibi pergere in isthoc stadio! quò possis stare promissis, & Caseliana reliqua omnia in publicam lucem rursus producere. Non sanè qua re alia orbem tibi rectiùs demereberis. Ego opto Tibi ad sanctum illud propositum exequendum quævis idonea adminicula: cumprimis valetudinem & longam & prosperam.

Helmstadii XIII. Julii
clↄ Iↄc LXXX.

J. H.

Digitized by Google

J. H. BOECLERUS,
In D. de fatis literariis nostri temporis, & in Notis in Vellejum.

PEne nominatim prodidissem tum alia, tum illud insolentiæ peregrinæ invidiæque gentilis insigne specimen, cum in editis alibi magni Viri epistolis, quas & ipse ad alios, & alii ad ipsum scripserant, ex CASELIANIS pluribus ne una quidem luci reddita est, cujus rei causam non aliam fuisse, quam quod doctissimi Viri patria & gens haud placuit, non conjicimus, sed compertum habemus: Scilicet urebant ambitiosos spiritus luculenta illa dona, quæ Deus Opt. Max. non longâ tantum manu Germaniæ obtulit, sed munificâ cumulavit.

LECTORI S.

CVm decorum homini meritò existimetur, homini oratione opitulari, eique officia præstare; proprium enim hoc illi: decorum item putatur eidem, stylo seu per epistolam aliis ferre opem, eosdemque ita officiis sibi devincire. Est enim epistola, sive severa sit, sive familiaris, id, quo certiores facimus absentes, si quid eos scire aut nostrâ aut ipsorum caussâ intersit, atque adeò pulchrum quoddam officii instrumentum doctrinæque ac prudentiæ non leve argumentum. Quia vero singulari in laude versantur epistolæ graves, suaves & curâ quadam adornatæ comptæque, nec tantùm verborum, sed etiam rerum ac sententiarum flosculis conspersæ, exquisitâ laude & mirificâ commendatione dignæ videntur, quas texuit JOANNES CASELIUS, vir summo quondam Historico & Poëta Henrico Meibomio judice, quem *in interioribus maximè literis ac vitæ sanctimonia* pauci æquarunt, superavit nemo. *Si enim cujus, certè hujus epistolæ, nativa & al-*

& alliciente ſtyli gratiâ, atque accuratâ compoſitione enitent, variisque & iis aureis ſententiis non ſolùm è Platonis, Xenophontis, Plutarchi, Senecæ, aliorumq; exterorum ſcriptorum monumentis, ſed etiam è doctorum ac diſertorum Patrum, inprimis Græcorum ſacrario prolatis effulgent. Si quis, hic profecto in epiſtolis ſuis τὸ ἐπιστολικὸν *pariter atque, quod epiſtolæ maxime convenit,* τὸ ἠθικὸν καὶ φιλικὸν *cum eximia quadam venuſtate obſervat. Si quis, inquam, rationem habuit decori epiſtolici, quale ſummus Theologus Gregorius Nazianzenus in epiſtola quadam ad Nicobulum tractat, quale item Demetrius Phalereus requirit, conſiſtens* ἐν τοῖς ἠθικοῖς καὶ πράγμασιν, ἐν τῇ φιλοφρονήσει, ἐν τῷ χαρακτῆρι χαρίεντι καὶ ἰσχνῷ *h. e.* in moralibus & rebus epiſtolarum propriis, in comitate, in duobus characteribus, Urbano & Exili belle mixtis, *hic, niſi quid me fallit, illius religioſe rationem habuit. Quid de hisce exiſtimarint, politæ eruditionis laude cumulatiſſimi quique viri, & in his Victorius, Scaliger, Manutius, Muretus, Caſaubonus, Grotius, alii, in promptu eſt. Nonnullis quidem, inprimis Gôtzio ab Olenhuſen, Heidmanno, Ernſtio & aliis propoſitum fuit beati Viri epiſtolas colligere, & collectas in unum quaſi corpus cogere, ſed laudabile horum*

rum propositum invida fata prohibuerunt ac represserunt. Ioannes à Fucht edidit C. ad Principes, & LXXIV. illius epistolas ad Nobiles scriptas: Henricus Vagetius XXCIIX. Rostochio missas. Cum verò quidam præstanti doctrinâ conspicui viri me Caselianis quibusdam archetypis & scriptis ἀνεκδότοις instructum esse viderent, me ad divulganda illa, præcipuè epistolica, aliquoties incitarunt. Horum autoritas tandem apud me ita valuit, ut hasce epistolas in præsentia in lucem emittam, magnam partem blattis ereptas, atque ita, ut vides, corpus quoddam epistolicum Caselianum appareat. Quod si institutum nostrum te boni consulere cognovero, epistolas quoque antehac partim ab ipso Autore, partim ab ante laudatis à me viris pervulgatas, in unum opus digeram, additurus quandam copiam epistolarum ad Viros Doctos scriptarum. Cæterum quisquis non despiciens es φιλαρχαιβείας & Socratico ore defluentis doctrinæ Caselianæ, quâ in Gymnasiis olim vigente, Ecclesia & Respublicæ excelsè floruerunt, hasce epistolas lectitare non gravaberis. Invenies in hisce, sive imperes sive pareas, sive doceas, sive discas, quod tuâ interesse videatur. A lectione illarum recedes, crede mihi, nunc probior, nunc elegantior. Comparato autem jam linguæ Latinæ usu

prom-

prompto atque expedito è Ciceronis epiſtolis, (nam harum norma Latinæ Linguæ ſtudium dirigendum, atq; adeo hæ de manibus non temerè deponendæ: è re juventutis demum fore puto, ſi ad lectionem excultiſſimarum, ut Sadoleti, Bembi, Mureti, utriusque Scaligeri, inprimis autem noſtri Caſelii ſe conferat, easque periti doctoris arbitrio de ſuis facultatibus vernaculâ reddere, & quæ ad literas & virtutem facere videantur, inde excerpere, imo etiam ſecundum præceptiones Ariſtotelis Rhetoricas, & ea quidem ratione, qua b. m. Excellentiſſimus Schraderus, in arte dicendi quondam incomparabilis, ac noſter aliquot annos perfidelis Magiſter, Diſpoſitiones epiſtolicas inſtituit, reſolvere periclitetur. Operi huic epiſtolico ſubjungere lubuit aureolam Autoris Lucubratiunculam de Charactere Epiſtolico, quæ tibi ſubminiſtrabit præcepta pulcherrima minimeque vulgaria, quæ ab ipſo illo in epiſtolis ubique uſu expreſſa ipſe obſervabis. Hac ratione tuis ſtudiis mihi forte commodanti fave & vale. Dabam Göttingæ Kalendis Martii Anni CIↃ IↃC LXXXVII.

LIBRO-

LIBRORUM INDEX.

I. Ad Principes.
II. Ad Adamum Krausen in Borchfeld.
III. Ad Nobiles ab Hoim.
IV. Ad Nobiles à Bassevvitz.
V. Ad Petrum Victorium Nobilem Florentinum, & hujus ad Caselium.
VI. Ad Barones & Nobiles quosdam diversos.
VII. Ad Jagemannos.
IIX. Ad H. G. Ryhman.
IX. Ad Propinquos & cives.
X. Ad Viros celebres.
XI. Ad Andream Cludium.
XII. Ad L. Scheurlæum.
XIII. Ad J. Peparinum.
XIV. Ad Alb. Clampium.
XV. Ad Matthiam Overbecium, Belgam.
XVI. Ad R. Diepholdium.

Lucubratiuncula de Charactere epistolico.

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DOCUMENTUM PUBLICUM

De V. CL.

JOANNE CASELIO,

In Academia Piſana utriusque Juris Doctore legitimis modis ac ritibus renunciato.

IN DEI nomine Amen. Antonius de Prætis de Conſilice Canonicus Ravennatenſis J. U. D. & Protonotarius Apoſtolicus, Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi Domini, Domini ANGELI NICCOLINI, miſeratione divina tituli Sancti Calliſti Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyteri Cardinalis, Archiepiſcopi Piſani, Sardiniæ & Corſicæ Primatis, nec non *Piſani almi Gymnaſii Cancellarij Apoſtolica Cæſareaque auctoritate digniſſimi*, in ſpiritualibus ac temporalibus Vicarius generalis, ad omnia & ſingula ſpecialiter ab eodem conſtitutus & deputatus, univerſis & ſin-

gulis Christi fidelibus tam clericis quam laicis præsentes nostras inspecturis salutem in Domino sempiternam. A majoribus nostris rectè quidem ac sapienter institutum est, ut homines principio rudes, ac omnis artis scientiæque expertes, si (quod illorum proprium est) æterna immortaliaque investigare, perspicere ac cognoscere vellent, dignis præmiis, perpetuis laudibus summisque honoribus afficerentur: cum honos alat artes, cunctique incendantur ad studia gloria. Verum cum cognitio quælibet bona sit & honesta, illa tamen longè præclarior, sublimior, illustriorque censeri debet, quæ majori ornamento, commodo, honoriq; mortalibus esse potest. Hoc in numero Pontificii Cæsareique Juris habendam esse scientiam quis non judicabit? qua à DEO immortali præstantius, salubrius, utiliusque homini tributum fuit nihil. Hæc enim urbes condere, populos regere, societates tueri, aliena non appetere, ac sua cuique tribuere præmonstravit. Hæc una est, qua præditi verè sapientes, immortales, fortunatique meritò dici possunt. Hujus sectatores, ut cæterarum disciplinarum sunt utiliores, sic etiam majoribus sunt præmiis, laudibus & honoribus cumulandi. Ejus igitur præstantia motus Magnificus & Præstantissimus vir, Dominus JOANNES CASELIUS, Matthiæ filius, Gottingensis Brunsvigius: quem virtus ejus eximia

mia, suique probatissimi ac laudatissimi mores omnibus exhibent admirandum, colendum, &venerandum, cum omnibus liberalibus artibus superioribus proximè elapsis temporibus operam prius diligentissimè navasset, quæ hujus veluti præludia semper existimaverat, in hanc sanctissimam I. U. scientiam oculos tandem, mentem, animumque direxit, quam ut toto pectore amplecteretur, abstinuit Cerere & Baccho, sudavit & alsit, natale solum, amicos, parentesque reliquit, & in celeberrimis Lipsiaca, Rostochiana, Francofordiana ad Viadrum atque Bononiensi academiis tanta cura, studio, diligentia atque solertia per plures annos legibus insudavit, ut ad Cleanthis Aristophanisque lucernam vigilasse ab omnibus crederetur. Postremò doctissimorum virorum & excellentissimorum J. U. D. qui in hoc almo Pisano eadem profitentur jura gymnasio, fama excitus, ut suorum laborum optata condignaque præmia consequeretur, Pisas se contulit, horum auspicio tantum Deo dante profecit, ut in literaria arena pugnare acriter, jugulum petere, subtiliter, graviter, ornateque disputare ab omnibus judicaretur. Quamobrem Magnifici ac Excellentissimi J. U. D. illustris Dominus Petrus Calæfatus, Pisanus, Dominus Camillus Plautius, Fontanellatensis, Dominus Antonius Ciofius, Florentinus, & Dominus

nus Donatus Malegonnella, Florentinus, *Promotores sui, in eodem Pisano almo publicè legentes jura gymnasio, ipsum coram nobis legitimè præsentarunt, asseverantes hunc in Doctorum albo, jure adscribi, ac longo, arduo, tremebundoque examini in tanto doctissimorum virorum collegio meritò admitti posse.* Igitur à nobis puncta illi de more, hesterna die, hora vigesima prima assignata fuerunt infra scripta, videlicet *in jure Pontificio, c. Quoniam velina, XII. q 1. &c. Ecclesia sanctæ Mariæ, de constitut. In jure autem Cæsareo l. Quod quis sciens, ff. de cond. indeb. & l. Non est novum C. de eden.* quæ præsenti infrà scripta die, hora etiam supra scripta, veluti in Areopagitarum concilio, *coram nobis, & omnibus aliis Excellentissimis Pisani almi studii* supra scripti J. U. D. ut examini interessent hujusmodi, ex nostra parte vocatis, in infra scripto loco, & habitis, ita doctè legit, ita subtiliter declaravit, ita J. U. D. eorundem omnium argumenta (quæ ænigmata potius dixeris) contra se formata memoriter repetiit & apertè dissolvit, ita per duas horas cum maxima omnium admiratione omnia doctorum munia excoluit, *ut uno omnium placido ore, candido animo, parique consensu ipsorum, nemine penitus discrepante, dignissimus meritò fuerit existimatus, ut Pontificii Cæsareique Juris ornamentis, gradu, insignibusque feliciter honestaretur.* Nos igitur Antonius de

Præ-

Digitized by Google

Prætis supra scriptus de communi concordia, consilio, consensu & unanimi voluntate eorundem omnium Excellentissimorum J. U. D. Pisani almi gymnasii prælibati *legali debito ac sufficienti numero collegialiter congregatorum* eundem Magnificum Dominum JOANNEM CASELIUM super Cathedram constitutum in nostri & aliorum præsentia diligenter examinatum, simul & approbatum diximus, pronunciavimus & declaravimus sufficientissimum doctissimum & meritissimum ad habendum, consequendum, & obtinendum licentiam, publicum gradum, & solita doctoratus insignia J. U. facultatibus supra scriptis. Illiq; tunc auctoritate superius plenissimé demandata, qua in hac parte fungimur, uti meritissimo J. U. D. in eisdem legendi, docendi, consulendi, interpretandi, examinandi ac judicandi, cathedram magistralem ac Doctoralem ascendendi, illamque regendi, cæterosque doctoreos actus & magistrales Pisis & ubique locorum ac terrarum publicè exercendi plenam, liberam, ac commodam potestatem, licentiam, & facultatem cedimus, damus & concedimus, per has nostras ipsum Magnificum Dominum JOANNEM CASELIUM pronunciantes, affirmantes & declarantes J. U. Excellentissimum esse Doctorem. Receptis postremo per eum ab eodem Excellentissimo ac Illustri J. U. D. Domino *Petro Calæfato compromotore*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

suo supra scripto, ac aliorum suorum compromotorum nomine, ipsorum jurium & gradus *solitis Doctoratus insignibus*, libro scilicet clauso, mox aperto, birretoque vice laureæ ejus capiti imposito, ac inde annuli aurei subarratione, cum osculo pacis, paternalibus, magistralibusque benedictionibus, qui omnibus sic *publicè insignitus & coronatus*, felici coronetur in patria per viventem in secula. In quorum omnium & singulorum fidem robur ac testimonium præmissorum præsens hoc publicum instrumentum authenticum in se continens privilegium per Ser. Alexandrum Monticellum notarium nostrum & archiepiscopalis Pisanæ curiæ Cancellarium infra scriptum, rogari & subscribi jussimus, sigillique ejusdem Illustrissimi ac Reverendissimi Pisani Archiepiscopi appensione munitum. Datum Pisis in palatio Archiepiscopali in aula superiori coram & præsentibus ibidem Nobilibus ac Magnificis viris, Domino Joachimo Bassevicio Megapolensi, Domino Joanne Jacobo Hundt à Lauterbach in Kaltemberg Bavaro, Domino Joanne Hectore Schad de Mittelbibrach Bavaro, Domino Joanne Erasmo Flossero Norico, Domino Joanne Schaubero Oenipotano Tirolensi, Domino Joanne Gailingo Norico, Domino Nicolao Calæfato Pisano, Domino Damiano Lomellino Genuensi, & quam plurimis aliis testibus ad prædicta vocatis, habitis

bitis & rogatis, Dominicæ Incarnationis anno M. D. LXVI. Indictione Nona ſtilo Piſano atque Romano. Florentino verô 1565. & die XXVIII. menſis Januarii. Pontificatus ſanctisſimi Patris noſtri Pij divina providentia Papæ Quinti, anno primo, regnante Sereniſſimo Principe Maximiliano Secundo, Dei gratia Romanorum Imperatore, Dominante Illuſtrisſimo ac Excellentisſimo Principe noſtro Coſmo Medices Florentinorum atque Senenſium Duce ſecundo, ſummè felicisſimo & inclyto pacis moderatore.

Ego Alexander f. Cap. Sebaſt. de Monticellis cuivis & Notarius publicus, ad præſens Cancellar. Archiepiſcopi die prædictis rogatus teſtor. Laus DEO.

DIPLOMA CÆSAREUM *DE* J. CASELII NOBILITATE renovata & aucta.

MAXIMILIANUS SECUNDUS divinâ favente clementiâ electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dal-

Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, &c. Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthię, Carniolæ &c. Marchio Moraviæ, &c. Dux Lucenburgiæ, ac ſuperioris & inferioris Sileſiæ, Wirtenbergæ, & Teckæ, Princeps Sveviæ, Comes Habspurgi, Tirolis, Ferretis, Kiburgi, & Goritiæ, Landtgravius Alſatiæ, Marchio ſacri Romani Imperii. Burgovię, ac ſuperioris & inferioris Luſatiæ, Dominus Marchiæ, Sclavonicæ, Portus Namis & Salinarum &c. Honorabili docto fideli nobis dilecto JOANNI CASELIO J. U. Doctori gratiam noſtram Cæſaream & omne bonum. TAMETSI Imperatorum & Regum magnitudini maximè convenit, liberalitatis ac munificentiæ ſuæ munera in omnes conferre, exemplo DEI Optimi Maximi, â quo veluti â perenni quodam fonte, omnia bona fluunt, multò magis tamen decet, ut eam ipſam in optimos quosquè exerceant, quos ſcilicet ſumma virtus, doctrina, ac vitæ morumque probitas præ cæteris commendatiores efficere ſolent. Nam etſi

etſi ea virtutis vis eſt, ut ad tuendam ſuam dignitatem & exiſtimationem nullo exterius adminiculo magnopere indigeat, fit tamen ſanè, ut ſi quando ſummorum Imperatorum ac Regum publico decreto comprobatur, longè magis alliciat homines in ſui admirationem, eosque ad præclara queque ſtudia capeſſenda excitet & invitet. Quapropter cum ex fide digno teſtimonio compertum habeamus, te præfatum Doctorem JOANNEM CASELIUM non ſolum eximia utriusque Juris cognitione, ſed omni etiam literarum genere excellere, prouti eruditionis tuæ non vulgaria documenta dediſti, atq; inſuper eximia honeſtate ac vitæ integritate, multisque præclaris animi dotibus eſſe præditum, atque nos & Sacrum Romanum Imperium ſumma fide & obſervantia proſequi & colere, non potuimus equidem prætermittere, quin te aliquo luculento liberalis, & benigni animi noſtri teſtimonio condecoraremus, ita ut non modo tu ipſe condignum eruditione & virtute tua præmium accipias, verum etiam poſteri

tui hujuscemodi domesticæ laudis ornamento ad eadem laudatissima studia, magis magisque alliciantur. ITAQUE motu proprio, & ex certa nostra scientia, animoque benè deliberato, sano quoque accedente consilio, ac de potestatis nostræ Cæsareæ plenitudine te sçpe fatum Doctorem JOANNEM CASELIUM ac liberos, hæredes & posteros tuos utriusque sexus legitimo thoro natos & nascituros, in infinitum, ad nomen, ordinem, statum, cætum & dignitatem nostrorum & sacri Romani Imperii Nobilium Tornneariorum assumimus, attollimus, vosque omnes juxta qualitatem conditionis humanæ Nobiles ac tanquam de Nobili genere, domo & familia procreatos dicimus & nominamus, ac ab universis & singulis cujuscunque status, dignitatis, aut præeminentiæ fuerint, pro veris Nobilibus vos dici, nominari, haberi & reputari volumus: statuentes, ac præsenti edicto nostro Cæsareo expressè decernentes, quod tu Doctor JOANNES CASELI tuique legitimi liberi, hæredes ac descendentes antedicti

dicti ex nunc & deinceps, perpetuis futuris temporibus, ubique locorum & terrarum tam in judiciis quàm extra in rebus ſpiritualibus & temporalibus Eccleſiaſticis ac prophanis quibuscunque, etiamſi tales forent, de quibus hic ſpecialis mentio fieri deberet, nec non in in omnibus & ſingulis actibus illis honoribus, dignitatibus, officiis, viribus, libertatibus, privilegiis, præeminentiis, gratiis, prærogativis & indultis uti, frui, gaudere & potiri poſſitis & valeatis, quibus cęteri veri Nobiles tornearii de nobili genere & proſapia à quatuor Avis ſuis, paternis & maternis geniti & procreati utuntur, fruuntur & gaudent quomodolibet conſuetudine vel de jure. Ut autem perpetuum hujusce Nobilitatis tuæ teſtimonium extet, & nos eandem majore beneficio augeamus, memorata noſtra auctoritate Cæſarea, tibi antedicto Doctori JOANNI CASELIO ac liberis hæredibus & ſucceſſoribus tuis utriusque ſexus legitimo thoro natis & naſcituris, ac in infinitum ex te deſcendentibus atque deſcenſuris antiqua tua armo-

armorum insignia non solum confirmavimus, laudavimus, & approbavimus verum etiam auximus & completavimus, prouti tenore præsentium confirmamus, laudamus, approbamus, augemus, & locupletamus, & quatenus opus est, de novo concedimus ac elargimur, in hanc, quæ sequitur formam. Videlicet ut sit scutum crocei seu aurei coloris, in quo conspiciantur quinque cubi rubei, qui angulis sese contingentes per longitudinem & latitudinem Clypei ordine dispositi directæ crucis formam constituant ejus magnitudinis, ut extremi arborum anguli ad extremam etiam oram seu circumferentiam scuti ex omnibus quatuor lateribus pertingant. Scuto autem imposita sit galea clathrata & aperta, quàm vulgo tornieariam vocant; ornata fimbriis atque claviculis deauratis, & dependente à catenula aurea monili gemmam ex carbunculorum genere, rubinum, quem hodie nominant, continente, è cujus cono, qui sit redimitus serto ex fasciis rubeis & croceis, surgant in altum duæ alę aquilinæ seu vulturi-

næ

æ rubeæ, expansæ, quarum utra libet
er longitudinem sit intersecta & distin-
la tractu quodam croceo mediocris la-
itudinis, ternos cubos rubeos per lon-
itudinem dispositos angulisque sese ut
n Clypeo attingentes repræsentante,
ependentibus & molliter ex utroque
cuti latere defluentibus ac circumfusis
haleris sive laciniis crocei ac rubei co-
oris, prouti hæc manu pictoris in m e-
lio præsentis nostri diplomatis rectius
xpressa & ob oculos posita cernun-
ur. Volentes & expressè decer-
entes, quod tu præfate Doctor JO-
ANNES CASELI, tuique legitimi
iberi, heredes posteri & descenden-
es utriusque sexus in omnem poste-
itatem jam descripta Nobilitatis & ar-
morum insignia perpetuis deinceps
emporibus, domi militiæque, & ubi-
que gentium ac locorum gerere, eisque
in omnibus & singulis honestis & de-
centibus actibus, expeditionibus ac a-
liis in rebus omnibus Nobilium Tor-
neariorum & armigerorum more, tam
serio quàm joco in Torneamentis, ha-
stilibus ludis, Equestribus Pedestribus-
que

que certaminibus pugnis, cominus eminus uti, nec non eadem Scutis, banneriis, Vexillis, Tentoriis, Cenotaphiis, Sepulcris, parietibus, Oſtiis, Feneſtris, Lacunaribus, Taperis, Palutinaribus, Annulis ſignatoriis, Sigillis & quibuscunque denique rebus inſculpere, affigere, appingere, intexereque poſſitis & valeatis. APTIQVE ſitis & idonei ad ineundas & recipiendas omnes prærogativas, gratias, libertates, exemptiones, feuda, privilegia, Vacationes à muneribus & oneribus quibuscunque, realibus perſonalibus ſive mixtis, ad utendum quoque viribus & conſvetudinibus, quibus cæteri â nobis & ſacro Romano Imperio hujuscemodi ornamentis inſigniti & feudorum capaces atque participes utuntur, ac fruuntur, & ad quę admitũtur conſuetudine vel de jure omni impedimẽto & contradictione ceſſantibus. Quocirca mandamus etiam ac præcipimus ſeriò atq; firmiſſimè univerſis ac ſingulis Electoribus, Principibus, tam Eccleſiaſticis quàm Secularibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Ducibus, Marchionibus,

us, Comitibus, Baronibus, Militibus, Nobilibus, Clientibus, Capitaneis, Vicedominis, Advocatis, Prętectis, Procuratoribus, Officialibus, Quæstoribus, Civium Magistris, Judicibus, Consulibus, Regum Heroaldis & Caduceatoribus, ac deniq; omnibus nostris & Sacri Romaui Imperii Subditis & fidelibus dilectis, cujuscunq; status, gradus, ordinis aut conditionis extiterint, seu quacunque præfulgeant dignitate, ut te antefatum Doctorem JOANNEM CASELIUM tuosque antedictos legitimos utriusq; sexus liberos, hæredes ac posteros ex te in infinitum descendentes ac descensuros præscriptis Nobilitatis & Insignium per nos vobis clementer adauctorum & confirmatorũ privilegiis, imunitatibus, præeminentiis, libertatibus, ac juribus, quietè, liberè, pacificè, ac sine ulla prorsus molestia vel impedimento uti, frui, potiri & gaudere sinant ac permittant, deniq; ab aliis etiam idẽ fieri procurent, quatenus indignationẽ nostram gravissimam & pœnam quinquaginta marcharum auri puri evitare formidant, quarum unam partẽ Fisco seu Ærario nostro Im-

Imperiali, alteram verò dimidiam partem injuriam passorum usibus irremissibiliter applicandam decernimus harum testimonio literarum manu nostra subscriptarum & sigilli nostri Cæsarei appensione munitarum. Datum in Civitate nostra Vienna die *D*ecima Qvarta mensis *D*ecembris, Anno *D*omini Millesimo Quingentesimo Sexagesimo Septimo, Regnorum nostrorum Romani sexto, Hungariæ, Quinto, Bohemiæ verò *D*ecimo nono.

MAXIMILIANUS.

t
V. Zas.

Digitized by Google

DE VITA, OBITU, ATQVE OBITER HAC OCCASIONE DE ORIGINE V. CL. JOANNIS CASELII,

Programma Publicum & brevis narratio.

PRORECTOR JOANNES SIGFRIDUS, MEDICINÆ D. ET SENATUS ACADEMIÆ JULIÆ Studiosæ juventuti Salutem.

VIxit collega noster, ut antea semper, ita etiam nunc nobis omnibus venerandus senex, JOANNES CASELIUS: & exequias, Lectores, hodie ibimus: quas non tantùm huic academiæ, sed omnibus ubique doctis acerbissimas & luctuosissimas scimus futuras. Adeste, & frequentes ducite funus illius viri, cujus morti ipsam, cum Virtute & Gratiis, Erudi-

tionem illacrumasse credimus. Nemo est vestrum, qui aureum senem non sit admiratus: nemo, qui, si nostro arbitrio Deus opt. max. fata mortalium permisisset, sententiam rogatus, ex animo dicturus non fuerit, ne quidem hac tam grandi ætate eum mori par esse, qui, quod in se fuisset, tota vita bene merendo ipse sibi, quam poterat, æterternitatem invenisset & constituisset. Quam diu enim erit alicujus eruditionis apud posteros vel tenuis sensus, & quousque nomen suum Gratiæ intelligent, VIVET CASELIUS. Itaque quamquam fieri non potest, quin omnes nos valde afficiat atque percellat etiam hujus viri obitus, & nostrum vestrumque plurimorumque ubique gentium optimus quisque à se vix obtinebit, quin vel saltem lacrumis ei parentet: tamen neminem vestrum huc ad luctum vel lessum vocamus. Plorentur illi, quorum tota vita sibi ipsi fuit sepulcrum, quos fuisse quidem dicere possis, vixisse autem nequaquam. CASELIUS NOSTER VIXIT, id est, ea egit, quæ verè erant sapientiæ, cujus vivere proprium

prium est: ut videlicet & intelligeret, quæ facienda essent, & omnibus officiorum generibus, quæcunque ab homine in singulos universosque homines conferri possunt, unicuique ubivis locorum præsto esset. Ita enim statuebat, ad universos quidem mortales pertinere, inprimis tamen nostri ordinis quemlibet hoc agere debere, ut pro se unusquisque dispiceret, quæ maximè ad vitam humanam facerent, eamque perficerent. Hæc ille cum diligentissimè investigasset ipse, non patiebatur quemquam suorum in hac cura esse negligentem. Quod primum sicuti cum multis fortè habuit commune, qui & ipsi de summo bono solliciti fuerint, ita in altero paucissimos sectatores invenit. Nam & doceri ea voluit & vita exprimi, quæ quisque fieri debere comperisset. Rectius enim exemplis quam verbis institui homines putabat. Quare si quid faciendum esse moneret, suo exemplo præibat, si quid vitandum, nunquam in eo deprehendebatur, à quo alios arceret, ut ita magno quidem cum fructu à discipulis audiretur docens,

majorem tamen emolumento facientem ea illi ipsi viderent & mirarentur, quæ tanto exemplo sibi imitanda esse vel inviti cogerentur fateri. Non ferebat itaq; de officiis disputantes, quos videret primos ab iis, quæ docuissent, desciscere, & dolebat etiam, si quem de rebus ad religionem Christianã pertinentibus verba facientem audiret, cujus doctrinam statim vita & mores ipsius refutarent. Totus in rebus ipsis piè, honestè, atq; omnino rectè gerendis, & ad hæc omnia edocenda juventute, occupatus erat CASELIUS, ut verbis non crederet, neque quidquam serio agi putaret, si facta & omnis vita cum dictis & præceptis & jactationibus non convenirent. Hæc perpetua fuit optimi senis Philosophia: hæc ejus ad mortem usq; & pœnè in ipsa quoque morte meditatio & exercitatio. Hinc tantum illius tota vita alios juvandi studium, ut non, sicuti ille imperator, diem, sed horam se perdidisse crederet, si quæ fortè esset elapsa, in qua nihil beneficii aut officii expendisset. Atq; erat etiam in ipso morbo unica innocentissimi senis querela, quod nemini in lecto decum.

cumbens prodesse posset. Quis igitur miretur, eum tali animo placuisse Imperatoribus, Regibus, Principibus, & Nobilissimis viris, cum omnes, & summi ordinis, & alii quoq; inferiores, sed magni judicii homines, quibus ideò curæ esset Respubl., semper haberent, quod ab eo discerent. De scriptis enim ejus si dicere incipiamus, atq; ea commendare velimus, profectò vobis injuriam faciamus, in quorum manibus pleraq; esse scimus, tam eleganti doctrina tantaq; prudentia referta, ut summos homines adeoq; duces ipsos in mediis belli tumultibus ea oblectasse & tenuisse constet. Sed de CASELIO nostro pauca dicere non patitur ejus dignitas, multa autem brevi pagella non possumus.

Clarũ illi & pernobile genus fuit ab ipsis atavis, nobilissima videlicet Chesseliorũ in Geldria sive in Sicambris, ut veteribus nomina fuere, familia orto. Ei propinquas esse sive fuisse accepimus ejusdem ordinis plures alias, iis locis illo tempore, & partim etiam nunc florentes, Chrichobachiorum, Vambachiorum, Holtomoliorum, Althofiorum, Mervichiorum.

Arx adhuc prope ripam Mosæ fluvii in Colle sita nomen familiæ retinet, Chesselium dicta: quamquam, & veterum Romanorum exemplo ad latinam linguam accommodatius, & amissis avitis bonis & summorum virorum hortatu, CASELIus appellari maluit. Longa procul dubio fuit majorum ejus series, cum eum, quem nos primum ex monimentis hactenus deprehendere potuimus, ob res in bello & pace fortiter provideq; gestas, vocarint Gothardum Magnum, qui Sigismundo imperante, ex tribus suæ conditionis, nobilibus nimirum, uxoribus suscepit octodecim filios: quos & liberaliter educavit, ut plures in aulis Principum & in bellis floruerint, maximè Caroli Burgundionum Ducis ætate, ceteri ad sacerdotia similesq; rerum sacrarum functiones adhibiti fuerint. Inter hos fuit Volquinus à Chesselio, qui amore captus filiæ fortunati civis Brachtensis, à patris Petri Endeni, nomine, Petræ, (sive Petronellam eam nominare malimus) dictæ, ex agro transiit ad oppidanam vitam, nihilominus cum suis avitum nomen & dignitatem retinens. *Suscepit* ex ea filios duos

duos, Gothardum & Petrum, filias autem tres, Sophiam, Lucretiam & Adelleidã: ex quibus Lucretia ad majorum ordinis gentem se contulit, nupta cuidam è familia Chisphusiorum: sicuti tamdem etiam Adelleida, quam uxorem duxit Leoardus Hogius: tertia, Sophia, oblata sibi, honestissima tamen, sorte contenta fuit, quando civem Venloënsem Gerardum Bescheidium, cognomine Volquinum, hoc à socero (ut aliquando fit) adeptum maritum accepit. Gothardus ille, Gothardi, Magni nepos, Volquini alterius filius, Senis nostri avus fuit, qui, etiamsi provectiore ætate conjugem Margaritã Piddelliam duxisset, undecim tamen ex ea suscepit liberos, septem filios, filias autem qnatuor: quorum aliqui infantes mortui, ceteri, partim militiam secuti, partim amplis longisq; mercaturis dediti, ut mos est Sicambris, ac plerisq; Belgis vicinisq;, etiam sępè nobilibus. Omnes verò illi suo quisq; bono loco fuere. In his Matthias est natu quintus, JOANNIS CASELII pater, homo boni ingenii, optimè eruditus, integri placidique animi. Multa virum optimum ac præstantissimum

mum exercuerunt adversa. Cum enim, propter belli calamitates, & deinde acerbissimas de religione Christiana dissensiones excitatas, quæ etiam nunc durant, è patria excessisset, non parvo tempore in Anglia, atque etiam in Scotia aquamdiu vixit, ausus quoq; in Hispaniam trajicere, sine metu cujuscumque, etiam vel maximi iis locis hujus sententiæ hominibus imminentis infortunii: quod & fortè optavit vir præstantissimus. Litteræ profectò ejus amorem quendam pietatis eximium spirant. Hoc habuit magnum, [ut & filius, de quo loquimur, præsertim quia initio puer admodum abs parentibus aliò translatus, omnium ferè in illa patris modestia diu ignarus fuit] quod contemtis cogitationibus, quas pleriq; de progenitoribus suis nimis stolide servant, ille se totum religioni tradiderit: & cujus causa ærumnas toleraret; Servatorem nostrum prædicavit, & doctrinam ab eo per summum nostri amorem propagatam publicè professus est. Ex hac vita discessit Göttingæ, anno ætatis, ut conjicimus, LXXXIIX. Hujus maximus natu filius fuit JOANNES

CASELIUS, natus hoc, quem dixi, patre, matre autẽ, CATHARINA CALEBRADEA, fœmina primariæ familiæ, quæ, cũ nonaginta quinq; annorum esset, & multas calamitates difficillimis temporibus cum marito pertulisset, mortua est Arxlebii, qui vicinus nobis locus est, apud filium natu minimum DANIELEM. Ejus verò Calebradeorum familiæ, præter paucos propinquos, inter quos Seligeri, & Dransfeldii, atq; præter hos etiam adfines, inter quos Rhumañi, vestigia vix ulla sunt. Natus illi fuerat JOANNES noster CASELIUS anno millesimo quingentesimo tricesimo tertio, qui iis locis, quibus parens exul fuerat, Göttingæ nimirum, Northeimii & Gandersæmii, ut etiam Northusæ, initia bonarum litterarum coluit, heic inprimis præceptore Neandro viro clarissimo. Postea Wittebergam se contulit. Philippo Melanchthoni & omnibus doctis viris plures annos semper valdè familiaris & carissimus: ut & deinde Lipsiæ magno illi Camerario. Illic Philosophicæ scientiæ, ut & aliquot annis post Imperatore, Maximiliano II. poëseos laurea, & tam ab

hoc quã à Rodolfo II. Nobilitatis avitæ renovatione ornatus est. Posteaquam etiam Lipsiæ, Rostochii, & Francofurti ad Viadrum, bonam ætatis partem transegisset in omnis generis litteris, hinc in Italiam, ejus visendæ, & eruditionis augendæ gratia, bis profectus est, atque in ambabus illis peregrinationibus sic satis diu ibi studiorum caussa, etiam antea eruditissimus, moratus, voluntate inprimis & impulsu Joannis Alberti Megapolensium Ducis, cui, ut eruditionis perpolitæ maximo amatori & propagatori, ingenium ejus & virtutis studium innotuerat. Prius iter Italicum mense VI. li, anno CIϽ IϽ LX. suscepit quando recta, quantum quidem locorum, per quæ transeundum fuit, aliorumq; vicinorum contemplatio permisit, Bononiam contendit. Ibi celeberrimis ejus loci I.ctis, ut antea alibi, operam dedit, & preterea in omni literarum genere viro omnibus notissimo, Carolo Sigonio. Quando autem satis diu eo loco constitisset, Florentiam transiit, ubi item magni illius Petri Victorij passim gentium cognitam reconditiorem eruditionem & insignem virtutem admira-

miratus, ei non solum adsiduus quotidianusq; ac carissimus, sed & diuturnus auditor permansit. Inde, peragratis visisq; ceteris florentissimæ regionis partibus, in Megapolin rediit anno CIↃ IↃ LXIII. Reverso cum à Ducibus Megapolitanorum decreta fuisset Philosophiæ & Eloquentiæ professio, Rostochium ideo III. Nonas Quinct. eodem año CIↃ IↃ LXIII. profectus est: eamq; suscepit statim, & cum magno juventutis profectu, ut initio, ita deinceps obiit. Intervenit autem illis locis pestilens lues: quamobrem permissu Principis sui in Italiam iterum abiit, initio anni CIↃ IↃ LXV. ut studiis antea feliciter cultis porrò plus augmenti adjiceret. Ibi ferè triennium exegit, ut plurimum cum Victorio, homine magnæ ætatis: qui clarissimus apud omnes, summæque auctoritatis haberetur ab omnibus per omnem Europam, & populorũ & eruditionis principibus. Pisis utriusq; Juris (cui cum operam diligentissimam impendisset, postea tamen, naturæ suæ conditione explorata, studium illud omisit) Doctor renunciatus est publicè, autoritate amplissimi JCtorum ordinis, nemine

mine omnium dissentiente, adhibitis solennibus ritibus, post præmissas usitatas atque in hoc genere necessarias disquisitiones: idque V. Cal. Febr. Anno CIↃ IↃ LXVI. Reliquit in Italia celeberrimos viros sibi amicissimos, Petrum Victorium, Paullum Manutium, Joannem Vincentium Pinellum, Carolum Oricellarium, Carolum Sigonium, M. Antonium Muretum, Petrum Angelium, hujusq; fratrem, Antonium, Bargæos, Onuphrium Panuinium, Hieronymum Meium, Cyriacum Strozzam, & multos alios, quorum nomina hęc charta vix capiat, quibus omnibus deinceps percarus semper mansit. Inprimis autem Victorij consuesuetudo illi magno bono fuit, quod & ipse cum summa præceptoris veneratione semper agnovit. Coluit verò illic etiam & audivit I. Ctos, inprimis Bovium & Bargalinum Bononiæ, Calæfatum, Ciosium & Plautium, Pisis. Præter alia hoc nostri homines hujus optimi senis laboribus & studiis debent, quod genuinam illam Philosophiam partim ab aliquot seculis per eorum complures, quos vulgo Scholasticos vocant, maxime in

mè in Italia, excitatam propagatamque, partim, atq; elegantius quidem, excultam & diditam passim à Græcis exulibus, Gaza, Trapezuntio, Philelfo, & qui hos cæterosq; ejus gentis secuti sunt, Ficino, Politiano, Mirandula, Barbaro, Victorio & aliis, in Italia porrò didicit, atq; in ejus penetralia quam plurimos perduxit. Ex Italia sub finem anni CIƆ IƆ LXVII. ad munus suum rediit Rostochium. Neque multo pòst in aulam accitus ad Principis Joannis Alberti, quem ante, summi, atque ob beneficia in litteratos, meritissimi honoris caussa, nominavimus, filium, Joannem, ultra impuberes annos progressum docendum, eo se recepit, atque hoc officio, summa cum laude atque applausu omnium, quadriennium functus est, cum neq; de diuturniore tempore actum esset. Læto animo se illinc aulicarum molestiarum pertæsus, adulto jam etiam discipulo, in Academiam recepit, ut porrò jurò juventuti prodesset publicè ac privatim, ut certè profuit maximè rebus ipsis testibus. Interea verò dum illic moraretur, anno CIƆ IƆ LXXI. prid. Cal. IIXbr. uxorem duxit Magnifici

& Am-

& Amplissimi viri, Andreæ Mylii, ducum Megapolensium Consiliarii primarii, filiam, Gertrudem: ex qua suscepit Joannem Ulricum, Margaritam, Clarissimi viri Collegæ nostri Theodori Adamii conjugem, Annam Sophiam, quæ & ipsa præstantissimo viro Theodoro Hupæo nupsit, Joannem Carolum, Joannem Guilielmum, Elisabetham, Joannem Julium, Joannem Andream, & Helenam. Cencesserunt omnes fatis, præter Margaritam. Uxorem amisit IV. Eid Februar. anno CIↃ IↃ XXCIII. Inde viduus mansit, dum vixit, liberis semper à noverca metuens, non minimo tam diuturnæ continentiæ & in suos pietatis exemplo. Cum autem ingens viri esset fama, non potuit ea latere Principem, in cujus territorio natus erat: Ducem, inquam, nostrum Julium, beatæ memoriæ; prǽsertim cum Academiam hanc condidisset; & magnis præmiis doctissimos quosq; homines huc inuitaret, à quo etiam vocatus fuit CASELIUS. Sed, quod eum amaret dux Megapolensium, Joannes Albertus, atq; ex aliquo intervallo interveniret mors optimi

mi illius Principis nostri, tunc quidem huc non venit CASELIUS. Nec tamen minus hæsit in animo successoris maximi Herois nostri HENRICI JULII: cui ex celebritate nominis, & scriptis, & præsentis aliquoties sermonibus, notissimus erat. Is ergo, pro summa heroici ingenii bonitate, non quievit, priusquam illum huic patriæ suæ restitueret. Vixit itaque heic totos viginti & quatuor annos, omnibus bonis carissimus, parens studiosorum adolescentum, atque in his, præter plurium aliorum morem, etiam inopum: quorum tam multi hodie per eum florent, ut nullam credamus in Europa nationem esse, quæ magno nostro seni multis propterea nominibus obligata non sit. Passus etiam heic suos est manes. Ut enim de reliquis nihil dicamus, per mortes suorum iit pœne solus omnibus suis superstes. Postremo, ætate potius, quam morbo confectus, hoc mense ad diem V. Eid. paulò ante vesperam in vera filii DEI agnitione, & liberationis ex hac miseriarum valle flagrantissima expectatione, piè & tranquille obiit:

post-

Digitized by Google

postquam mensibus superioribus aliquot longè solito infirmior esse cœpisset, maximè tribus ultimis: quare tamdem ab ægritudine dejectus, dies plusculos in fatali lecto se continuit, donec, non valentibus defatigati pectoris viribus moribundo jam cordi ministerio suo amplius præsto esse, ita exspiravit. Gratias Deo opt. max. debent plurimi mortalium, adiuti ab hoc viro atq; ornati, quod ei ad tantam ætatem pervenire licuit, quantam ipse sibi ne sperare quidem, alii verò tam imbecilli corpori vix optare ausi fuerint: quamquam ipse sibi quoque hac in re non defuit, qui quotidiano corporis motu & perpetuo temperantiæ studio adversus ancipitem valetudinem semper se muniverit. Exequias magno viro hodie, ut intellexistis, ibimus. Adeste etiam vos frequentes, & ultimum ei humanitatis officium præstate, qui humanitate & officiis plerosque mortales superavit. Valete.

PP. in acad. JULIA A. D. XVI. Calend. Majas.

ANNO CIↃ IↃ CXIII.

J. CA-

Joh. Caselii EPISTOLARUM LIBER PRIMUS.

AD PRINCIPES.

JOACHIMO FRIDERICO Marchioni Brandenburgensi.

Epistola Prima.

NOn tantum vel aliis de causis, vel ut accuratius aliquid & te dignum ad te scribam, ad respondendum cum literis, tum dono tuo sum tardior: verum etiam hanc rem, ubi tamen properatu opus erat, ut me quam gratissimum esse cognosceres, propterea in

hunc diem duxi; ut ad te nón nudam epiſtolam, ſed cum hac alterum â me ſuſcepti laboris exemplum mitterem: quò, quantum enitendum mihi non tam in nomine tuendo, quam in re ipſa virtuteque, ſi quam poſſem aſſequi, poſſidenda exiſtimem, pleniùs adhuc, & ſi fieri poſſet, pleniſſimè intelligeres. Verum ab hac mea ratione nũnc excidi; non quidem totus: nam & quæ abſolvere volebam, nondum mitto, & mitto, quod cum longe ſit præſtantius, tum tibi quoque charius cum auctoris tum tuo nomine ſit futurum. Ex epiſtola enim Petri Victorii, omnium eruditorum, quos hic ſol hodie intuetur, facile principis, quam ad te paucis diebus â me acceptam cum adoleſcente meo, Philippo Belevicio, mitto, mirificam capies multis nominibus voluptatem, inprimis tamen duobus, ut arbitror, primum, quod ita mature poſt primos bene beateque & actæ pueritiæ tuæ annos, non quidem â Rege ſummóve Monarcha, quod tantoperè non potes deſiderare, cum eorum ipſe vel unus ſis vel illis certe proximus, ſed tamen

men â viro inter Florentinos admodum nobili & fortunato, thesauris sapientiæ & eloquentiæ copiis inter mortales abundantissimo, celebraris, dilaudaris, & doctrinis ad hoc animi immortale regnum invitaris atque erudiris: deinde quod in iis doctrinis, quas â nobis tuis, Hubnero præsente, me absente, verissimas & optimas accipis, in eaque vivendi ratione, ad quam te natura arcano quodam motu inflexit, educatio divinâ tibi virgulâ præparavit, doctrina demum rationibus erudiit; tali auctoritate, quâ, quanta maxima esse potest, retineris atque confirmaris. Non potuit, ut conjicio, facere optimus prudentissiusque senex, summus virtutis cultor, bonorum admirator, atque humanorum commodorum amator, quin, cum de te adolescente Optimo Nobilissimoque, qui summi maximique tituli sunt, per me & per amicos cognosceret, quæ optabilia, admirabilia essent, quæque optimi votis, cum reprehendere non possunt, sequi quotidianis silent, te animo literisque suis ex longo terrarum intervallo con-

veniret & complecteretur: quod semper non tantum licuit viris doctissimis, ut potentissimos compellarent: verum etiam ipsis summæ laudi datum fuit, si Reges de iis aut sermone aut scriptis, quæ salutaria vel uni alterive vel multis gentibus vel toti denique orbi terrarum esse intelligerent, recte, graviter, prudenter docteque monerent & docerent. Scripsisse vero Victorium ad te propterea avidius existimo, ut, cum me magnopere amet plurisque faciat, quam merear, quod liberali communicatione doctrinarum Florentiæ, & postea quoque literis ad me suis plenissime declaravit, me tibi commendaret, animumque erga me tuum benignissimum arctius mihi devinciret: non solum ut commodis meis, quæ tali ratione amici amicis confirmare atque amplificare student; verum multo magis nomini honorique meo consuleretur, cui ex morum tuorum innocentia, vitę sanctimonia futuraque administrationis perfectione, de quibus omnibus meas absentis accipere amare & amplecti sententias soleret, plurimum vel omnia potius

eius accessura existimaret. Verum ipse consilii sui rationes vel has vel multo etiam graviores explicabit. Cupio vero cognoscere, etsi videre mihi hoc videor, quam gratæ tibi sint illæ literæ, de quibus ego jam pridem plura quam debebam. Ad argumentum tuæ epistolæ venio, ex cujus omnibus partibus non solum virtutis tuæ, cujus hæc tirocinia illustria sunt tantoque loco digna, splendor, sed etiam clementia in me singularis vel potius amor [rem enim, etiamsi dissimillimi simus, suo nomine privati inter nos appellemus] mihi & sermone tuo & aliis quoque epistolis sępe declaratus, elucet. Fuit igitur & hæc mihi tam grata quam superiores; quas omnes in thesauris meis numero; neque cum preciosissimis gemmis, quas non tanti æstimo, comparo: minus enim nummorum, quibus tamen minime abundo, quam gloriæ avarus sum: sic tamen hanc sitio, ut aliquam quoque mihi ne optandam quidem existimem, sed & à vulgo & ex opinione non nulla profecta omnem repudiem. Eam vero, quæ à paucis

ſed ſummis & ex virtutis aliquo inſti-
tuto meo proficiſcitur, quî non amem,
neque ipſam virtutem reſpiciam, neq;
judiciis optimorum nitar? Etſi igitur,
ILLUSTRISSIME JOACHIME FRIDERICE, literæ tuæ mihi plenè ſatisfaciebant, mihique inſtar tanti muneris erant atque etiamnum ſunt, quantum â quoquam vel petere unquam vel ſperare poſſim: tamen munus quoque illud, cujus mihi neque petenti neque optanti ſpem oſtenderas, moderate & cum voluptate deſideravi. Cur enim non fatear? non aliam ob cauſam, quam ut tuam in me voluntatem nonnulli etiam alii, qui me amant, (non enim omnes eo ingenio ſunt, ut aut & elegantiſſima & optima ejusdem illa argumenta videant, aut eorum dignitatem ſatis intelligant,) aliquando cognoſcerent. Quod ſum ita nunc conſecutus, ut optaram. Itaque malim illud epiſtolæ tuæ lumen ab ipſa epiſtola abeſſe, qua te ob muneris hujus tenuitatem excuſas. Quod profectò & per ſe magnum eſt & à me non commodi alicujus loco habetur: ſed quod hic quoque poſt prio-

priorem honos à te mihi habitus ſit, ipſe mihi mirifice gaudeo. Alterum vero, quo jubes, ut quoties effigiem illam tam cari capitis intuear, toties: meminiſti enim ipſe reliqua: tanto mihi gratius eſt, intimaque mea præcordia penetrat atque accendit. Qua de re pluribus non dicam, ne in ullam, ne miminam quidem, adulationis ſuſpicionem apud te incidam. Quod autem vis, facio faciamque ſedulo: atque inſuper quoque ſtudebo re ipſa comprobare, ut intelligas, te in virum gratum atque tui tuorumque, quod non puto te dubitare, ſtudioſiſſimum beneficia contuliſſe atque collaturum. Tu vero ADOLESCENS ILLUSTRISSIME, quod agis, in eo, quod te decreviſſe ſcribis, conſtanter perſeverato, & ſecundis hiſce ventis plenisque velis in portum beatæ vitæ, quę vox qualis ſit, jam dudum intelligis, appellito: in tuasque gentes, quæ multæ magnæq; ſunt, unà tecum in eundem, divinâ tua virtute & beneficentiâ, ducito. Vale.

Roſtochio X. Cal. IXbris anno
ↀ Iↄ LXIV.

HENRICO JULIO Episcopo Halberstadensi, Duci Brunsvicensi & Lyneburg.

EPISTOLA II.

EX aliis, Heros HENRICE JULI, quæ ad te scriberem, tibi jucunda & utilia, deprompta è scriniis sapientiæ, nihil mihi huic loco visum fuit accommodatius, quam, ut tecum de ultimæ pueritiæ tuæ studiis agerem, ut Xenophon, non ad Cyrum, sed de Cyro scribens, regis sapientissimi institutionem persequitur hoc libro, ad eam ætatem, quam tu hodiè agis. Liceat autem mihi de te ad te sine adulatione loqui. Argumento erit, me nihil assentari: quòd neque mihi aliquid quæro, nec sanè necesse habeo, in quem scilicet ultrò munificus exstiteris: & ea dico, quæ cum ita sint, tum ita esse, meminerunt & testantur non hi solum homines, sed longinquæ etiam nationes. Ego te nondum videram, & eo tempore informabam Ducis Megapol.

JOAN-

JOANNIS ALBERTI filiorum teneros animos; quando fama ad nos mira de tuo ingenio pertulit, cui non ſtatim aſſentiebamur, quòd aliqua fide majora viderentur, ſed propter conſtantiam tamen adverſari non debuimus: præſertim cum ſtudii tui aliquod ſpecimen, nec id puerile, quamquam à puero, amici nobis oſtenderent. Itaque non ſolum laudem tibi peperiſti, quæ pueris raró tribui poteſt, tibi ut debebatur, ita ſine invidia tribuebatur: quis enim illi ætati non favet? quis vero invideat, niſi conflatus ex invidia? Sed etiam pueris tui loci atq; Ordinis exemplo fuiſti, quod cumprimis memoratu dignum eſſe judico. Accidit non ita multò poſt, ut Princeps ſapiens, pater tuus, dux JULIUS (id erat ſub incunabula Academiæ Juliæ) me accerſeret: ibi equidem nihil vidi aut cognovi, quod magis me delectaret, quàm iſta tua indoles heroica: quam ſedulo conſideravi, & penitus introſpexi diebus pluribus, quibus, ut fit, tenebar in arce Guelfia. Fortè alium ceperit benevolentia proce-

 rum,

rum, qui hospitem supra modum accipiebant amicè, neque etiam me cepit haud leviter. Cur enim dissimulem, quod illi scirent, nec quis aliud crederet? Aliud quis majus diceret, vel maximum, qui me apud tantum Principem esse in gratia videret: nec ego aliud præ me ferre debui, nec sensi aliud. Nec ignorabam tamen, quantum cuique tribuerem: sed sic arbitrabar, quæ ad utilitatem, & ad honorem meum pertinerent, privata esse, nec latè patere, ut si in museo soli mihi lucerna luceat: debere autem me, & unumquemque reip. velle maximè, & non solum præsenti populorum felicitati ex animo gratulari, sed etiam toto pectore pro posteris vota facere. Ego igitur cum viderem, [certè hoc mihi persuadebam, & nunc puto, me judicio non prorsus fuisse alucinatum] ex illa aurora oriturum solem aliquem felicitatis minoribus, si ex hac re sive augurio meo caperem voluptatem & lætitiam singularē, facere bono viro dignum arbitrabar, nec alienum à moribus meis. Nec vero nisi fausta omnia augurari potui;

tui: etsi qui hæc videt, plus mihi videre videtur, quã volatus avium denuncient mortalibus. Vidi te docilem, memorem, acrem: cum velles, quidvis scire; quod audires, vix auditum, arripiebas, arreptum in arculam memoriæ recondebas, unde quod ex illis velles, quando quotiesque velles depromptum, luculentè nobis exponeres: nec habebas, quę acceperas, sed quæ ab alio non acceperas, non minus & ipsę videbas, & spectanda nobis exhibebas: quasi si è grano arbor subito effloruisset. Nihil in te triste aut morosum, nihil lentum aut somnolentum: hilaritas in animo, in vultu, in verbis, in factis: celeritas quæ animi, non minor corporis: vigiles oculi, vigil animus; omnia signa industriæ, humanitatis, beneficentiæ. Gaudeo ipse illius temporis recordans: velim gaudeas hæc legens, tui ipsius recordatus. Patere porro, ut te honesta veritatis assentatione demulceam: qua simul magnum mihi beneficium parem. Majus enim profectò dare mihi non potes, quàm si beatus ipse, hoc est, omni virtute regia florens, quando cæte-

cæteræ copiæ & bona corporis abundè ſuppeditant, beatos populos tecum facias: ne ſit de ulla re, neque de te querela, vel in circulis, vel in angulis, vel in animis: ſed ad unum omnes te velint, te revereantur, te prædicent, in te fortunas omnes ſuas, & ſalutem denique ſitam eſſe ſentiant. Verum in hoc totus es, & eſſe omnino debes, ut ſequentia antecedentibus reſpondeant, & principio finis ſit illuſtrior, vel, ut dicam clarius, ſpes quæ ſumma erat, tamen re ipſa longè inferior fuiſſe videatur. Grave eſt, exſpectationem de ſe, ſive ſeipſũ fallere. Solebas interrogatus, ambitione puerili regia, & cupide & eleganter reſpondere, cujusmodi exſpectarentur: ultrò item dicere, quæ heroicã indolem ſic exprimerent, ut non ad imperiũ educari, ſed natus videreris. Audivi ipſe te, cum de clementia diceres, quaſi doceres, non diſceres. Poſtea vidi, & ex amicis accepi, quàm odiſſes ſycophantas: quàm minimè ferres adulatores. Noveras enim illos eſſe peſtes bonorum, quaſi virtutis & ſapientiæ cicutam; hos blandos parricidas Principis

& rei-

& reipublicæ: quod isto tempore tibi explicuissem, nunc explicare intelligenti, nihil opus est. Tibi autem hodiè quanto occupatior es, hoc non magis detestandi, quos detestaris maximè, sed cavendi studiosius. Personati enim in conspectum veniunt, irrepunt in sermones, in animunm penetrant miris artibus, quarum architectus erat olim apud Magnum illum Philippi filium Medius. Vidi postea te Halberstadiensis & Mindensis episcopæ clavum dirigentem, cum laude. Hoc uno verbo, quæ te cogitasse bona & gessisse rectè memineris, dicta putabis omnia. Namq; ea exponere non est epistolæ. Quid tuarum porro sit partiũ, non est quod quis præclarè doctum doceat: & sunt in promtu tibiq; in manibus esse debent præcepta sapientium. Ex his unum referam: nec enim audire gravaberis, quod usui sit unicuiq; ad veram gloriam sive virtutem ipsã, cujus major est, quàm gloriæ splendor, seriò contendenti. Diogenes ajebat: cui benè futurum sit, aut qui servari debeat; [salutem enim in virtute ponebat, qui vitiis scaterent, hos periisse jam rectè

sen-

ſentiebat] ei opus eſſe amicis integris, aut inimicis acribus. Hi enim cum omnia ſcrutentur & reprehendant, ut exitio ſint; nos excitant, & mirificè acuunt, & quadam quaſi tyrannide in ordinem cogunt: illi, errantes, qui error contingit quotidiè etiam bonis, à vera virtutis ſemita declinare non ſinunt, in docendo ſive monendo uſi humanitate & comitate perpetua. Rectè facis, HENRICE JULI, præſertim in imperii tui auſpiciis, qui labores, ut talium amicorum non egeas: futurum eſt, ut illud genus hoſtes ſui pudeat: etiam ut ſua malevolentia pereant: tu autem regia virtute & ſempiterna laude floreas. Hic epiſtolæ finem faciam: nec diſpiciam, quod facilè invenero, ni in promptu ſit; quomodo tibi commendem hunc Atticæ apis favum. Tua enim eſt, tibique jampridem cognita hæc Cyri pędia, quam de imperio optimi Parentis tui, de auctoritate indolis tuæ formatorum, à me puerili tuæ educationi cœptam confici, ubi deguſtaſſes, voluiſti à me perfici: in quo morem geſſi, quibus negare nihil debui. Nec meam

Digitized by Google

am tamen versionem comparo cum absoluta Camerarii, aut nitida Gabrielii: nec si quæ sunt aliorum, contemno. Fortè nulla est, ex qua non ipse fructus aliquid acceperim. Neque enim hoc me pudet facere, dum ne aliûs labores mihi vindicem: nec pudet etiam fateri, quod ingenui & grati animi esse rectè judicant. Conatus fui hæc reddere tenui stilo, nec obscuro; tum, ut ætati tuæ, quæ tunc erat, consulerem, tum ut, si Xenophonteam simplicitatem inimitabilem æmulari & exprimere nequirem, ab ea ipsa quoque minus longè recederem. Post annum tertium decimum modò relegi hunc librum: quædam inter relegendum correxi: iterum edidi, quòd ab amicis exempla flagitata à me fuerunt jam antè sæpius. Sed majus aliquid etiam me movit. Gratificandum enim censui Principibus pueris, qui in Academia tua Julia in litteris vivunt, uxoris tuæ frater ULRICUS & JULIUS AUGUSTUS, frater tuus. De hujus indole dixi in oratione, qua optimi Parentis vestri laudes persecutus fui: & ULRICUS heroico ingenio

nio est, & eo profectu, ut hisce saluberrimis prorsusque regiis doctrinis audiendis aptus sit. Vera & explorata dico. Agens enim hodiè annum non nisi duodecimum, & latinè commodè loquitur, & vel ipse interrogat, interrogatus, respondet, quæ heroicam indolem aperiant, & exspectationem magni Principis confirment. Hoc meum studium paratum est & aliis. Volo enim omnia, & debeo, publicæ utilitatis gratia. Sed intelligo & fateor, me his debere plurimum, si quid modo præstare valeam: quod fortè sit aliquid, si quis hoc genus meritorum respiciat, & oblatum non repudietur. Memini, quibus Parens tuus quantisq; me beneficiis ornarit, quibus ipse tu. Sunt etiam singularia; tam quę à principis ULRICI parente, rege Danorum, FRIDERICO II. accepi, quàm quæ ab ejusdem avo, ULRICO duce Megapolitanorũ. Quare ingratus sim & malus, si quid officij in me sit, id non præstem cupidè & diligenter, non solum monendo, sed etiam erudiendo: ac sanè in neutro operam meam patiar desiderari. Etiam,

Digitized by Google

tiam, quod in ſequentibus quodam modo præſtiti, aliquot hujus libri loca commentariis meis illuſtrare cogito: quod ut docti viri me flagitant, ita te quoq; probaturum puto. Quin enim per otium hæc reguſtaturus ſis, ſi dubitem, rogem & obteſter, & demonſtrem: id te ſumma cum utilitate facturum. Verum hoc ultrò, deque rectiſſimo tuo judicio facies. Intelliges enim regium eſſe, ſemper rectè & benè facere, & ſemper ea cognoſcere, è quibus quid recte beneque fiat, commodè & ubertim explicetur. Vale. Helmſtadii, ex tua Academia Julia. Kal. Sept. cIↃ. IↃ. xc.

VVOLFGANGO ERNESTO, Comiti Stolbergæ, Kœnigſteni, Rutſchefurti & Wernigerodæ, Domino Epſteni.

EPISTOLA III.

IN ore omnium eſt, & res ipſa docet: nullam rem eſſe tam facilem, quin fiat difficilis, quam invitus facias. Audivi, qui alterum ſentirent; nihil

esse adeo difficile, quin fiat facile, quod volens libensque facias. Neque verò etiam huic opinioni refragabor, sive potius ambas inter se committam. Neutrum enim ad id facit, quod nunc ago: etsi utraque eò, quo volo, mihi iter pandit. Sic autem existimo, esse in illis quoque, quę cupidè aggrediaris, & per se sint facillima, difficultatis sæpè non parum. Mihi id cum aliàs ante non rarò, tum nunc usu venit. Ad te scribendi, cumque iis litteris mittendi, quæ viderentur, consilium jam pridem cepi: negotium facilè, & alius dixerit, & ipse credidi: tamen dum id cogito, curâ non vacat animus, difficultatis testis locuples: ac quamvis sollicitus, vix tamen effugero, quo minus vel importunè, vel insolenter, vel abjectè, vel nimis blandè aliquid egisse videar. Quod si animum introspicias, vel quicunque hæc prætereà leget, is omni, spero, me culpa liberet. Ejus tibi satis certum plenumque indicium facere vix potero: ex notis quibusdam si videas, quo sim animo, non mihi nihil assecutus videbor. Huma-

nita-

nitatem autem tuam, & eruditionem, & comitatem, & prudentiam, & acre ſapientiæ ſtudium, quò etiam hodie in cura reip. flagras, & plus præſtas, quàm qui id ſolùm agunt: illa ego omnia & agnoſco, & admiror: ad te minus prædico, ne aſſentari videar: prædicabo, cum locus erit ad alios, quo magis innoteſcat, quanti te atque ipſam virtutem faciam. Perſvaſi autem mihi, te, quamvis me in tuis habeas, tamen hactenus deſiderare, quod à me tibi deberi, & ipſe intelligis, & ego infitiari non debeo, nec ullo modo volo. Cùm enim initio & ſermonibus & benevolentia tua me dignatus fuiſſes, ex quadam fama vel opinione probitatis & doctrinæ; nullum ego ex eo tempore meæ in te obſervantiæ tale ſignum edidi, quo egregiæ tuæ in me voluntati reſpondere videretur: nec tamen aliud te requirere ſciebam, quàm quod à me deberet expectari, longè infra tuam conditionem poſito. Nunc poſtquam mihi ejus rei luculenta occaſio data fuit, eam utrâque, ut ajunt, manu prehendi. Quam enim, de

E 2 bene-

beneficentissimi Ducis nostri HENRICI JULII, erga academiam Juliam benevolentia sive meritis, orationem publico nomine habui, ad te potissimum mittendam censeo, idemque amici mecum sentiunt, principem illustris illius legationis, quæ singularia beneficia, non nobis solùm, sed universæ rei litterariæ attulisset. Beneficia autem illa, & Principis in universum, & aliqua parte etiam vestra sunt. Quam enim ab illius bonitate proficiscuntur, tam ex vestris consiliis sive ex communi & illius & vestra sapientia promanant. Patere, quoniam hunc sermonem ingressus sum, ut loquar paullò liberius. Primùm igitur, quæ data sunt, non minus sapienter, quàm munificè, & nobis & posteris eadem rata futura in perpetuum scimus: quæ rectè cæpta sunt, feliciter perfectum, quæ prolixè promissa, regiè præstitum iri confidimus. Nec enim Dux ipse hanc curam primariam, vel in gravissimis negotiis oblivisceretur, à Patre acceptam, & susceptam ultrò: præsertim cùm Senatores idem urgeatis, & Ordines provinciæ eodem respiciant.

ciant. Cęterum ab omni parte videbitur, tum si quid sit oriaturne incommodi, ut hinc avertatur, tùm quæ ex usu sint academię Juliæ, sedulò conquirantur. Mittam nunc alia: quod in mentem venit, ejus mentionem faciam: etsi omnes idem videre videantur. Quis enim nescit aut dubitat, esse ex re litteraria, ut in sua quisque disciplina viri præstantes doceant? Præstantes dico, non solùm scientia abundè & præ pluribus instructos, sed etiam in docendo disertos & perspicuos, nec leviter antè versatos. Operæ pretium est videre, quî fiat, ut in academiis passim talium sit penuria. Inveniri posse in quolibet genere disciplinę, ipse non dubito: vidi qui ad manum essent, negligi aut deterreri. Primum enim, ubi merces docenti tribuitur, unde solus in diem vix vivat; quis eum locum ambiat, nisi qui eruditionis nihili, & nullius ingenii sit? Demus esse præstantem, de cujus tamen industria hactenus non constiterit, cui munus docendi demum detur. Is speratum acceptat cupidè: verum de alio magis, quàm de eo, quod adeptus

fuerit ornando cogitare necesse habet. Fortè non segniter gerat munus suum, sed majore cura affectet aliud. Hæc est eorum sors potissima, qui bonas litteras, aut aliquam philosophiæ partem explicant. Iis præcipuè prospiciendum esse censeo: nec poterit non sumptus tolerare ærarium: etsi hujus ratio non potior, quàm publici boni haberi debeat. Nec ita multis opus est: nec putandum, plures vix tinctos litteris, aut in primo tirocinio desidentes plus præstare, quam pauci benè docti viri, & iidem industrii faciant: accedit, quod quædam in scholis regiis publicè tradi, non ex earum dignitate est: ex privatis magistris accipiant. Hoc enim demum decuit novitios bonarum artium magistros potius, quàm ut docendo & disputando novas, falsas, adsurdas, ridiculas opiniones instillent adolescentibus, aut parvi ingenii, aut antè in litteris non exercitis. Huic igitur malo medicinam faciet æquitas, si labori merces respondeat. Est & aliud non academiarum solum, sed plurium quoque collegiorum intestinum: & aperiendum

dum maturè, ne hic quoque fiat, quod non uno in loco in perniciem rei litterariæ frequentari vidi, non ſine ſtomacho. An non enim indignè ferendum eſt, ex ordine doctorum nimis multos ſic privatim ſibi ſuisque conſulere, ut publicam utilitatem & dignitatem, non negligere, ſed pænè prodere videantur? Namque *ſi locus vacet, quid conſilii capiendum ſit, nemo ignorat: ſed ibi tum laborat pater pro filio, frater pro fratre, ſocer pro genero, aut quis pro eo, quem ſibi generum ſperet, doctor pro alumno, ſodalis pro ſodali.* Sic verò exiſtimandum eſt, munus academicum non eſſe beneficium, quod à quoquam privato in alterum conferri, aut à fratre donari, aut legari ut partem patrimonii, aut pro dote dari poſſit. Publicum enim eſt, & ſaluti publicæ deſtinatum: Et ſi verò amicis multa, conſanguineis ſingularia, liberis omnia debemus. Nec velit vir bonus, quod ſuum non ſit, cuiquam tribuere benevolentia aliqua, nedum, cui id minime debeatur: hoc eſt indigno, qui tale munus neque ex utilitate neque ex dignitate publica geſturus videatur.

Doctoris tamen studium & amici minus improbari possit, quod sit testimonii loco, sic ut benevolentia censuræ cedat. Cæteros, in quibus judicium plærumque occæcat amor, non solum ea culpa vacare, sed etiam ejusmodi suspicionem à se amoliri, nec auctoritate, si qua cujus sit, abuti, eamque in dominatum vertere videri oporteat. Hujus ego sum sententiæ & animi: nec sensuros aliter, nec aliter facturos bonos viros, mihi habeo persvasissimum. Sed ut ad me redeam, mitto ejus generis alia, & de iis, quæ attigi, dicendi finem facio, non oblitus illius meæ sollicitudinis, cujus initio memini. Neque tamen non video, ut hæc ipsa aliter accipi possint, quàm à me scripta sint. Scripsi autem non accusandi querendive gratia, sed monendi. Dabo etiam: nec hoc fuisse necessarium, quod & alii vel eadem vel his meliora videant: tamen animi mei erga litteras & remp. testificationem bonos probaturos esse confido. Te verò, ILLUSTRIS DOMINE, quæso, ut meum hoc meæ in te observantiæ argumentum, non repu-

Digitized by Google

pædies, meque quod jampridem visus fuisti facere, in tuis habeas: denique si ferat occasio, Duci nostro meum erga ipsum & patriam studium verbo commendes. Helmæstadio in academia JULIA Kal. Octobr. An. cIɔ Iɔ XCII.

Dn. CHRISTIANO, Dn. JOACHIMO ERNESTO, Dn. JOANNI GEORGIO,

Fratribus germanis, Marchionibus Brandeburg. &c. Illmi, JOH. GEORGII. VIIviri Brandeb. filiis.

EPISTOLA IV.

ACcepi jampridem, Illustrissimi Principes, ex amicis meis, bonis viris & pereruditis, de vestro in litteris profectu singulari. Cœpi igitur vobis de ista educatione gratulari. Qui enim principe loco nati, sic ab ineunte ætate erudirentur; eos beatos judicabam; nec id sibi tantùm, sed etiam

universæ reipub. Nec enim ignorare me oportebat, qui vitam in litteris egissem, & de educatione teneræ ætatis omnes priscorum sapientum sententias sedulò investigassem, quantum ad parandam virtutem, qua & privati & principes beantur, conferrent litteræ. Hę enim, quanquam in vulgus neglectæ, divitiis, honoribus & potentiæ postponuntur, ad illam iter muniunt: suntque adeo duces ad salutem mortalium: nec affirmare dubitem, si quid boni sit, id omne ipsis acceptum referendum. Divino igitur consilio, & si non novo, usus fuit pater vester, Princeps sapientissimus, qui ut olim fratrem vestrum Joachimum Fridericum, summum item Principem, in litteris ad imperium educandum curaverat, vos etiam eadem regia doctrina ad eundem finem imbuendos jusserit. Eam autem & gravem & magni momenti curam rectè demandavit viro probo & docto, nec minus industrio & fide præstanti, Samueli Rænardio: quem & his nominibus magnifacio, & quia ipse quoque me diligit, valdè amo, ut debe-

debere me intelligo. Minus igitur miror, vos indole divina præditos, in ſpacio iſtius diſciplinæ proceſſiſſe longius. Sic enim prædicabant: vos ex animo Deum venerari, religioſè vitam inſtituere, eſſe ſuaves erga omnes, fraterne inter vos amare nihil vobis probius, nihil humanius: ſatis pro ætate adeoque multum intelligere in litteris eſſe ad diſcendum ſemper alacres: ſciſcitando perpetuum, ſed idem perjucundum negotium magiſtro faceſſere. Qui hæc, iidem multa prædicabant alia: in cæteris, quanta vos benevolentia doctor ille veſter complecteretur, quàm ſolidam ex vobis pater lætitiam caperet. Quæ omnia & ipſe & alii cum voluptate audivimus. Ibi tum quoque præconum eximiæ veſtræ laudis unus & alter mihi auctores fuerunt, facerem, quod ſæpe feciſſem abſque reprehenſione bonorum: initurum me à vobis quoque ſingularem gratiam, nec malam à quîquam omnium, quibus chari, quorumque fidei crediti eſſetis. Hoc ego non dubitabam, qui ſimili erga Regum Principumque filios ſtudio, ab an-

ab annis amplius triginta non solùm neminem offendissem, sed multos mihi arctiùs devinxissem, qui, quod libenter facerem, & rectè utiliterque fieri putabant, tale aliquid pangere jubebant. Perspexerant enim ex moribus meis, nec me quicquam meditari, quod cuiquam fraudi esset, nec spectare aliud, quàm quod ipsi sibi proposuissent, quisque videlicet suorum alumnorum, salutem. Etsi igitur hoc non dubitabam: tamen nemo id mihi persvasit, donec juvenis apprimè nobilis, Abraham. Bellinus, quem ob eximias animi dotes aliquot annos in carissimis habui; cujus quoque consilio pater vester utitur in republica, benè longa & diserta admodum epistola de omnibus vestris rationibus singulari diligentia me certiorem fecit, meque facilè permovit, ut hac de re cognitionem susciperem. Quod si enim nec doctrina, nec cohortatione mea vobis opus esset, tamen vestros animos hac prima vestra ætate sive excitari, sive confirmari arbitrabar. Si enim, quæ ipse scriberem, iis, quæ doctores vobis quotidiè decanta-

cantarent, consentanea videretis & gauderetis, vos ad optimum modum hactenus institutos; & ad eadem persequenda magis inflammaremini. Neutrum verò in præsentia faciam, aut levi saltem brachio vos monebo: tamen quod ex usu vestro futurum putem, aliunde depromam. Fero autem vobis libellum aureolum Galeni, medici quidem, sed non ut medici, nec medicum, sed ut philosophi, multis præceptis sapientiæ refertum, ex quo certam animi medicinam sumere & vobis, & aliis vestro non tam beneficio, quàm exemplo, liceat. Etenim hoc sine dubio, ubi opus erit, vel sponte, vel me auctore, facietis: sed verbo accipite, quid unicuique sequendum non falsò scriptor hic existimet. Quemadmodum per loca sentibus obsita & confragosa iter facturi, illos prius excindunt, quantum potest, & lapides amoliuntur: ita qui ad virtutem adspirant, affectus natura animis hominum insidentes amovent, sive mitigant, ut & quæ saluti sint, tutius videant, & præclara facinora promptius designent.

Non

Non unius autem generis sunt illi motus animi rationis expertes, & eam, nisi illis in tempore obviam eatur, gravi imperio prementes, ut nusquam emergat, nusquam officium suum faciat: sed etsi omnes fere quemlibet infestant, tamen alii in alios interdum magis grassantur. Proinde videtur, omnes illi affectus qui sint, nosse expedire omnibus, cuique, quibus ipse potissimum sit obnoxius, ut quisque pectus ab ejusmodi labibus expurget, & ad eximiam virtutem accedat propius. Nec prorsus ignotę sunt illæ animi perturbationes, quæ vitam ipsam supra modum perturbant: quin & in quorum animis invaluerunt, eorum neminem tranquille sinunt vivere: in iis esse iram, concupiscentiam, timorem, fugit neminem: patet item incontinentes iræ, voluptatibus deditos, ignavos item, & nullius animi homines, mancipiorum esse sive beluarum similes; ac miseros denique, qui ita perierint: miseriores, qui per hasce furias secum in exitium multos, sive totos populos unà rapiant. Ea & fabulis poëtarum

Digitized by Google

tarum, & multò magis historiis docentur, & exemplis illustrantur. Sunt illarum pestium similes, æquè detestabiles, etiamsi minus tetræ videantur, vel quia multum in se habere dignitatis videntur, vel quia ad vitam conferre plurimum, vel quia multum in se habere dignitatis videntur. Avaritiam dico, ambitionem, & cupiditatem dominandi: quas pulcris, sed falsis tamen coloribus facile quisque pingimus: cuique putantur prodesse, cum & singulis & universis noceant maximè. Rei familiari operam dare, & omnium rerum copia instructos esse, honestum putant: sed turpe id faciunt plæriq;, qui talibus neq; certos fines ponunt, & cum injuria aliorum fortunas quærunt sive amplificant: quod cum agunt potentiores, tenuiores expilant, & omnia inopia complent, quod non tantũ injustitię, sed & crudelitatis est. Honestius, studere honoribus, quod ipsum pleriq; virtutis studium interpretantur. Honores quidem niti virtute debent, & ea sola quæri æquũ est: sed quia ipsi, & sæpe vafritie, aliisq; malis artibus atq; simulatione meritorũ paran-

parantur, & ferè semper ab aliis, quorum benevolentia & judicio stamus, dependent; non sunt profectò nostrum propriumque bonum, nec illud primum, quod natura omnes expetimus. In iis igitur qui omnes nervos omnibus rationibus contendunt, multis modis in alios, sæpe in amicissimos, & in ipsam patriam injurii sunt; cum multos miseriis excruciant, tum se ipsi demergunt in exitium. Ipsum porrò longè lateq; imperare, esse supra humanam felicitatem putant, & continere in se cœlestem aliquam majestatem. At quorum animis illa regnandi libido sive furor insedit, dum injusta bella meditantur, regna devastant, urbes expugnant, civitates diripiunt & delent, nihil cuiquam proprium relinquunt, dum trucidatis multis millibus & novas & acriores cædes spirant; an non sunt carnifices generis mortalium? Videtur hoc durius dici, quàm si tyrannos nomines: verùm tyranno crudelius & exsecrabilius inter mortales nec dici nec cogitari quidquam potest. Sed ne omnia in epistolam conjiciam: hæc & iis affinia

cœpi-

cœpiſtis diſcere à pueris, audietis porrò: legetis & in hoc libello, & in aliis ſapientum monumentis. Qui regio loco nati ab his adeo diris peſtibus animos expurgarint; ii demum invenient ſalutaria patriæ conſilia: quibus & ipſi beati ſint, & de ſuis populis & fortè de pluribus præclarè merentes, divinum iſtud munus feliciter expleant. Cum intelligatis verò, cujusmodi litteras quo fine colatis; vos neq; hoc genus ſcriptorum adſpernaturos, & meum erga regiam veſtram gentem, & erga vos ſingulare ſtudium probaturos, ſpero. Quod ſi vos facere intelligam; etiam in poſterum tàm ultrò, quàm juſſus, quæ in rem veſtram ſint, & diſpiciam ſedulo, & omni ſtudio perficiam. Valete. Helmæſtadio ex acad. JUL. Kal. IIXbr. cIↄ. Iↄ. vc.

HENRICO JULIO Epiſc. Halberſt. Duci Br. & L.

EPISTOLA V.

CUm hoc menſe mihi redderentur Cancellarii litteræ, quibus C. T.

F man.

mandatum accuratè exposuit, statim curæ mihi fuit, ut quantum quidem possem & quamprimum C.T. expectationi & quàm plenissimè satisfacerem, nec quievi, donec ex omni erudita juventute academiæ Juliæ unum deligerem, quem præ aliis probarem, sive in quo minimum desiderarem. Cum enim in officio neminem fallere debeam nec velim, in hoc tam arduo negotio, quod ad C. T. filii & futuræ altero seculo reip. salutem quam maximè pertineret, omni animi contentione mihi de fide mea laborandum intellexi. Quod quo magis constaret, pauculis diebus pòst, pluribus verbis animi mei sententiam perscripsi, quam Cancellarius C. T. vel Clampius referret. Namq; loquace epistola C. T. hodie longè occupatissimam interpellandam non censui. Illud cum fieri non potuerit, C. T. tum ad fines suarum provinciarum proficiscente, exponam modo omnem rem paucis verbis. Misit C. T. tertio abhinc anno domum meam Julium Phlugium Belgam: quem qui privatim hoc biennio rectè, fideliter & feliciter instituit, e-

um præ omnibus ad informationem ingenii filii C. T. idoneum esse censeo. Is est Rudolphus Diepholdius, bonarum artium Magister, mihi annum jam undecimum familiaris, boni & eruditi viri, qui Verdensi civitati longo jam tempore à secretis fuit, filius, à puero in litteris, nec perperam educatus: modestiam suam semper nobis probavit in omnibus, ingenio ipse singulari, in bonis litteris & omnibus bonæ doctrinæ partibus, de meo potissimùm consilio, ita perpetua diligentia profecit, ut æqualium plerisque facile antecedat. Legit autem quotidie & Græcos & Latinos scriptores: Latinè scribit neutiquam vulgariter: in versu pangendo ita versatus, ut poëtis nostris, meo judicio, nulla re sit inferior: nihil neglexit in rhetoricis, nihil in logicis, vel potius ea ita perdidicit, ut pauci, sive ita, ut alios docere ea rectè, si sit opus, possit; etiam physica attigit, & mathematica, & astronomica, & geographica, & totos dies est in lectione historiarum, & memoria valet & judicio. Præterea

(quæ etiam non minus, sive potius magis requiruntur in educatore Principis, quando hunc non tam scientissimum quàm optimum esse volumus) juvenis humanus, gravis, sobrius, integer, vitæ hominum intelligens, pro ætate prudens, inprimis inter æquales, in eo genere item muneris, in quo etiam se pridem exercuit. De hoc igitur majora nobis polliceri poterimus. Nam doctrinam quoque de vita & moribus, & de republ. non primoribus labris degustavit: neque deinceps harum disciplinarum ullam negliget. Fieri enim in tali progressu id non potest. Denique qui finis est vitæ nostræ, pius & timens DEI, abhorrens ab omnibus fanaticis opinionibus. Eadem de hoc familiari meo & alii testari possunt, & res ipsa loquetur: quod nisi sciam, quo ore ego quenquam ita ad sapientissimum Principem prædicem? Meminerit tamen C. T. hominem ab homine commendari, & quidem homini: in quibus absque ope divina nihil absolutum est, sive etiam mediocre, ac prorsus nihil denique: idem tamen in omnibus nos rectam rationem

tionem ſequi juſſit, ejuſdem ipſe au-ctor & conditor. Fortaiſſe quis non magnum eſſe exiſtimet, quod ego non pono in minimis, quod bona & firma valetudine eſt: hactenus certè ſemper fuit: majus profectò quàm corporis ſpecies, quam vulgus requireret: ſed tamen ſtatura mediocri & vultu, qui & animum & ætatem indices: quę propius jam ad virilem accedit. Aulicæ conſuetudinis ſe expertem queretur: ii mores à tali juvene diſcentur nullo negotio: *nec expedit, nec decet, hominem doctum eſſe nimis aulicum*: quin C. T. eâ ſapientiâ Princeps eſt, qui in re & opere, non in verbi unius alteriusve pompa & ceremoniis, quæ admodum dubiæ ſunt animi indices, virtutem ponat. Qui ſecus cenſuram de hominibus agunt, talium judicio minimè ſtabimus. Quod ſi C. T. hoc homine utetur in erudiendo filio Principe Friderico, omnia σὺν Θεῷ gerentur ut volumus, & oportet. Nec in cura fideq; mea quidquam T. C. deſiderabit. Rector univerſi & Pater omnium C. T. tueatur. Helmſt. ex ac. Jul. VII. Kal. Febr. Anno σωτῆρ☉ M D IC.

EIDEM.

EPISTOLA VI.

ET raro & paucis ad Reges scribendum maturè didici, cumque & ipse hoc consilium sequar, tardior sum propterea ad hanc rem: nec ferè hujusmodi litteras meditor, nisi quędam instet aut flagitet necessitas. Necessitatem autem non egestate, meique commodi desiderio tantum metior, sed multò magis ratione officii. Ratus igitur mearum quoque esse partium, ut aliquando de heroicæ indolis, & regiæ exspectationis Filio ad Te scriberem, id superioribus diebus potissimum mihi faciendum censui, cum de Principis ingenio & profectu censura Tuo jussu fieret. Intelliges enim, me non solum à cæteris dissentire judicio, sed videbis insuper curam meam, qua ego non alterius cujusquam, sed solius Tuæ paternæ cedo. Judicii autem aliquid si mihi sumo

ſumo, facio abſque arrogantia, quod omne nemo mihi adimat, niſi prius ſe turpiter ad intelligentes ille det. Alterum vero nec ipſe dubites, quin, quidquid ſentiam, dicam ingenuè, absque disſimulatione, nihil adulatus. Relinquam nunc & majora & minora alia, dicturus tantum de uno, quod in Principe ſub pubertatem in litteris ante omnia requiritur, & te valde flagitare ſcio, *de intelligentia* loquor, *& uſu Romani ſermonis.* Quæ duo ſimul pauci admodum, etiam ex iis, qui famam quærunt ex litteris, aſſequuntur. Quod prius eſt, idem magnum eſſe nemo dubitat, ut latinos ſcriptores probè intelligeret, in eo laboravit ultra annos ſex ſumma fide præceptor, cui id muneris in tempore fuit demandatum, nec ego in alterum annum in eadem re nihil egi, ſemper & jam majora ſimul ſpectans, & admiſcens obiter. Igitur benè poſita fuit & ab illo diſcente, & à nobis docentibus opera, ut Princeps Fridericus-Huldericus, neque dum

 cphe

ephebus in optimis scriptoribus pleraque intelligat, aut certè semel prælecta statim assequatur, quamvis ardua ingeniis etiam adultioribus. Addam veritati omen: futurum justo tempore, vel etiam citius, ut, de quibuscunque rebus opus sit, emendate & haud vulgariter, & Latinè verba faciat, & quod lubeat, calamo disertè exprimat. Tantum de Principis studio, quo magis magisque in ipso discendi curriculo inflammatur, deque præceptoris, qui illi missionem & apud nos locum petenti successit, industria non temere, ut puto polliceor. Factum autem est à te regiè, qui Rudolphum Diepholdium, de primo-natu Filio tuo, omnique vestra provincia eadem opera præclarè meritum, statim ornaveris, unde Filii intelligant, Te idem ab ipsis velle deinceps fieri; etiam abs te sapienter factum judico, qui Joanni Peparino, Tibi à viris fide præstantibus commendato, Filii in litteris ad regiam virtutem educationem credideris. Utrumque dico hoc confidentius, quando utriusque eximi-

am

am doctrinam & integritatem morum atque fidem à pluribus annis habeo perspectissimas. Meditatus epistolam brevissimam in pauciora eam contrahere non potui, cum res magna sit, & ordine fere prima. Sed præstantia prior est alia, de qua si vivam, suo loco & tempore agam non minus disertè, quod tamen multò uberius faciendum intelligo. Mitto ad Te cum his litteris recens quædam à me conscripta, non nescius quidem tibi ad legenda ejusmodi non esse otium, quæ tamen à te inspici valdè velim & audeo rogare: quoniam aspersi passim non nihil, etsi parcius, de verissimis tuis laudibus: quas si veras esse non ipse solum intelliges, sed simul omnes alii fatebuntur: nihil erit caussæ, cur hoc meum erga te studium minus probes, aut aliquis carpat hoc consilium meum. Auctor regiæ potestatis, & legitimi magistratus, SER. Tuam quam diutissimè saluti harum provinciarum incolumen florentemque custodiat. Helmstad. ex acad. Jul. Kal. Quinct. cIↄ Iↄ cv.

EIDEM.

EPISTOLA VII.

SAtis habeo, si Serenitas Tua videat, me in hos etiam ultimo actu vitæ aliquid agere, & videat saltem opuscula mea, atque inspiciat, hanc potissimum ob caussam, quod per occasionem SER. Tuæ laudes non falsas absque adulatione adspergere soleo, quæ præmisi huic disputationi M. Arnisæi. Eum anno abhinc omnium suffragiis SER. Tuæ commendavit acad. Julia, obnixe petens, ut ipsi juveni doctissimo SER. Tuæ nec ignoto, professionem extraordinariam designaret. Verum sive negotium SER. Tuæ relatum non est, sive non velum fuit faciendum: is tamen juvenis est, quem, cum ornare academiam possit, SER. Tuæ velim esse commendatissimum.

Vale.

Reve-

Reverendiſſimis & Illuſtriſſimis Principibus, Generoſiſſimi adoleſcentis

THOMÆ ZAMOSCII tutoribus.

EPISTOLA VIII.

DUm de editione ΕΠΙΤΑΦΙΌΥ, quam cycneam cantionem Rhodomanus reliquit Magno Zamoſcio, & ſimilium commentationum, quæ ad nominis Zamoſciani illuſtrationem, nec minus ad clariſſimæ veſtræ gentis gloriam facerent, conſilium capio; primi mihi occurriſtis, quos in hoc libelli veſtibulo compellarem. Errare enim non injuria videar, ſi prætercam Principes viros, quorum fidei magnus ille vir, ex hac mortali vita abiens, unici filii ſalutem & omnes fortunas commendaſſet, præſertim cùm vobis de mea, non tantum erga Zamoſcium, ſed & erga plæroſque veſtrum, ſingulari obſervantia pridem conſtare compererim. Nec

Nec enim vestra summa singulorum virtus in occulto est, aut regni vestri, quamvis amplissimi, limitibus clauditur: de vestra præterea erga me benevolentia affirmavêre pridem familiares, & juvenes & viri, ipsi & virtute & judicio prestantes. Omnibus his de caussis censuræ vestræ hæc, cuicuimodi sunt, subjicio, etsi confido, rei, quod à nobis præstari potuit, satisfactum. Namque ut nihil desideretur in historia, per nos non stetit. Quod autem spectavit primus scriptor, id assecutum censeo. Namque, ni fallor, complexus est, quæ predicari de Zamoscio potissimùm oportuit: denique ad tanti viri vitam perpetuæ memoriæ consecrandam verborum ornamentorumque satis attulit. Nam neque Theocritus quidquam detraxit Ptolemæo Evergetæ, etsi in eo celebrando non fuerit uberior, cùm tanti regis virtutes & merita non nisi fasciculo universa divinitus comprehenderit. Zamoscium verò vestrum non falsò beatum & vos prædicatis per Poloniam. Ejus enim obitum, qui cumulatus summis æternisque laudibus decess-

deceſſit, deplorare nefas arbitror, aut vicem patriæ dolere, etiamſi ſummo viro, fortè etiam neceſſario tempore, orbata ſit, quando non decrunt, nec deſunt, qui, quæ onera ille geſſit, in ſe ſuſcipiant æquè feliciter. Regnum verò veſtrum, in quo procerum filii ad ſtatum veterem recta via educantur, comparo cum Alcinoi felicis hortis, de quibus ſic poëtarum princeps:

Ἔνθα δὲ δένδρεα μακρὰ πεφύκει τηλεθόωντα,
ὄχνη, καὶ ῥοιαὶ καὶ μηλέαι ἀγλαόκαρποι.
Ubi deniq;,
ὄχνη ἐπ' ὄχνῃ γηράσκει, μῆλον δ' ἐπὶ μήλῳ.

Non poteſt enim in imis hiſce univerſi partibus aliter fieri, quin quæ nata ſint, denaſcantur: denatis illis alia ſata pullulefcant, adoleſcant, floreant, maturosque fructus edant. Valete, florete, & ad minores iſtam felicitatem, & majorem, ſi poteſt, transmittite, idque tàm bono univerſi orbis Chriſtiani, quàm exitio barbarorum. Helmæſtad. ex acad: Julia pridie Kal. Quinct. cIɔ Iɔ cvI.

THO-

THOMÆ ZAMOSCIO DE ZAMOSCIE, MAGNI ZAMOSCII FILIO, adolescenti generosissimo, Capitaneo Cnischiniensi.

EPISTOLA. IX.

EVenit interdum in celeberrimis emporiis mercatori cuique opulentissimo, sive sua, suorumque incuria, sive adverso casu, [quoniam sæpè tempestatibus preciosissimas merces committere necesse habent] ut præter opinionem gravi ære alieno oppressus, ne cum ignominia bonis cedere cogatur, cùm à se ne fœnus quidem possit solvere, versura facta, ad solutionem novum æs alienum contrahat, donec secundæ fortunæ beneficio aliquando respiret, vel emergat saltem denuò è debitis, si amissas divitias infelix recuperare minus queat. Hoc mihi in mentem venit de meis debitis,

tis, diversi prorsus generis, cogitanti. Nec enim inficior, esse me jam ab annis aliquot in ære Zamosciano, ex promisso quodam meo, quo, ultròne an monitus? me familiaribus MAGNI ZAMOSCII, patris tui, sciens volensque obligavi. Cùm enim tantum ἥρωα suspicerem, & ille suam erga me benevolentiam fuisset testatus aliquoties, sponte quidem statim in animum induxi meæ erga ipsum observantiæ signum edere, quale à mea tenuitate proficisci posset: quod cùm ex me audiret familiaris vester David Hilchenius, quîcum mihi longo jam tempore fuisset constans amicitiæ usus, ita me confirmavit, ut tum abeunti à nobis, & postea litteris, fidem dederim, me ex industriæ meæ arcula, aliquid depromturum, quod lectione & luce dignum, & summo viro non indignum æqui censores judicarent. Quod ubi amicorum relatu intellexisset princeps optimus, non solum de mea erga se observantia præclarè judicavit, sed etiam litteris, prorsus singularem erga Paulum Melissun & me benevolen-

volentiam significantibus, aliquid ab utroque nostrum desiderare visus est. Ego promissi mei memor, nulla mutatione consilii, sed virium ingenii considerατione, deliberavi de re non paulũ accuratius. Esse verò mihi aut argumentum tum nobile sumendum, aut laudes Patris tui scripto illustrandas statuebam. A quorum hoc non abhorrui quidem, sed id seponendum in aliud tempus censui, ne in ullam suspicionem adulationis apud aliquem incurrerem. Zamoscius autem cùm in cæteris præclarè à se gestis, non solùm oppidum condidisset, sed etiam academiam dedicasset; ego de rebus academicis aliquid tùm cœpi meditari, quod etsi magnum opus non esset futurum, tamen satis temporis ad inveniendum, nequid necessarium omitterem, aliquid scribendum, ut sententiam animi mei de singulis rectè lector acciperet, exposcere videbatur. Dum in eò sum, neque multum tamen progredior brevi, partim ad minutiora transii, ne promissi oblitus istic viderer, partim in eandem arenam alios pro-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
provocare cœpi. Utrumque pro fœnore futurum credidi, & fuisse existimo. De meis & litteris & lucubratiunculis nihil arroganter dicam: qualiacunque essent, neque meo ipsius judicio magna, grata vobis fuisse gaudeo. Majorem statim iniissem gratiam, si ab altero, quem dixi, misissem, quam expectaveramus, oden, deprompram è Musarum scriniis. In hoc enim genere Melissus valebat plurimum, & egregiam Lyrici carminis pangendi facultatem non in nugas aut viles homines, sed in res magnas, & viros eximios transferebat, exemplo Thebani poëtæ. Pindari enim beneficio à duobus millibus annorum & amplius, vivunt hodie multi, & genere & armis & varia virtute præstantes viri: nos autem ex illis hymnis vitæ utilia multa profectò discimus, quæ alii ignorant, alii nescio quo spiritu fastidiunt. Melissus verò cùm paucis respondisset, non ita multis diebus pòst acri morbo correptus diem suum obiit: atque ita nos illa spes frustrata fuit. Purgandi porrò mei gratia, seu purgandæ moræ,

quę incidit, nihil excogitare, ut faciunt, penes quos aliquid culpæ residet, mihi opus est: res videlicet ipsa pro me loquitur. Namque valetudinis, quæ in ultima ætate vulgò morbus dicitur, ratio mihi habenda fuit: ac propterea senes meditamur lentiùs, & scribimus tardiùs. Nec immunes sumus à privatis incommodis, quibus ratione mederi rectè studemus, quæque eo modo avertere minus valeamus, patienter ferimus, aut ferre conamur: me certè affecerunt magis calamitates hujus loci, partim hîc natæ, partim foris illatæ. Etsi autem interdum ferè ab omni juventute aliis atque aliis de caussis deserta videbatur academia nostra: tamen pristinum ejus statum aliquoties potissima ex parte DEO favente, recuperavimus: verùm hujus rei plenior narratio aliò pertinet. Ipse dum non ago nihil, quod nostri juvenes, quos Zamoscius ipse & alii viri præstantes è Polonia ad me miserant, testati ad vos fuerint, publico sed falso primum rumore adfertur, decessisse magnum Sarmatici regni Cancellarium, eundemque sum-

ſummum militiæ præfectum. Nos verò qui recentiſſimum nuncium Zamoſcia uſque haberemus, famæ aſſenſi non fuimus, quæ tempore ipſo refutaretur. Altero, opinor, anno triſtis idem nuncius eodem modo percrebeſcere: ac tùm quidem nos quoque ſiniſtrè ſuſpicari: denique iſtinc de tuo graviſſimo luctu certiores facti ſumus, non absque dolore noſtro. Vivere enim MAGNUM ZAMOSCIUM, & liberis, & illuſtri generi, & patriæ potentiſſimæ optaremus: viveret idem & nobis, &, quod ad longinquas ſe gentes porrigit, litterarum, ſapientiæque ſtudiis, quæ ejus obitu uno patrono Principe carerent. Nunquam ille de mea fide dubitaverat, quò minus etiam vita mortali exemptum fallere debui. Igitur ut promiſſis ſtarem, non ipſe nihil ſcripſi ſtatim, nec putavi injurium eſſe, etiamſi ab aliis aliquid ſolverem. Fortè enim aliorum, quos ego ſuſpicerem, monumentis magis conſuleretur memoriæ magni viri & incomparabilis (ſic enim nominabant aliquo ſeculo, cujus ſe vix quisquā ſimilē profiteri auderet ob ſum-

mam ejus virtutem & eximia merita) certè non minùs, quàm meo aliquo scripto jejuno & subarido: qualia à senibus expectantur, & raro præstantur uberiora. Monebam apud nos familiarem meum Rudolphum Depholdium, magni ingenii virum, qui, ut semper versatus summo studio in Latinis Græcisque litteris, non pauca scripsisset ad unguem perfecta, obsecutus mihi scripsit, quæ misi, & viris doctis placuisse non dubito. Sub id tempus allatum fuit ad nos & Hilchenii carmen, quo in perpetuis quoque occupationibus ornavit εὐεργέτην: quos ego versus statim, ut hîc quoque legerentur, denuò publicandos typographo dedi. De mea ad te epistola, qua, cùm tui consolandi munus affectandum mihi non putarem, quòd istic non deessent, qui te de omni re rectissimè summaque fide erudirent, unam patris tui laudum partem persequi conatus sum: quæ perstrinxi, alius felicius illustraverit. Cùm verò præterea ita sentirem, ne sic quidem satisfieri promissioni meæ veteri, & admodum calamitoso nostro tempore,

re, quando nihil nisi bellum audiretur, & tantùm milites & arma oculis nostris obversarentur, gravissimo nobis fortunarum & vitæ periculo aliquod mensibus objecto, non nisi de salute mea meorumque cogitarem; accurata epistola rogavi Laurentium Rhodomanum, ut Græcis versibus, in quo genere hoc seculo omnes ferè superabat, multis etiam poëtis veteribus par, Magnum Zamoscium futuris seculis consecraret: id quod facilè persuasi amico, qui in aliis mihi aliquoties morem gessisset. Quid multis? Ille in officio promptus, in scribendo expeditus, citius perfecit eximium carmen, quàm promisit: in quo nihil omnium prætermiit, quæ nobis de virtutibus & meritis Patris tui cognita esse potuerint. Plurima enim alia ab ipso fortiter, prudenter, munificè, & piè designata nemo dubitat, quę singula auditione non acceperimus; adde quod sunt, quæ pleniorem fortè narrationem postulent, quàm quæ numeris facilè comprehendantur: quod & ipse in carmine profitetur. Fuci quoque, more poëtarum,

nihil addit, simplice veritate contentus ipse. Veritatis autem & modestiæ fuit omni vita studiosissimus: in hujus extremo actu maximè, quo tempore hunc laborem susceptum libenter, perfecit feliciter. Id erat autem sub Kal. Jan. cum V. ejusdem è mortalium consuetudine recederet. Meas autem esse partes putavi, ut, quod illi non liceret, cum epistola ex ædibus meis hoc me auctore ab opt. poëta decantatum carmen ad te mitterem. Erit autem omnibus de causis tibi gratissimum: neque id ex pondere, ut populus, qui sensibus judicat, sed ex bonitate, quam sapientes mentis oculis contemplantur, æstimabitis. Neque nos inferiores hac in parte Phrygionibus esse decet, qui non magnitudinem gem̃arum, sed pulcritudinem & præstantiam respiciunt. Hæc unica & vera mihi scribendi caussa, & huic loco à me non temerè destinatum argumentum. Idcirco verò fui longior, ut te & lectorem in haud alienam plurium considerationem ducerem. Jam quod solemnitatis est, nec necessarium tamen, cùm quòd nihil

opus

opus est, tùm quod prçstitum à me fuit olim; tamen non negligam, cùm erga te optimè sim affectus, ut te ad imitandum patrem verbo excitem, sive collaudem, qui paternis vestigiis pulchrè ingredi cœperis, & confirmem atq; obtester, ne ex iis uspiam declines. Nec verò officio tuo defuisse videri poteris, si quam ille acceptam à majoribus dignitatem, quæque ab iisdem cætera bona relicta auxit, tu tuearis, si non dabitur ad illa amplificanda locus, & illibata transmittas ad minores: quorum illud cum difficile esse censeatur, hoc non esse facillimum, & magnæ omnino virtutis, reipsa experieris, quò magis constantiusque tibi in instituto perseverandum intelligis Vale. Helm. ex ac. Jul. Kal. Jul. Quinct. cIↃ IↃ cvi.

EIDEM.

EPISTOLA X.

NE obsoletiores à me solas legeres, recentiores addidi, neque ipsas

argumento necessario, nec tamen alieno, tibique item grato futuro. Nec enim quidquid aspernabere, quod vel à benevolentia profectum, vel è fontibus sapientiæ derivatum intelligas. Aliquoties accepi utrumque, te & tenero esse corpusculo, nec ullo tempore desidem: quorum hoc quis non probet? Sic enim animus & corroboratur, & ad res gerendas præparatur. Nam neque otio ab initio emollitus, neque ignarus necessariarum artium, quidquam viro dignum umquam geret, nedum de patria benè mereri studeat, qui in vita veri boni, solidæque glorię umbram non viderit. Itaque hac in parte laudo te maximè: nec dubito, te valetudinis simul rationem accuratam habere, quę non facilè laboribus, facillimè deliciis & voluptatum studio labefactatur atque diffluit. Neque hæc istic ignorantur: neque non eadem audis totos dies. Iis verò omninò stare debes, quando, quotquot tibi volunt, etiam longè gentium viri docti, eadem dicunt & sentiunt. Addo gravius quiddam à sapienti-

Digitized by Google

entibus celebratum, ut cætera omnia præ virtute & pietate, quamvis splendida in parvis sive mediis habeas, quę, proh dolor, plerique convertunt in vitia & injurias, tu in virtutes convertas & beneficentiam, Patris exemplo, qui acceptis & partis ita semper usus fuit. Quantum illa nuda discrepent à solidis bonis, à pluribus celebratum est, mihi, quæ modò in conspectu habebam non omnibus obvia ascribere ex Isidoro Pelusiota, visum est, quò plus apud te hæc quamvis pusilla epistola ponderis haberet. *Non divitiæ,* inquit, *non vires, non facundia, non splendida aut etiam omnium prima dignitas, non solium præsidum, non purpura, non diadema, tantoperè, possessorem cohonestat, quemadmodum virtus, studium & sapientia.* Hæc sanctus ille vir: tu idem cum audieris, semper senties, parabisque ex hac sententia perpetuam vitæ tuæ regulam, à qua nusquam declines aliò. Vale.

Helmstad. ex academia julia. Kal. Sept. cIↄ Iↄ cvI.

HENRICO JULIO Epiſc. Halber. Duc. Br. & Lun.

EPISTOLA. XI.

Haud dubiè clementer accipiet S. T. ſe his diebus feſtis ſolennibus de re ſacra compellari. Omnis enim de bono academiæ & conſervatione litterarum conſultatio res ſacra eſt. Etſi autem hoc negotium forte alius in ſe ſuſcipiat rectius: tamen nec ipſe perperam fecero, ſi moneam, quod ex publico uſu eſſe intelligam. Si enim hoc citra ſuſpicionem πολυπραγμοσύνης cuilibet noſtrum licet; quantò magis ſeni in hoc genere plus minus an̄is quinquaginta exercito? Quin ſi omittam, ab officio diſceſſiſſe videri queam non injuria. Principium autem & caput epiſtolæ hoc eſt. Quoniam rectum eſt, ſi quiſquam in academia, cujus uſus neceſſarius ſit, deſideretur, is ſingulari ſtudio & cum impenſa adſciſcatur, rectum eſt etiam alterum, & magis in proclivi, ut retinea-

tur

tur, quo absq; publico incommodo carere non possumus. Dimitti autem audio Duncanum [nec referre arbitror, quod hoc ipse petiit] qui jam in academia Julia cum laude & auditorum utilitate annos sedecim docuit. Tradidit initio disciplinas mathematicas in annum nonum publicè, cum privatim quoq; doceret juventutem & alias philosophiæ partes, & principia artis medicæ. Annis deinde abhinc octo receptus in ordinem Facultatis medicæ; hanc ipsam docendo, disputando, scribendo, perpetua & indefessa opera fulcivit potissimum: quod & auditores testantur, neq; collegæ negant, quorum laudi hac illius viri prædicatione nihil detrahitur. Parcovius enim S. T. ἀρχιατρ☉, qui & aulæ præstò est, & medicinam hinc inde feliciter facit, dum in illis ut plurimum est, alterum perpetuò obire, ut velit, non potest. Sigfridi autem munus, quo præclarè & ipse fungitur, certis finibus circumscriptum non ignoratur. Quæ cum ita sint, hinc evenit, ut in academia Julia facultas medica magis floruerit, quàm uspiam in Germania: quæ laus cum academiæ sit, redundat tamen

in i-

in ipsum Principem & senatum Principis: quam laudem & Princeps sibi præripi nolit, & consiliarii e manibus dimittere neque velint, neque debeant. Medicos autem nostros ea integritate esse scio, ut neuter se Duncano scientia artis medicæ & universæ philosophiæ anteferat: nec facile alius inveniatur, qui illi decedenti cum simili dignitate, & discentium pari bono succedat. Non neque hîc quisquam est: nec ipse hinc inde per academias dispiciens, unde accersi possit video, quamvis mago sumptu: & si quis inventus fuerit, ignotus ad ignotos venit, in quo multum esse incommodi dubitari non potest. Duncanus autem, qui etiam ætate jam ad senectutem vergit, præter mathematicas doctrinas, in quibus excellit, nihil omnium philosophiæ partium neglexit, &, ubi antè ostendi, præclarè meritus semper fuit de academia & juventute nostra, quod omnes fateri necesse est: ego quoque, quem ab annis viginti duobus familiariter noverim, virum bonum esse, asseverare non dubito. Ex his quid consilii mei, quid,

quod

quod ad hanc partem ex bono academiæ ſit, intelligitur, nec debet à me exponi verboſiùs. Si dimittetur, Serenitati Tuæ imputari non poteſt in iſtis occupationibus perpetuis, & cura graviſſima de ſumma reipublicæ: non item nos culpa vacabimus, qui tantum virum neglexerimus, non habita ratione tùm academiæ, tum noſtræ ipſorum valetudinis, quòd ἀρχίατρος hinc abeſt ut plurimum. Duncani autem etiam artem & fidem habemus jam exploratiſſimam. Cæterùm hæc mecum meditata ſcripturus neminem in conſilium adhibui, neque cum quiquam de hac re communicandum cenſui, ſciens, quod hujus facerem, in hoc me non errare, qui nihil ſpectarem, niſi academiæ bonum, & præſciens pleroſque diſſvaſuros, quod tamen me rectè facere non dubitarem. Qui autem apud neminem offendere velit, is vix ulla in re quidquam rectè faciet. Ego officium boni viri & academiæ bono jurati ſacio, nihil prorſus ſpectans aliud. Deus benigniſſimus in maximis rebus omnibus, & in hac non penitus

nitus negligenda S. T. præstò sit Helmstad. ex acad. Julia prid. non. April. Die memorabili anno abhinc servatæ S. T. è parricidio. cIↄ Iↄ cvII.

FRID-HULDERICO, Duci Brunſ. & Lunæburg.

Epistola XII.

INtelligo, nihil fere mearum ad te perlatum, præter eas, quas dedi Οἰμιάδῃ ante ver istuc redeunti: nec interea fuit, cui darem. Ex novissimis autem illis meam de salute tua perpetuam solicitudinem videris, quam & in quibuscunque prioribus ostendebam, semper adspergens, quibus animus tuus erudiretur, vel confirmaretur. Namque ut ex tanto terrarum spatio te doceam, nequaquam opus est. Neque enim illic penuria est abundantium præceptis sapientiæ & unus tibi hoc solo nomine præsto est, quem, relatum est nobis sæpius, & ab aliis

aliis etiam creditum, te audire omnium libentissime. Quod si ita se habet, uti mihi persuadeo, dignus omnino es, quem veneremur, & singulari laudum præconio afficiamus: cui etiam omnibus modis gratulemur: quibus aliquando imperabis. *Audire* autem est obsequi cum ratione & benevolentia monenti; quod ipsum est DEO parere, qui dedit tibi Patrem sapientissimum, heroicæ educationis autorem. Et nunc vero, & dum vives, erunt in animo tuo inscripta atque infixa, ut deleri non possint, quæ ad te scripsit proxime: ea absque admiratione nemo legit. Neque eorum quidquam tibi excidit, quæ in pueritia accepisti à Sparra & Depholdio, in adolescentia à Crusio, Deum immortalem, quanto viro! tuæ salutis desiderantissimo; quod & alii omnes, & tu quoque testaberis, quoad vives. Sperabamus futurum, ut ex intervallo tibi reique publicæ benevolentissimum & sapientissimum hominem, iterum quotidie annis pluribus audires: sed jam audieris, quid de eo Moderator omnium statuerit.

Ne-

Nemo non ex ipsius obitu ingentem dolorem accepit. Ego in medio luctu laudationem ipsi scripsi, neque absque prædicatione tui nominis, quam non esse à me temere illo loco positam, probabis non alia re, quam virtute regia & meritis erga patriam, tuos populos dico & universam Germaniam. Ad rem omnium, quæ à te præstari possit maximam, mature accingitor. Vale. Helmst. ex acad. Julia II.X. Id. Oct. clↄ Iↄc IIX.

BOGISLAO XIV. Duci Pomeraniæ.

Epistola XIII.

Non poterat à me ulla alia re majorem inire gratiam tuus Hoimius, quám quod me, ad suos longo intervallo reversus, ad se domum suam accivit, ut eum Principem viderem, quem cum tot annis novissem, siquidem eos novimus, quorum animos virtutemque perspeximus, ne-

ed by Google

que videram, nisi fortè in prima pueritia, neque coràm visurum speraveram. Anni enim me loginquum iter suscipere jam vetant: neque ferè prodeo, nisi in ambulatiunculam circa oppidum, si tempestas sinat. Ubi ad vos veni, ad quos venirem, nesciebant: etsi statim ex adspectu & sermonibus, genero, filio, & mihi suspectum fuit negotium. Dextrè enim mihi suspicionis nomine uti liceat. Non enim fiebat canum & equorum mentio, de quibus regiæ personant, cultrices & magistræ venationis & militiæ: sed de aliis atque aliis ad rempub. spectantibus: idque iis linguis, quæ non sunt neque doctrina aliqua præditorum omnium, quòd nemo non nostrum longinquas & cultissimas quasque nationes adiisset, è quibus vos reduces gaudebamus. In conjectura igitur perseveranti, & admirabundo magis, quàm sciscitanti, non mihi nihil, neque prorsus rem omnem insusurrabat hospes ille noster. Tum igitur paulatim remisi de loquendi libertate, qua apud familiares uti soleo audaciùs, aut etiam inconsideratiùs. Hi

enim mihi dant, sive dare veniam necesse habent, ut seni & patrifamilias: etsi hęc consuetudo jam apud me inveteravit, ut, foris quibuscum cunq; simme religiosè non cohibeam, neque hoc ita possim, ut satis iis faciam, qui verba singula, quasi ad aurificis stateram, expendenda præter meam sententiam judicant. Cum enim, à me quod sibi quis caveat. nemo, nisi suspicax, habeat, ab aliis mihi absque religione caveo, à bonis non opus esse ratus. Etenim integritas, neque cuiquam nocet, neque est cuiquam formidabilis. Nihil à sciente illic peccatum autumo. Si enim mihi de omnibus constitisset, quod mores flagitant, minus à me neglectum fuisset. Si quid licentiùs fortè sit dictum, ac propterea abs te mihi ignosci petam, de te sinistrè suspicari videat. Es enim ea humanitate, & animi æquitate, ut aberranti etiam longius ignoscere ultrò soleas. Quod cum omnes ad humanitatem educatos deceat, nihil magis est regium Itaq; ignosces huic quoq; interpellationi, altius cæptæ, neq; dum perductæ ad limitem. Namq; & in

Digitized by Google

& in ſcribendo morem mihi geram, non proloquens omnia, neque nulla præcidens tamen. Ubi te ipſe aperuiſti ſub veſperam ad abitum paratis: ego factus non jam ſermonibus & vino hilarior, ſed certi Principis præſentia, ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ, valetudini conſulens, domum redii, unaq; mecum gener, qui occuparetur negotiis neceſſariis, præſes ordinis Juriſconſultorum: JOAN. CAROLUS filius, & lubens, & me volente' itemque poſtridie vobis adfuit: quod factum ea etiam gratia probo, ut juvenis mores & animum cognoſceres, cujus ſalus eſſet in fortunatioribus, ſed potiſſimùm patronis meis: quam habet à me nec præter litteras hereditatem aliam. Mihi ſive fortuna minus favit, ſive ipſe ejus benignitatem minus colui, quàm aliqui factum oportuiſſe familiarium judicant. Poſtridie, ſermone, cujus à puero ſecundum uſitatiorem, operam dediſti, me purgavi. Scires etiam, me elegantias non penitùs negligere, quas minus tamen affectarem: neque infitier me non didiciſſe, in quibus neq; fuiſſem ab infantia, neque me confirmaſſem, ut qui

ceremoniis ætatem tribuerint. Utebar ea lingua, quæ me in notitiam, & ab hac in benevolentiam tuam insinuavit: imò hujus tua discendi cupiditas me in admirationem ingenii tui initio traduxit. Rarum enim, Atticas litteras coli à fortunatioribus: novum à Principe. Hujus autem rei cum mihi indicium fecisset magister in litteris tuus Joan. Volcmarius, probus & pereruditus juvenis, me sive monuit, sive commovit, ut ad te litteras darem, quibus te cum in cæteris, tum in his litteris confirmarem, mihi quoque caris & cultis à pueritia. Excitaverat verò te exemplum fratris, Principis PHILIPPI, ut litteris, quibus ille laudem jam fuerat consecutus, has te præterea additurum præ te ferres, & in animum induceres. Neque hic conatus te frustratus fuit, fraternæ virtutis æmulum. Ut à Varno hac migravi anno abhinc vigesimo, vestram benevolentiam, sive gratiam, ut de regibus loquimur, mihi, meisque, sive potiùs musis, conservandam censui. In hoc cum essem, quæstum feci mihi gratum, inventa tibi lau.

bi lau.

bi laudis æternæ materia, ſiquidem à ſapientia laudem ſolidam oriri ſtatuere nobis per alios licet. Multum enim paucis annis in optatis tibi litteris proficiebas, ut cum non pauca legiſſes, quædam ipſe tui confirmandi cauſa ſcriberes. Quod cum accepiſſem, eo ſermone ad te nihilo ſecius, quàm altero dedi, cum tu quoque utroque mihi reſponderes commodè, ut te non in lingua ludere, ſed ex ea mentis ſuccum haurire animadverterem! Tanti ſunt ἐυφυΐα ϗ φιλομάθεια: tanti quoque, natum parentibus, qui ſuos rectè educent: quod Principi BOGISLAO, humaniſſimo Patri veſtro, curæ fuit, cum eandem diſciplinam à patre PHILIPPO, Principe moderatiſſimo, accepiſſet, cujus vita mihi adhuc hæret in memoria ab annis jam unde quadraginta. Tanto enim abhinc intervallo hac mortali vita exemptum recordor: cum anno ſuperiore deceſſiſſet moderatiſſimus & ſanctus Princeps, Chriſtianus Rex Daniæ. Avi regias virtutes nepotes imitari fas eſt, ignorare nefas ſit: ac niſi vobis cognitas eſſe mihi perſuaſum

habeam, longior mihihi nascatur & propemodum in laudationem migrans, epistola. Quod huc potissimùm pertinet, non reticens, repetam, quod neque vos, neque in nationibus vestris quemquam fugit. Patrum nostrorum sivè potiùs avorum sæculo Latinæ Græcæque litteræ cura & beneficio Principum in littore Baltico non minus, quam in reliqua Germania, aut alibi gentium, florere cœperunt: quæ sunt principia, sive primordia studiorum sapientiæ, è quibus solis, vel potissimùm, emergit humana felicitas, quanta illa est: certè barbaries & calamitates hac ratione sive tolluntur sive minuuntur, ut populus respiret, & totæ gentes plusculum sapiant: aut, ut loquar liberius, parcius insaniant: cujus rei exemplo esse potest Italia, itemque pro documento cæteris gentibus. Sive enim omnes bellorum occasiones sustulerunt, sive averterunt, sive natas repente præciderunt, dicto audientes præceptis sapientiæ: velim hæc ipsa exteris item regibus & populis inculcent. Citra verò Alpes etiam non ineuntur nulla

nulla ſalubria conſilia, inteſtinos motus tollentia: quibus ſtudet impietas, & interdum ſuperſtitio. *Nunquam enim vera religio, & ſanctitas ſitit ſanguinem: ſed hoc opus eſt Ata & Erinnyum.* Prędicavi hac in re magni muſarum ἐυεργέτου JOANNIS ALBERTI Megapolitani merita: eo ipſo tempore, atque etiam (rectè enim rationem inibimus) antè PHILIPPUS avus tuus, ut erat princeps perpetuus & pietatis & humanitatis cultor: fuit autem muturè auctor, cùm aliis: tùm equeſtri ordini, quibus & eſſet ingenium & ſuppeditarent cætera, non vulgariter excolendi litterarum ſtudia. Evenit, quæ natura rei eſt, ut è Pomerania prodirent brevi plures, cùm qui patriæ, alii alio loco, cum laude bonoque publico ſervirent, tùm qui ab aliis principibus & regibus, quibus poſtea magno uſui & ornamento eſſent, expeterentur. Facile mihi ſit, recenſere plures & ipſos eximios, quibuscum mihi ab annis permultis notitia, cumque nonnullis amicitia fuit. Hujus ſapientis Principis PHILIPPI paternis veſtigiis inſiſtens, ſapiens item princeps

BOGISLAUS, pater tuus, ei studio magis incubuit, quòd res suas magis ipse consilio singulari contraxerat, vobisque à teneris de regia educatione, ut istum patrem decebat, prospexit, usus & hęc benè intelligentium consiliis & opera. Habebat namque in senatu primum GOTISLOBUM ROTERMUNDUM, virum nobilem, qui prę terquam quod veteres cognoverat, à PETRO VICTORIO in Hetruria, cui & ipse tum operam dabam, singularia multa acceperat: nec alia erat mente HENRICUS CAMERARIUS Brunonipolites J. C. & omni liberali doctrina, præter illius ordinis consuetudinem, perpolitus; non dicam de Camerarii popularibus, MARSTALLERIS, qui vobis totos dies aderant, & educationi simul vestræ præerant. MARTINUS enim totus erat in hoc; neq; deerant vobis GERVASIUS & PROTASIUS, hic fori studiis, ille artis medicæ præstans & clarus: meminisse te arbitror, quando ad vos ex academia Megopolitana misi Volcmarium, cui te multum debere, & hoc profiteri,

no

non dubito. Non autem à patre vestro & vobis, uti umbras, litteras cultas scio, quòd honestè habuistis vestros, & præmiis ornatos, habetis etiam non hodiè: quæ exempla sive gratiæ sive beneficentiæ, & cum pluribus veris meritis prædicabuntur, & aliis exemplo erunt. Non degrediar hinc in fratrum tuorum laudes: tuas attingam, quod te ferre posse, & me decere existimem: quin non nisi referam, quod novere, quotquot de te fama aliquid acceperint. Cum enim omnis bonæ doctrinæ sis amans, neque ejus expers, quam & cognoveris, præcepta sapientum tibi non vitâ minus, quàm oratione exprimenda statuis: quò uberiore te prudentia civili instrueres, cultissimas gentes, cum labore, neque absq; periculo, adiisti: quo nomine tibi & fratres, & populi vestri gratulantur: quod neque à nobis negligi debuit. Votum quoque hoc pro te facio, ut, quę tibi parasti animi bona, ea cedant in salutem tuam, patriæ, hoc est, non minus, imperii, quàm vestrarum gentium: quæ ad gloriam primæ sapientiæ, & summæ

BOGISLAUS, pater tuus, ei studio magis incubuit, quòd res suas magis ipse consilio singulari contraxerat, vobisque à teneris de regia educatione, ut istum patrem decebat, prospexit, usus & hęc benè intelligentium consiliis & opera. Habebat namque in senatu primum GOTISLOBUM ROTERMUNDUM, virum nobilem, qui pręterquam quod veteres cognoverat, à PETRO VICTORIO in Hetruria, cui & ipse tum operam dabam, singularia multa acceperat: nec alia erat mente HENRICUS CAMERARIUS Brunonipolites J. C. & omni liberali doctrina, præter illius ordinis consuetudinem, perpolitus; non dicam de Camerarii popularibus, MARSTALLERIS, qui vobis totos dies aderant, & educationi simul vestræ præerant. MARTINUS enim totus erat in hoc; neq; derant vobis GERVASIUS & PROTASIUS, hic fori studiis, ille artis medicæ præstans & clarus: meminisse te arbitror, quando ad vos ex academia Megopolitana misi Volcmarium, cui te multum debere, & hoc profiteri, non

non dubito. Non autem à patre vestro & vobis, uti umbras, litteras cultas ſcio, quòd honeſtè habuiſtis veſtros, & præmiis ornatos, habetis etiam non hodiè: quæ exempla ſive gratiæ ſive beneficentiæ, & cum pluribus veris meritis prædicabuntur, & aliis exemplo erunt. Non degrediar hinc in fratrum tuorum laudes: tuas attingam, quod te ferre poſſe, & me decere exiſtimem: quin non niſi referam, quod novere, quotquot de te fama aliquid acceperint. Cum enim omnis bonæ doctrinæ ſis amans, neque ejus expers, quam & cognoveris, præcepta ſapientum tibi non vitâ minus, quàm oratione exprimenda ſtatuis: quò uberiore te prudentia civili inſtrueres, cultiſſimas gentes, cum labore, neque absq; periculo, adiiſti: quo nomine tibi & fratres, & populi veſtri gratulantur: quod neque à nobis negligi debuit. Votum quoque hoc pro te facio, ut, quę tibi paraſti animi bona, ea cedant in ſalutem tuam, patriæ, hoc eſt, non minus, imperii, quàm veſtrarum gentium: quæ ad gloriam primæ ſapientiæ, & ſummæ

gloriæ cum nos referimus, tum ipsa sponte sua eò contendunt. Vestræ sunt eędem preces, neque nostræ debent esse minus: vestrum autem etiam, in spacio isto regio, quanta studii animique contentione opus est, perseverare. Ad negotia quidem te convertes, quæ sunt ortorum regio loco: forrè & fratres omni benevolentia, sed opera sive consilio sublevabis. Quid enim potius facias, cum & de hujusmodi rebus disserere, nec alia facere didiceris? neque quidquam malis. Pace, qua fruimini, & perpetuò fruamini: convivari, quęq; his adhærent, plebeia sunt: otiosiorum perpetuo venari: neque horum, præcipuè venationis, usus principibus indignus censeatur. In hac enim est belli umbra, & dependet ab hac interdum valetudo: quę alteris etiam labefactatur. Etsi scio neque fratrem tuum principem PHILIPPUM, neque te seponere epulas animi [sic enim & Plato loquitur de studiis sapientiæ] tamen patere, ut te vel hoc nomine collaudem, vel moneam. In quo si cui peccare videar; quanto gravius pec-

peccent, qui vel dolo, vel palam abducunt regum filios á litteris? & quod in ipsis est, ab ipsorum oculis libros sapientiæ, ab auribus salubrium consiliorum auctores semovent? sibi videlicet, & cupiditatibus suis consultum cupiunt, publicam salutem habentes in rebus nihili, sive ambiguis. Talibus neque animi, neque aurium fenestras aperies: neque quis ex ea hominum fece inconspectum tuum prodire ausit. Cum enim te nihil sit humanius, hac in re rectè te difficilem præbebis & alienum. Ut autem te in omnibus perficias, cum cæterorum semper habeas multam manum [principes enim non solum habetis satellites, sed ultrò in aulas aduolant alij, veluti muscæ ad patinas] unum atque alterum tibi adsciscces, qui ipsi quotidiè sint in civili doctrina, in pöetis, in rebus gestis omnium ætatum omniumque gentium, in lectione oratorum, in omnis generis scriptoribus, qui ad vitæ cultum facere videantur. Sumptus hic principi levis est, & per honorificus: quem illi fauum, ex omnis generis floribus legerint

rint, eo tu, bono tuo tuorumque fruêris quotidiè, quoties tibi libebit, & cum seria res agitur, & in ludis & salibus. Ipse quoque à negotiis horulam lectioni tribues. Cum autem priscis Græcis nihil plenius & perfectius, quem præ omnibus cupidè in manibus habeas, divinare ausim: hunc videlicet, ex quo plurimum didiceris olim, à quo quisq; semper abeat alia atq; alia re doctior, τὸν Ὅμηρον λέγω, τὸν κοινὸν, οὐ μόνον τῆς πάλαι ἑλλάδος, ἀλλὰ καὶ πολλῶν προσέτι ἐθῶν παιδευτὴν πρὸς τὸν βίον. Ἐμάνθανον γὰρ τὸν ποιητὴν, οὐ μόνον, οἵτε ὅμοροι ἑλληνίζοντες, καὶ τῶν ἑλληνικῶν γραμμάτων ἔμπειροι, ἀλλά τινες τῶν μακράν. καὶ γὰρ, ὅτε Ἴνδοι, μετενεχθέντα τοῦ ποιητὴν εἰς ἐπιχώριον φωνὴν, καθὼς ἐκ παλαιοτέρων ἱστορεῖ Αἰλιανὸς, ἧδον καὶ ὡσαύτως αὐτοὶ τῶν Περσῶν βασιλεῖς, συμφωνοῦσι δὲ τοῖς πολλοῖς οἱ σοφοί. Οὐδένα γὰρ ὡντινωνοῦν συγγραφέων, μάλιστα δὲ τῶν ἐν πρώτοις εὕροις, οὐ χρησάμενον μαρτυρίοις ἢ διδασκαλίαις, ὡς θείου ἀνδρός. Εἰ δέ γε βούλει, ὦ βέλτιστε Βογησίλαε, ἄκουσον, ὅσω περὶ αὐτοῦ εἷς συγγραφέων συνετώτατος κρίνει. Ὁ μὲν γὰρ καὶ ἐν ῥώμῃ ὑπατεύσας Χαιρωνεὺς, οὕτω φησίν· Ὅμηρον τὸν ποιητὴν, χρόνῳ μὲν τῶν πλείστων, δυνάμει δὲ πάντων πρῶ-

τὸν γενόμενον, εἰκότως ἀναγινώσκομεν πρῶτον, ὠφελούμενοι τὰ μέγιστα, εἴς τε τὴν φωνὴν καὶ τὴν διάνοιαν, καὶ τὴν τῶν πραγμάτων πολυπειρίαν. Εἰκότως οἶμαι ταῦτα λέγει. Ἀπεργάζεται γὰρ τὸν συνετὸν ἀναγνώστην, ἐν ὁποιωδήποτε λόγων γένει ῥητορικώτερον ἐν πάσῃ ἀρετῇ πολὺ βελτίω καὶ θερμότερον, τέλος δὲ καὶ ἐν πράξεσιν ὀξύτερον καὶ δραστικώτερον· ὥστε καθορᾶν, ἃ δεῖ, καὶ τολμᾶν τὰ δοκηθέντα. Ἐκ δὲ τῶν λοιπῶν ἑνὸς προοίσω σοι δύο εὖ ἐχούσας καὶ ἐναργεῖς γνώμας. Εἷς γὰρ τῶν ὑστέρου χρόνου σοφῶν, οὓς τότε σοφιστὰς ἐκάλουν ὅτι οἱ αὐτοὶ, φιλόσοφοι ὄντες, ἅμα καὶ ἐν τῷ λέγειν ἤσκουν τοὺς νέους, Δίων, Χρυσόστομος ἐπικληθεὶς διὰ τὸ τῆς φωνῆς κάλλος καὶ ἀκρίβειαν εἰς τὸν λόγον πλεῖστα ὠφελεῖν τὸν ποιητὴν, καλῶς οἰόμενος. Ὅμηρος δέ, φησι, καὶ μέσος, καὶ ὕστατος, καὶ πρῶτος παντὶ παιδὶ, καὶ ἀνδρὶ καὶ γέροντι, τοσοῦτον ἀφ' αὑτοῦ διδοὺς ὅσον ἕκαστος δύναται λαβεῖν. Λέγοντος δὲ αὐτοῦ μάλιστα περὶ τῶν πρὸς λόγον, φαίην οὐκ ἀπεικότως, ταῦτα οὐχ ἧττον συντείνειν πρός τε ἀρετὰς καὶ πράξεις. Ὁ δὲ αὐτὸς, τίσιν μάλιστα πάντων ἁρμόζει αὕτη ἡ παιδεία, ὁρίζει τούτῳ τῷ λόγῳ. Τὴν δὲ Ὁμήρου ποίησιν, μόνην ὁρῶ τῷ ὄντι γενναίαν, καὶ μεγαλοπρεπῆ, καὶ βασιλικὴν, ἣ πρέπει τὸν νοῦν προσέχειν τῶν ἀνδρῶν μάλιστα

μὲν

μὴν ἄρξειν μέλλοντα τῶν ὅποι ποτὲ ἀνθρώπων. Ὅρα, ὦ Βογησίλαε, τὸ ὡς τὴν ποιητὴν τοῖς τῶν βασιλέων παισὶ μάλιστα πάντων προσίσησι, τὸ δὲ ὡς οὐ παρέργως αὐτῷ ἐντυγχάνειν χρὴ, ἀλλὰ νουνεχόντως, οὐχ ἧττον ἢ τῶν Φιλοσόφων βιβλίοις, ἐν πᾶσι σπουδαζόντων. Μὴ οἰώμεθα δὲ τοὺς τῷ ὄντι θεολόγους, καὶ αὐτοὺς πεπαιδευμένους ἄνδρας, ὥστε μὴ συγκυκᾶν τῶν ἀπαιδεύτων τρόπον τὰς διαφερούσας διδασκαλίας, ἑτέρως φρονεῖν. Τούτων ὁ Βασίλειος, Πᾶσα μὲν ἡ ποίησις, φησὶ, τῷ Ὁμήρῳ ἀρετῆς ἐστιν ἔπαινος, καὶ πάντα αὐτῷ πρὸς τοῦτο φέρει, ὅτι μὴ πάρεργον. Τοῦτο μοι ἐν τῷ παρόντι ἐκ τοῦ συντάγματος τοῦ ἀνδρὸς προφέρειν ἔδοξεν αὐτὸ δὲ, εἰ μὴ ἀνέγνως, ἀναγνώσεις καὶ αὐτός ποτε. Fui autem in hac parte longior, sive loquacior, quàm aut ad te, aut pro re opus sit. Hæc enim & ex vetere disciplina & per annos etiam intelligis. Si opus sit ob rem ipsam, multis jam locis sæpè, alicubi tradidi, alicubi illustravi: in iis etiam, quę cum his ad te mitto, leges nonnulla eôdem spectantia, inter eas epistolàs, quas cum diligentia ad sapientissimi Ducis nostri, HENRICI JULII Filium Principem FRIDERICUM HULDERICUM in Gal-

Galliam ſcripſi. Si ſuſpicer ad te opus eſſe, inſtandum mihi pluribus exiſtimem: & argumenta facilè inveniam, neque deſit commoda atque uberior oratio. Non includo te autem huic ſtudio, tanquam cancellis. Cur enim te ab aliis arceam, è quibus tanquam uberrimis fodinis, aurum ingenii accipias, quamvis multo, tibi tamen jucundo & publicè quoque fructuoſo labore? Et ſuavis autem eſt Xenophon, & inſtillat de omnibus, quæ tractat, ſive etiam attingit, præcepta ſapientiæ. Finem jam ſcribendi faciam: tibi etiam poteſtatem faciam, de iisdem, aliisque quærendi, quæ velis: faciam, quæ in me erunt omnia: neque erit mihi earum rerum penuria, quas ex aliis perennibus fontibus, ſive hauſerim, ſive hauſero. Etenim hodiè, & ad illa reſpicio quotidiè, & familiares, viros doctiſſimos audio, diſcendi ipſe avidior, quàm ad docendum paratior. Vale Helmſtadio ex academia Julia IV. non. Sextil. 1609.

FRID-

FRID-HULDERICO, Principi Brunſ. & Lunæburg.

EPISTOLA XIII.

AB abitu *Ὁιμιάδυ* [HOIMII] à nobis neque ipſi ſcripſimus, neque à quiquam tuorum familiarium interea aliquid allatum fuit. Lutetiam vos migraſſe initio ſuſpicabamur, neſcio è quorum ſermonibus: diverſum poſteà ex aula nunciabatur, quod etiam Galli, qui hac tranſirent, confirmabant: peregrinationem tamen inſtituiſſe aliquot menſium per nonnullas Galliæ provincias, hodie autem ſubſiſtere Pictavii. Ego vero qua in urbe eſſes, minore cum ſolicitudine quæſivi: omnes gaviſi fuimus, vos valere, quod ordine primum eſt, & in eo totos eſſe, quâ gratiâ procul abeſtis à patria, quod tamen potiſſimum. De neutro ſecus à quîquam auditum eſt, quam velimus, & vobis, tibi præ omnibus, expediat, & ex uſu futurum quoque

que ſit tuarum provinciarum. Non poteſt enim fieri, quin quod à teneris facere juſſus, cœpiſti facere alacriter, in eo, non pergas ſolum, ſed magis magiſque procedas: In his primum eſt, de omnibus, quæ in vitam incurrunt rectè ſentire, & ab hoc ſecundum, in recta ſententia perſeverantem, recta velle toto animo: tertius gradus, ut ea ipſa præſtemus quiſque ſuo loco, omni conſtantiâ. Quod ſi Rex vel Princeps reip: negligat, ulterius non adſcendet, qui eſt apex virtutis regiæ: nempe, ut nihil ſit boni, cujus non auctor ſis, cùm aliis, qui tibi proximi ſunt, tùm denique tuis populis, cujuscunque loci ſint atque ordinis. Hac ſolâ vitâ beatus eris, & à tuis avertes miſerias, hoc eſt, conferes in plurimos quantum homo poteſt homini dare boni. Hoc cum præcipuum ſit in vita regia, longè poſitum ſupra potentiam, in qua interdum eſt immanitas, & ſupra ſplendorem, qui occœcat ſæpe aciem humanarum mentium: idem in educatione ad eum finem potiſſimum eſſe & perpetuum debet: neque diffi-

bilis res est, si hoc ob oculos tibi ponas in perpetuum, cæteris utaris, fruaris, ut nihil obstet huic primo regio & divino conatui. Sed ad illud transire nolo denuò, quemadmodum & quibus rebus Rex imaginem Dei referat, potentiâ, sapientiâ, beneficentiâ. Neque volo autem, neque opus est, aut de hoc ipso aut de aliis, quæ huc tendunt, agere pluribus. Non solum enim aures tuæ indies singulos præceptis sapientiæ personant, sed etiam ipsa & ipse legis, & meditaris: nec audis verò quenquam, qui ab his diversa susurret, cavens tibi à pravitate adulantium & calumniantium, grato mortalium auribus artificio: de quibus ante annos plus quam triginta scripsisse me recordor, & fortè cognoveris. Vale

Helmstadio ex academia Julia
XII. Kal. Quinctil.
cIↃ Iↄ cIx.

HEN-

HENRICO JULIO

Præſuli Halberſtadenſi, Duci Brunſvic. & Lunæburg.

EPISTOLA XV.

ETiam ante inaugurationem academiæ Juliæ, cum jam indoles ingenii tui heroica Principum virorum ſermonibus & ipſâ famâ celebraretur, & ab omnibus paſſim prædicarentur ſtudia, quæ literarum & omnis virtutis regiæ ſingulari diligentia, incredibili animi animi alacritate, coleres; ibi tùm de conſilio præſtantium virorum aliquid lucubrationum mearum cœpi ad te mittere, quas in manibus habebam, non alienas à diſciplinæ rationibus, quâ ad imperium patriæ, ſapientiſſimi Patris, Ducis JULII, auctoritate educarere. Ego autem illis auſcultabam, magnopere perſvadentibus mihi utrumque

& hoc me debere Principi patriæ, & quicquid esset, profuturum Principi: neque dissimulabant idem facere ad existimationem meam, neq; forte nullo ex usu meo futurum. Operas porro meas facile quoque probavi educatoribus tuis, & ipsis magnis viris, & doctis, & integerrimis: faciliùs, quod & cum ipsis mihi pridem notitia vetus fuerat, & amicitia non vulgaris. Ab utrisque autem confirmatus, præsertim cum omnibus, qui hoc negotium intelligerent, gratum esse ex re ipsa deprehendissem, perseveravi in instituto, donec accitu vestro in vestram academiam me contuli. Namque quem illius conditor & πρωτακαδημιάρχης munificentissimus secundùm quoque accersierat, benignissimus conservator dimittendum non putabas, amantem cum primis patriæ, & ad hoc munus capessendum serio paratum. Migravi huc anno abhinc vicesimo, bono etiam, uti speró & autumo, publico, in quo mihi bonos & doctos suffragaturos non dubito, cum hos, qui hæc coram adspexerunt, tum longin

qui-

quiores, qui vel omnium relatu, vel ex ingenii mei monumentis idem comperierunt. Cum liceret autem mihi citra oſtentationem eſſe ſuper hac re uberiori, quod vera referrem citra cujusquam injuriam, agam tantum de hoc quod inſtitui. Primum autem quæcunque à me ſcripta atque edita & præſtita inſuper ſunt, tuę bonitati accepta ab omnibus rebus referri volo, & ipſe accepta refero: neque tamen non ex eo tempore mihi curę fuit, ut alia atque alia tibi peculiariter conſecrata & tuæ cenſuræ dexterrimo judicio ſubmiſſa in illuſtri tuo nomine apparerent publice: in quibus & ea recte, ni fallor, numero, cum quæ *Principi* FRID. HULDERICO, primo natu Filio tuo, alia atque alia, alio atq; alio tempore, qua fide & comitate fieri potuit, coram expoſui, tum quæ ad ipſum, ſi qua ſcribendi eſſet commoditas, conſignavi accuratius. Neque earum epiſtolarum nullas in lucem dedi: neque nolim univerſas â quibuscunque legi, cenſeri â bonis intelligentibus. Sic enim magis conſtet,

tradi à me & prioribus consentanea, & vera & in eum finem, quem oporteat. E penuario autem non tam meæ, quam veterum sapientum doctrinæ depromo nunc, & tibi, cum nostro tum omnium liberalium studiorum ἐυεργέτῃ facile principi offero & dico ΦΙΛΟΞΕΝΟΝ, & unà nonnulla alia, quorum partim bis mensibus, partim aliquot annis, antè profutura, uti spero literarum & sapientiæ cultoribus, conscripsi. In hoc enim incubui, ut, cum nemini bonorum hîc quicquam grave, veritati congrua essent in omnibus, quæ cujus generis cunque sint, ea cœtibus mortalium saluti esse necesse est. Ita enim hæc constituit Pater universitatis, qui tibi, Princeps optime, vitam & diuturnam felicitatem largiatur ex isto fonte in tuos populos uberrime promanantem.

Helmstadio, ex academia Julia V. Kal. Octobr.
cIↃ IↃ CIX.

PHI

Digitized by Google

PHILIPPO II.

Duci Pomeraniæ.

Ep. XVI.

QUod medii loci non multi etiam aliquando aſſequuntur, id mihi in hac conditionis tenuitate bono fato obveniſſe familiares judicant. Fateor ipſe cum præfatione modeſtiæ, me à puero carum fuiſſe bonis & doctis viris, & cum ætate innotuiſſe pluribus, quibus indoles mea, & in litteris diligentia probatur, quæ tanta non erat, quanta in me obſervantia eorum, à quibus me amari crederem. Qui mihi volebant, aliis me porrò tradebant: in qua narratione ad tantum Principem ſcribens multus eſſe non debeo: & fortè etiam ſic venia petenda ſit, quam

mihi non negabis, ubi intellexeris, quare hoc principium epistolę fecerim. Ipse autem quò me placere vidi pluribus, pluribus esse notior desiderabam: quod ipsum mihi ad amplioris doctrinæ & probitatis studium calcar erat. Fuisse autem illam adolescentis ambitionem neque diffiteri velim, quod clarissimis viris pluribus studui innotescere: quorum etiam benevolentiam ab omnium humanitate facilùs obtinui, quòd ad eorum imitationem maturè me comparabam, & fortè citiùs in scribendi arenam prodii, quàm oportuerit, quod eadem stultitia à multis parvi ingenii, nullius profectus, & primæ ætatis, in hunc diem quoque frequentatur, aut hodie mihimet ipse probem, cogitanti, fuisse satius, in discendo tantùm progredi: sed mea fortuna me jubebat docendo discere, quæ non nisi labrorum tenus degustassem. Per notitiam autem clarorum eorumque præstantium virorum, & hoc præcox ingenii ostendendi studium, fortunatis & Principibus cœpi innotescere, qui & beneficiis me adficerent: quæ eò liben-

Digitized by Google

bentiùs in me contulere, quò me minus inhiare commodis deprehenderent: faciebant hoc, ſive ut mea ſtudia foverent, atque ante omnes εὐεργέτης meus JOAN. ALBERTUS Megapol. ſive ut me confirmarent, ſibique magis devincirent, ſive meam penuriam ſublevarent ultrò, nec abundantis, etſi ubi eſſem, liberaliter haberer: quod ipſe ſoleo prædicare, nec ignorans de negligentia in re familiari me reprehendi, quam artem cum non didicerim, ſerum eſt hodiè mihi novæ incumbere, quæ interdum hominis ingenium flagitat. Ego porrò vivam propagans hæc ſtudia, contentus litteris, amicitia æqualium, Principum benevolentia. Hac autem gratia afficior potiſſimùm, quæ à bonitate genuina veſtra mihi delata fuit. Refero hoc, quia verum eſt, citra jactantiam, magisque, ut intelligatur eſſe reges & proceres, & ipſos ſtudiis ſapientiæ eruditos, & curatores hujus ordinis munificos. Et autem in Germania plures, neq; nulli ultra iſtos limites Principes, in ſingulari gratia me habuere,

ut accepi, educavit: quorum alii finem studiorum assecuti sint, alii expectationi paternæ satis propediem facturi videantur. JOACHIMUS autem imbutus à puero bonis moribus, & necessariis variæ bonæ doctrinæ principiis instructus, maturè se juris civilis studio dedidit, quòd ita Patri videretur, & amici consulerent. Cum adolescens in academiam Regiomontanam venisset, D. Lævini Buchii, doctoris publici, & D. Balthasaris Brunspergeri, consiliariorum Principis, consuetudine, & consilio potissimum, nec infeliciter, usus fuit. Ratus autem & alias sibi adeundas academias, Rostochium se contulit, & eo loco usus fuit jurisconsultis clarissimis, primò omnium longè doctissimo, vetere amico meo D. Ernesto Cothmanno: qui & ipse docet publicè, & est in præcipuis aulæ Megapolitanæ senatoribus, vir magni judicii, & accuratissimorum consiliorum scriptor. Ibidem & alios colebat, & D. Thomam Lindeman, quem à consuetudine Etrusca mihi quoque laudavit filius meus Jo. Carol. Caselius

lius. Rediit Fabricius paucis antè mensibus in ac. ad Viadrum, ut viveret patriæ propior, & ubi vellet, sibique ex usu duceret, magis innotesceret: ex quo loco cum pluribus apud nos petitum dignitatem jurisconsulti huc venit, nec absque prestantium virorum, cum ad alios, tùm ad me, litteris: carum autem esse ipsum cumprimis intellexi theologo CL. D. Joanni Hederico, amico item veteri meo, atque etiamnum caro academiæ Juliæ. Cum autem hic se probarit in illa utili, & nobili disciplina disputando, & respondendo, tàm in auditorio, quàm ordini jurisconsultorum, non egebat ullam in partem meis litteris: quas tamen, quia sibi ex academia venienti profuturas putabat, libenter in patriam proficiscenti dedi: aditum habebit, & in conspectum Principum, & ad aulæ senatum. Ille autem, uti spero, neque meas litteras fallet, neque vestram de ipso spem frustrabitur: quod etsi curæ sibi per se habebit maximè, tamen abeuntem monui, & obtestatus sum solicitè cum id ad meam quoque existimati-

& hoc me debere Principi patriæ, & quicquid esset, profuturum Principi: neque dissimulabant idem facere ad existimationem meam, neq; forte nullo ex usu meo futurum. Operas porro meas facile quoque probavi educatoribus tuis, & ipsis magnis viris, & doctis, & integerrimis: faciliùs, quod & cum ipsis mihi pridem notitia vetus fuerat, & amicitia non vulgaris. Ab utrisque autem confirmatus, præsertim cum omnibus, qui hoc negotium intelligerent, gratum esse ex re ipsa deprehendissem, perseveravi in instituto, donec accitu vestro in vestram academiam me contuli. Namque quem illius conditor & πρωτακαδημιάρχης munificentissimus secundùm quoque accersierat, benignissimus conservator dimittendum non putabas, amantem cum primis patriæ, & ad hoc munus capessendum serio paratum. Migravi huc anno abhinc vicesimo, bono etiam, uti spero & autumo, publico, in quo mihi bonos & doctos suffragaturos non dubito, cum hos, qui hæc coram adspexerunt, tum longinqui-

quiores, qui vel omnium relatu, vel ex ingenii mei monumentis idem compererunt. Cum liceret autem mihi citra oſtentationem eſſe ſuper hac re uberiori, quod vera referrem citra cujusquam injuriam, agam tantum de hoc quod inſtitui. Primum autem quæcunque à me ſcripta atque edita & præſtita inſuper ſunt, tuę bonitati accepta ab omnibus rebus referri volo, & ipſe accepta refero: neque tamen non ex eo tempore mihi curę fuit, ut alia atque alia tibi peculiariter conſecrata & tuæ cenſuræ dexterrimo judicio ſubmiſſa in illuſtri tuo nomine apparerent publice: in quibus & ea recte, ni fallor, numero, cum quæ Principi FRID. HULDERICO, primo natu Filio tuo, alia atque alia, alio atq; alio tempore, qua fide & comitate fieri potuit, coram expoſui, tum quæ ad ipſum, ſi qua ſcribendi eſſet commoditas, conſignavi accuratius. Neque earum epiſtolarum nullas in lucem dedi; neque nolim univerſas à quibuscunque legi, cenſeri à bonis intelligentibus. Sic enim magis conſtet,

tradi á me & prioribus consentanea, & vera & in eum finem, quem oporteat. E penuario autem non tam meæ, quam veterum sapientum doctrinæ depromo nunc, & tibi, cum nostro tum omnium liberalium studiorum ἐνεργετῶν facile principi offero & dico ΦΙΛΟΞΕΝΟΝ, & unà nonnulla alia, quorum partim his mensibus, partim aliquot annis, antè profutura, uti spero literarum & sapientiæ cultoribus, conscripsi. In hoc enim incubui, ut, cum nemini bonorum hîc quicquam grave, veritati congrua essent in omnibus, quæ cujus generis cunque sint, ea cætibus mortalium saluti esse necesse est. Ita enim hæc constituit Pater universitatis, qui tibi, Princeps optime, vitam & diuturnam felicitatem largiatur ex isto fonte in tuos populos uberrime promanantem.

Helmstadio, ex academia Julia V. Kal. Octobr.
cIɔ Iɔ CIX.

PHI-

PHILIPPO II.

Duci Pomeraniæ.

Ep. XVI.

QUod medii loci non multi etiam aliquando aſſequuntur, id mihi in hac conditionis tenuitate bono fato obveniſſe familiares judicant. Fateor ipſe cum præfatione modeſtiæ, me à puero carum fuiſſe bonis & doctis viris, & cum ætate innotuiſſe pluribus, quibus indoles mea, & in litteris diligentia probatur, quæ tanta non erat, quanta in me obſervantia eorum, à quibus me amari crederem. Qui mihi volebant, aliis me porrò tradebant: in qua narratione ad tantum Principem ſcribens multus eſſe non debeo: & fortè etiam ſic venia petenda ſit, quam

mihi non negabis, ubi intellexeris, quare hoc principium epistolę fecerim. Ipse autem quò me placere vidi pluribus pluribus esse notior desiderabam: quod ipsum mihi ad amplioris doctrinæ & probitatis studium calcar erat. Fuisse autem illam adolescentis ambitionem neque diffiteri velim, quod clarissimis viris pluribus studui innotescere: quorum etiam benevolentiam ab omnium humanitate facilùs obtinui, quòd ad eorum imitationem maturè me comparabam, & fortè citiùs in scribendi arenam prodii, quàm oportuerit, quod eadem stultitia à multis parvi ingenii nullius profectus, & primæ ætatis, in hunc diem quoque frequentatur, aut hodie mihimet ipse probem, cogitanti, fuisse satius, in discendo tantùm progredi: sed mea fortuna me jubebat docendo discere, quæ non nisi labrorum tenus degustassem. Per notitiam autem clarorum eorumque præstantium virorum, & hoc præcox ingenii ostendendi studium, fortunatis & Principibus cœpi innotescere, qui & beneficiis me adficerent: quæ eò li-
ben.

bentiùs in me contulere, quò me minus inhiare commodis deprehenderent: faciebant hoc, ſive ut mea ſtudia foverent, atque ante omnes εὐεργέτης meus JOAN. ALBERTUS Megapol. ſive ut me confirmarent, ſibique magis devincirent, ſive meam penuriam ſublevarent ultrò, nec abundantis, etſi ubi eſſem, liberaliter haberer: quod ipſe ſoleo prædicare, nec ignorans de negligentia in re familiari me reprehendi, quam artem cum non didicerim, ſerum eſt hodiè mihi novæ incumbere, quæ interdum hominis ingenium flagitat. Ego porrò vivam propagans hæc ſtudia, contentus litteris, amicitia æqualium, Principum benevolentia. Hac autem gratia afficior potiſſimùm, quæ à bonitate genuina veſtra mihi delata fuit. Refero hoc, quia verum eſt, citra jactantiam, magisque, ut intelligatur eſſe reges & proceres, & ipſos ſtudiis ſapientiæ eruditos, & curatores hujus ordinis munificos. Et autem in Germania plures, neq; nulli ultra iſtos limitos Principes, in ſingulari gratia me habuere,

& habent: quorum unus, Zamoſciu ad Lipſium, ad Meliſſum, & ad me litteras miſit cum muneribus, quæ viri erga ſapientiæ ſtudia admirabile ſtudium teſtarentur. Tuam autem, Princeps PHILIPPE, veterem gratiam illam, qua me porrexiſti proſequi nunquam reticebo: cumque fama prædicet, & ego non dubitem, de tua regia virtute atque diſciplina, hic ſuper hac re orationem ſiſtam. Diſſimulare autem non poſſum, me Regum & Principum gratia confirmatum mirificè ad hoc munus ornandum, quoad vivo & valeo. Neque quis dubitet, me in multa ſenecta, & quorumdam ſive malevolentia, ſive judicii perverſitate, ex eadem gratia nonnihil conſolationis petere. Etſi autem nemo non per ſe gratiam Regum & præſtantium quorumque virorum benevolentiam tuetur, quantum quiſque poteſt: tamen mihi hujus animi ſingularem fuiſſe pluribus jam annis cauſſam, affirmare poſſum: quòd videlicet gratioſior, ut mihi perſvadeo, audeo commendare alios atque alios, quarumque diſciplinarum cul-

Digitized by Google

cultores, & amicis paribus, & ſummis Mecœnatibus, Principibus autem in univerſum litterarium negotium. Hoc facio crebro non rogatus, illud plerumque monitus. In commendandis autem quibuscunque diſpicio, ut rectè me geram; neque cujusquam, de quocunque ſcribam, judicio præjudico, neque niſi explorata ſcribo: interdum commendo, ſic me plus profecturum ſperans, antè cognitos & caros, ut principes cives & ſubditos habent præ exteris. Rarò hujus generis litteras conficio ad Principes, ne importunus eſſe videar. Has optem tibi gratas accidere, & ſic ſpero: primùm, quòd veſtri ſunt obſervantiſſimæ, uti de me meritum veſtrum eſt, deinde, quòd eas fert juvenis, tuus à majoribus, è veſtra provincia propè Stargardiam ad Inum oriundus, JOACHIMUS, filius docti viri ALEXII FABRICII, eccleſiaſtæ, in ſuo etiam ordine, admodum honorati. Patrem hoc quoque nomine & ipſe magni facio, quòd filios quinque ad pietatem & virtutem in litteris magna diligentia & cura, ut ac-

ut accepi, educavit: quorum alii finem studiorum assecuti sint, alii expectationi paternæ satis propediem facturi videantur. JOACHIMUS autem imbutus à puero bonis moribus, & necessariis variæ bonæ doctrinæ principiis instructus, maturè se juris civilis studio dedidit, quòd ita Patri videretur, & amici consulerent. Cum adolescens in academiam Regiomontanam venisset, D. Lævini Buchii, doctoris publici, & D. Balthasaris Brunspergeri, consiliariorum Principis, consuetudine, & consilio potissimum, nec infeliciter, usus fuit. Ratus autem & alias sibi adeundas academias, Rostochium se contulit, & eo loco usus fuit jurisconsultis clarissimis, primò omnium longè doctissimo, vetere amico meo D. Ernesto Cothmanno: qui & ipse docet publicè, & est in præcipuis aulæ Megapolitanæ senatoribus, vir magni judicii, & accuratissimorum consiliorum scriptor. Ibidem & alios colebat, & D. Thomam Lindeman, quem à consuetudine Etrusca mihi quoque laudavit filius meus Jo. Carol. Caselius

lius. Rediit Fabricius paucis antè mensibus in ac. ad Viadrum, ut viveret patriæ proprior, & ubi vellet, sibique ex usu duceret, magis innotesceret: ex quo loco cum pluribus apud nos petitum dignitatem jurisconsulti huc venit, nec absque prȩstantium virorum, cùm ad alios, tùm ad me, litteris: earum autem esse ipsum cumprimis intellexi theologo CL. D. Joanni Hederico, amico item veteri meo, atque etiamnum caro academiæ Juliæ. Cum autem hic se probarit in illa utili, & nobili disciplina disputando, & respondendo, tàm in auditorio, quàm ordini jurisconsultorum, non egebat ullam in partem meis litteris: quas tamen, quia sibi ex academia venienti profuturas putabat, libenter in patriam proficiscenti dedi: aditum habebit, & in conspectum Principum, & ad aulæ senatum. Ille autem, uti spero, neque meas litteras fallet, neque vestram de ipso spem frustrabitur: quod etsi curæ sibi per se habebit maximè, tamen abeuntem monui, & obtestatus sum solicitè cum id ad meam quoque existimati-

mati-

mationem pertinere videatur. Vale Princeps clementissime & in multa pace longam ætatem justissimè, & felicissimè, cum salute tuorum & imperii, guberna remp. Helmstad. ex ac. Jul. Kal. Octob. clↄ Iↄ cx.

FRID-HULDERICO,
Duci Brunsvicensi & Lunæburgensi.

Epist. XVII.

Quamprimùm tibi ex meis erga te singularibus & perpetuis studiis constabat, quanto te animi cultu prosequerer, statim non tenue præmium meæ illius observantiæ referebam. Quoties enim te viderem, omnibus signis tuam mihi benevolentiam ostendebas. Erat hoc, & semper est indolis heroicæ argumentum, sicut & alterum, ut in eo, quod

sum-

ſumpſerit, vel exorſa ſit, perſeveret. Quod te cum in aliis rebus, tùm in hac facere deprehendi. Etenim, ex quo tot annos longè abes à patria, de tuo in me animo me certiorem facere non deſinis, miſſis ſubinde ſponte tua litteris. Quo ipſo facto confirmaſti cùm plurium, tum meam potiſſimùm expectationem; etiam quod ad plura attinet. Litteræ enim, quas non extorqueant negotia, humanitatis nunciæ ſunt, quæ primaria virtus eſt, & regia, etiam ſummo Numini tributa à ſapientibus: ſecundo loco in florente ætate profectum indicant, quem in eo, quod quis præcipuè agit, ponimus. Ex iisdem enim ſcimus, te intereà, præ aliis ſtudiis fuiſſe in ſtudiis doctrinæ, quod etiamnum agis ſedulo; neque tamen ad te ſcribens profectum innuo, qui in diſſerendo vel ſcribendo eſt, ſed qui in percipiendis, diſcernendis, & judicandis omnibus, quæ geruntur inter mortales. Neque paullò hæc diſciplina ſublimior eſt, magiſtra ipſa, eademque illuſtris regina virtutum omni-

omnium, Prudentia dicta, ipsa virtu
regia, conda proma consiliorum salu
tatium, è quibus felicitas pullulat, cu
tua ipsius, tum tuorum omnium, re
dundatura in vicinam, in universa
Germaniam, ad futuras quoque ætate
Neque interea audivi neminem, q
cùm etiam longè gentium fuisset in tu
is familiaribus, me de tua, sive in me, s
ve in litteras benevolentia confirmare
namque utrumq; perinde habeo, quo
non nisi ex litteris tibi devinctus initi
sum. Non referam, quæ de te, ut spe
rarem, prędicarim ad alios, sivè per lit
teras, sive in familiari sermone: nequ
prędicabo, quæ pro te & salute tua, du
abes, vota fecerim: denique fide
meam & solicitudinem de te ex aliquo
meis epistolis deprehenderis: quaru
aliquas Lutetiam perlatas arbitror. Ne
que vero, si fortè mearum unæ atqu
alterę perierint, aliquid jacturę feceri
quando pleræque non adeò dissimili
argumenti sunt, & mirum non sit, si ea
dem interdũ verba etiam inter scriben
dum recurrant. Namque & observanti
causa scribo, & injicio aliquid, quo
deprom

depromptum è monumentis ſapientum, tibi utile eſſe poſſit. Ejus generis noviſſimè aliquas certo homini, hac in Galliam properanti, & ſtatim in Britanniam trajecturo, dederam, quæ ut ex tempore rationem ineo, reddi non potuerint. Aliquantò enim pòſt adferebatur, te cum familia veniſſe in Belgium, & expectari ſub Auguſtum à Sereniſſima Matre, & ab omnibus tuis. Quod cum hac denuo adferretur, his diebus de ſalvo in tuas provincias reditu etiam privatim tibi gratulari volui absque ſplendore, brevi epiſtolâ. Nec enim probo orationem æmulantem pompas regias, quas admiratur & prædicat populus. Non autem ſum de iis ſollicitus aut curioſus, quæ à tuis non minus, quàm à te ex tot annorum peregrinatione, referri prædicarique, neque minus verè, poſſunt: de quibus multos etiam menſes ſciſcitabuntur ex aliis atque aliis alii atque alii, quæ nec ipſe audire nolim: neque tamen ignoro, etiamſi nemo narret, non tantùm quod fama pridem pleraque attulit, ſed quòd cum ejus generis multa viderim,

 plura

plura plus uno seculo audierim, plurima è monumentis litterarum lectione cognoverim. De quibus cum è nemine scisciter, quod si faciam, curiosior gravibus viris & prudentibus, & ipsemet mihi videar, idcircò in pręsentia nihil verborum faciam. Verbo dein colunitate vobis gratulor, quod vel in pericula, quæ peregrè profectis obveniunt, neque rara & interdum gravia, non incidistis, vel è quibusdam præsentibus, ut audio cum DEO emersistis. Quæ autem accepta sensibus animo tecum retulisti, mentis bona, de horum adeptione felici & possessione certa tibi, hoc mei potissimum officii & meæ ætatis esse ratus, ex ani. gratulor. Ea olim hic tot annos minori à me omnia explicari nondum poterant, etsi quædam semina disciplinæ regiæ jaciebamus, cum princeps præesset educationi tuæ Adamus Crusiades, te doceat Rudolphus Depholdus, quibus alii quotidie succenturiati & nos quoque veniremus. Sed nostra studia tibi patriæque debita non ostento: & præstare majora debuimus: quæ & pręstitis-

ſtitiſſemus, & præſtare non minus, ut præſtita fuere alibi, potuiſſemus. Veritas namq; ubiq; terrarum eadem eſt, apud ſcientes veritatis: qui iidem & juſtitiam & felicitatem publicam in oculis habent, & in animo. Verum te, cum in vicinia iterum & cum omnium noſtrûm periculo turbaretur, conſilium ſapientiſſimi Parentis eò ire juſſit, quo maximè expediret, quod ipſa mater de ſalute tua maximè item ſollicita probaret. Quocunque locorum veniſti, & exempla fuere tibi ante oculos, & audiviſti ſapientes, & legiſti ipſe decreta ſapientiæ. Hac fallere non poſſunt, ſapientes nolunt: exemplorum autem ipſos ſapientes quoque cenſores puta, ſed ipſam ſapientiam certiſſimam minimèque fallacem regulam non minus Regibus, quam humillimis. Reges enim, ut Divino imperio neque exempti ſunt, neque eſſe velint, ita tenentur ejusdem majeſtatis legibus; quas qui potentiſſimus & violentiſſimus violat, illi, ut eſt in veteri verbo, δίκης τέλος οὐχὶ χρονιστόν, οὐδὲ παραιτητὸν, εἰ καὶ Διὸς ἔκγονος εἴη.

Etiam vero in familia tua semper erat præter hos, qui tibi in ministeriis præstò essent, præstantes viri, qui te eadem docerent, quæ ab aliis posses accipere, cum didicissent eadem, & quæ didicissent, sentirent: nec unum diem toto ἀποδημίας tempore à te abfuit, qui tibi pro Phœnice à sapientissimis Parentibus additus fuit, vir litteris pridem Clarissimus, & Spectatus antè in educatione juventutis, Joannes Peparinus. Etenim qui Crusiadæ successerat, aulæ tuæ Magister, Joannes Ernestus Hoimiades, magni viri, nequedum à me satis celebrati, Othonis filius, in iisdem litteris hîc educatus, & usu rerum præditus, cum & cognovisset Italiam, & calleret Hetruscum sermonem, quo juvene etiam Persica legatio, & in regia Imperatoris, & porrò, quamdiu ipsi videretur in Italia usa fuerat: hic à te abfuit aliquoties, quod initio admodum mirabar, ut fit, quando rerum sive actionum causas non accepimus, à te ablegatus, quod hoc esse necessarium judicaretur. Idem autem ambo de summa rei sentiunt, & idem eos senti-

ſentire, & idem urgere neceſſe eſt, quibus idem finis propoſitus, nempe ſalus, tuane an reipubl.? ſine tua autem ſalute reip. ſalus fluctuat: & ſalute ſublata reip., fieri non poteſt, ut aliqua ſit Principis felicitas. Igitur hęc tu quoque jam, ſive omnem diſciplinam regiam, præclarè intelligis, natus indole heroica; à prima ætate aſſvefactus moribus regiis, eruditus latinis litteris, (his enim hoc ſeculo nulla ad virtutum educatio carere poteſt) imbutus haud vulgaribus pręceptis ſapientiæ, nec ignarus ſemperque ſtudioſus hiſtoriæ. Hoc omninò eſt, quod præ omnibus aliis gaudere teipſum tibi jubeam, quodque omnes tuos, & conſanguineos dico, & quacunque propinquitate affines, & Brunovicenſes proceres, ipſasque veſtrarum nationum gentes, huic tuæ primę felicitati gratulari oportere exiſtimandum ſit: hoc eſt, quod dignitatis regiæ Auctorem ſuppliciter precemur, ut tibi adeò illuſtrium & cœleſtium bonorum ſtudium, uſus verò etiam & tibi & nobis perpetuus ſit; hoc eſt, quod & ipſe

 hodie

hodie optem, ut aliquid omnium. In-
telligis, inquam, hæc maximam par-
tem: non dicam enim omnia, tum u
omnem assentationis suspicionem à m
quàm longissimè removeam, qui illan
regiarum & omnis vitæ humanæ fla
gitiosissimam & perniciosissimam pe
stem, cum ejus pari, sive jurata socia
calumnia detester omnium maximè
tùm, ne in hac acri militia admini
strandæ reipub., in qua te vigilare pe
petuò dies noctesque oportet, tibi de
sidiæ ulliusve remissionis auctor sim
aliisve esse videar. Quin quotquo
sunt & docti & boni, & in rebus o
salutem publicam versati te amabun
& prædicabunt, si quæ habeas ejus ge
neris bona, ut habes prima & opti
ma, non solum quia prima sunt in o
ptimis, sed quia principiis quoque pe
cepisti sublimiora: quæ cognita jar
probè omni studio religiosè serves, &
porrò maximâ curâ augeas, ut Pers
gazas Persicas: neque minores thesau
ros in animum tuum, certè diviniore
infers, quàm in templum Pacis intu
lerunt Romani. Natura autem hæ

re

rei eſt, ut quam ſive doctrinam recordemur, ſive virtutem uſurpemus, eam ſimul confirmemus & multiplicemus: relicta autem, tam una quam altera, minuantur, ac denique evaneſcant. Exemplo eſſe poſſunt, qui fidibus canunt: ipſi etiam artifices, feriati à cithara aliquot annis ſeſe fiunt deteriores. Etiam tibi Gallicæ linguæ ſcientisſimo eveniet, ut ſineque cum alio ſermonem conferas, neque illa monumenta manibus verſes, quod modo ſciat, ex aliquo intervallo neſcias. Tu vero diſciplinam regiam duabus de cauſis obliviſci neque voles, [malus autem ſit qui faciat, & impius, quorum neutrum in indolem ſuam herois ex heroibus cadit, neq; poteris, & ex iisdem augebis & confirmabis. Nam ſive quæ intelligis, ages, ſive recognoſces præcepta utrumq; illud futurum eſt. Namq; te ſtatuere pro explorato habeo, quæ ſapientes, inventa multis ſeculis, & vivendo confirmata, ab ultima hominum memoria monumentis litterarum conſignata, nobis prodidere, non eſſe inanias ſive meras nugas, ut aberrantes à recta ratione,

 ho-

horumque alii aliis cupiditatibus duc
forte garriant, idque apud sui simi
facilè obtineant; certa autem esse
immota decreta sapientiæ; & orac
non quædam ambigua Delphica, s
cœlo ab ipso Deo monstrata gen
mortalium. Neque quis me loqui
iis suspicetur, quæ otiosi iidemque i
docti sophistæ passim blaterant, qui n
ad salutem publicam, nec ad justitia
nec ad veritatem respectum habe
Ita cum sentiamus, ac tu ipse ni
ambigens sentias: neque te eadem
gustare, neque me eadem lucubrat
nibus decantare tædebit. Plures i
menses sunt, quando super hoc arg
mento me novum laborem succepi
& ad plures scripsi, & literis te doc
Fui autem exorsus eam lucubratione
occasione data ab hospitibus, qui
lim hic quoque mihi perfamiliares f
rant. Ajebant enim, hæc quæ p
didissent sapientes, quibusdam jeju
& propemodum falsa aut certè ine
videri, si cum iis comparentur, c
geruntur & asseverantur in regiis, qu
cunque ubicunque gentium, ade
E

Digitized by Google

Ego autem cum ſentiam, quod neque quis omnium neget, qui ſapiat, educationem regiam inſtituendam ad rectam rationem, neque Regum filios in perniciem ſuam & regnorum eſſe ullam in partem negligendos, neq; corrumpendos pravis opinionibus; recogitavi apud me pleraque, non quæ inveniſſem ipſe, aut ſcripſiſſem, in quibus tamen in hunc diem nihil video falſi, neq; quis ſive familiarium ſive averſantium noſtra mihi oſtendit erroris quippiam, ſed accepta ab omnium ſeculorum ſapientiſſimis, & de re ipſâ in univerſum mirificè conſentientibus. In iis etiam repetendis & relegendis poſita opera, quantam hac ætate poſſem impendere, lucubrationem novam exorſus ſum denuo: neque dubitabam, quin quæ explorata haberem, & confirmare, & luculente, aut perſpicuè certè, perſcribere etiam poſſem. Tu namque facile intelligeres, qui eadem didiciſſes, [quanquam diſcendo tantum opus non perficitur] etiam certa viâ atque neceſſariâ. Nam fine propoſito, qui eſt ſalus reipublicæ, quibus

mediis, à quo principio ad illum eatu
quando quæritur, non potest aberrare
qui sanæ mentis sit, & verum videre
& quod rectum est, facere, velit, qua p
est animi contentione & constantia
non secus, quam in certaminibus, q
è carceribus, emissis quadrigis, per sp
tium ante oculos positum, ad metar
strenue contendunt. Progressus au
tem in scribendo aliquo usque, subst
ti, non defatigatus, neque desperans
[namque de præceptis sapientiæ cur
certus sim, invenero, quemadmodum il
la tradam explicatiùs, sed nequa cur
primis necessariorum omitterem: quo
minus facerem, dispiciens, quæ pos
sem, omnia. Cum autem annis jan
pluribus animadverterem, incider
multa quotidie, de quibus Principes
qui jam sedent ad rerum gubernacul
erudiri sive moneri non posse videan
tur, aut ipsi etiam nolint, sive per o
pinionem sapientiæ, quam multi quo
que humiles & imperiti & indocti si
bi persvadent; quædam recensebo ve
vera, plerisque admirabilia & nova
quæ scis à Græcis paradoxa dici: quo
quan

quanquam ex intima veritate depromantur, opinioni multitudinis adversantur maximè. Talia vos discere hac ætate, & reipubl. & vobis expedit. Namque etiam qui cum autoritate sint, ipsi plenè intelligentes omnia, aut non ausint, aut explicandi, quomodo oporteat, rationem non teneante. Taceo, quod avari & ambitiosi pravas & noxias opiniones objiciunt Regum animis, easque pingunt fuco veritatis, ut ipsi gratiam ineant, gratiosi rem faciant, nil denique non utroque possint. Tales occurrisse adolescenti & pænè puero, recordari potes: occurrent juveni plures novis artibus: nec ab hoc satellitio ulla regia fuit, neque unquam erit, vacua. Dabis autem operam & hodie & in perpetuum, ut ingenuam orationem discernas blàanditiis: loquendum enim mihi intelligo, quod à te intellectum, minus offendat aliòs. Ex nostris, pauca erunt, non accipies nulla, & siquis tuis ordinis ipsa legere dignabitur. Sed omnia sive plura Principes

Digitized by Google

disceris ex quotidiana cum aliorum tum historiarum lectione: neque ve summo Imperatori negligenda est le lectio, aut audiendus certè quotidiè qui quæ olim didicerit recordatus, qua que jam legerit, referat, indicet, do nec quis sit, qui esse & velit, & debeat Huic autem studio finis tum demum fa ciendus, quando à cœna vitæ ultim quis eat cubitum. Non negabis, scio ego affirmo. Namque illa hora, si fa cultas ea erit, sacra legemus, audie mus sacra. *Sic sanctè vitæ nostræ receptu canitur.* Ante omnia semper audian Regum filii consiliarios integerrimo quosque & mutos consulant, ut Alfon sus Rex faciebat, & facere suo sapien tissimo exemplo jubebat Principes, ve terum omnis generis monumenta in telligens.

Vale,

Princeps FRID: HULDERICE,

Dives Quietis, Dives idē Gratiæ

Helmstad. ex acad. Jul. Kal. Sext.

clɔ Iɔ cx.

Dn

Digitized by Google

Dn. ADOLPHO FRIDERICO & Dn. JOANNI ALBERTO, fratribus Germanis, Ducibus Megapolitanis, Principibus Vandalorum, Comitibus Sverinensibus, Dominis Rostochiensium & Stargardiensium.

Ep. XVIII.

NEc in genere, quamvis regio, sunt omnia, neque genus illustre nihil pollicetur & præstat; quod cum res ipsa semper probarit, inde nata sunt proverbia, ore etiam populi usurpata, in incultis non minus gentibus, quàm à Romanis, vel Atheniensibus. Hanc rem modo consideranti, veniunt in mentem plura, unum è Saxonici sermonis usu mihi proferre libet: ajunt, poma decidere proximè arborem: quod ut apud nos *αἰνιγματῶδες*, à diversæ linguæ gentibus non subitò intelligatur. Libet autem mihi id inter-

interpretari, si quis fortè exterorum hanc meam lucubrationem legat. In dicatur, qualis sit natura arboris, tales esse solere fructus. Sunt enim u plurimum tales etiam minores, quales majores antè fuerint. Cæterum cum perpetuum non sit, de ingenita excellentia inanium est jactantia, qui quotidie in ore habent imagines majorum sive, ut hoc seculo loquimur, clypeo alios atque alios, & clatratas atavorum galeas. Namque & ex humilibus excitat Deus præstantes: & permittit, ut, si non ex aquilinis ovis columbulæ excludantur, non raro equester progeneret peditem. Hoc cum utrinque animadvertitur, neque humiliores desperant, neque alteri declinant à modestia. Exempla utriusque generis in promptu sunt: mihi quoque mult. innumerato sunt, si verbosior esse vellim in limine epistolæ, quam non nisi brevem meditor. Maneo in sententia utraq;, ut primum emergentium ingenia diu explorem: de iis qui generosi, & cum primis regii sanginis sint, statim & ipse benè sperem, & benè alios sperare

jube.

jubeam. Quare neq; ipſe familiarum conſiderationem negligo, & Principes jubeam majores adſpicere. Itaq; hæc ad vos ſcripturus, Ducum Megapolitanorum familiam recogitavi, etiam altiùs, quàm hic judicium faciendum cenſeam, cum hærerent mihi quaſi in oculis eorum etiam vultus, quos ab annis ſexaginta vidi, plerisq; ipſe notus ex beneficiis, quæ in me pro Principum liberalitate contulerunt, in hunc etiam usque diem. MAGNUS III. laudem juſtitiæ, prudentiæ, fortitudinis, clementiæ, deniq; in Deum pietatis, ſine qua illæ aut ſimulatæ ſunt, aut certè imperfectę, ſingularem promeritus, veſtras provincias tradidit duobus filiis, HENRICO, qui pacificus quod eſſet, pater quoq; patriæ dictus fuit, ut erat [cum ego ſeptuaginta annotum Principem peradoleſcens vidi] & ALBERTO, abavo veſtro, qui Princeps illius ſeculi, & humaniſſimus fuit, & ſplendidiſſimus. Inter fratres convenit fraterne, ut cum in diverſis arcibus, interdum in una eademque, familias haberent, pari imperio gubernarent omnia, communibus popu-

populis benè consulentes, id autem non nisi paternè. Cum Patruo Avus vester, JOAN. ALBERTUS, annis paucis gerebat imperium: de quo orationem funebrem habui, sive potius perscripsi, anno abhinc quincto & trigesimo: etiam sexto abhinc ejusdem optimi sapientissimique Principis laudationem ad vos misi. Volui enim utrumque, & à vobis quoque intelligi, & me hominem gratum, & Nepotum mihi animos devincire, ut Patris quoque & Patrui antè devinxissem. Et verò hoc obtinui, cum illud, quamvis debitum officium, probassetis. Patruo porrò decedenti successit Patruus vester dux HULDERICUS, qui item inter se fraternè, in remp. paterne, provincias Megapolitanas rexerunt. Pater vester JOANNES successit porro Avo: Patruus vester SIGISMUNDUS AUGUSTUS decessit, uti scitis, juvenis admodum: utinam vero supervixisset JOANNES Pater vester. Sanctè admodum à sapientissima Matre constitutum, ut & Patruis & HULDERICO & CAROLO, Megapolin regentibus, in litteris,

ris, cum domi, tum inter peregrinandum, ad regias virtutes ſive veram reipub. hæreditariæ adminiſtrationem, educaremini. Erga reverſos verò iterum meam obſervantiam declaravi, miſſo ad te, Princeps ADOLPHE FRIDERICE, Cruſiadâ, cum trajeciſſes in Sueciam, Princeps JOANNES ALBERTE. His autem diebus etiam añus eſt, quando edidi de patrui veſtri CAROLI vita quædam ad Proceres ſcripta, quæ non vidiſtis ſolum, ſed honorario miſſo, vobis mea ſtudia admodum placere, teſtatum feciſtis. Etiam verò antè, & tum quoque habui in animo, ante plures annos ſcripta, nondum divulgata tamen, ad vos mittere, non tam de vita Clar. V. Soceri mei, ANDREÆ MYLII, qui mihi à prima quove notitia noſtra pro patre fuit, quàm de gubernatione opt. & ſapientiſſimi & beneficentiſſimi Avi veſtri, Principis JOAN. ALBERTI. Multa enim illinc cognoſcetis, quæ ſcire vobis & imitari expediat. Beneficia pridem accepti plurima à quot profeſſus ſum annis antè, quorum

omnium maximum est, quo me in vestris cum habueritis, habetis, semperque habituri estis: neque vero me solum, sed & meos, qui supersunt duo generi, JCti præstantissimi, noti quoque prȩstantissimis viris, qui vobis à consiliis sunt. Filios enim, JOAN. HULDERICUM & JOAN. CAROLUM, CASELIOS, qui paternæ expectationi jam maximam partem satisfecerant, & sibi, passim in Germania & Italia, doctrinæ principum virorum benevolentiam paraverant, JOAN. ULRICUM anno abhinc XV, JOAN. CAROLUM superiore Februario, recepit ad se, qui illos mihi dederat, ut ipsi visum fuit: maluit videlicet eos æterna hȩreditate beare, quàm in hac mortali vita aliis atque aliis ærumnis plures annos exerceri, quod mihi evenit ad annos propè octoginta: quo omni tempore mihi nihil accidit hac mœstitia acerbius, quam ex animo meo delere, neque tempus poterit, neque ullæ rationes: emolliunt fortè aliquantulum hæc ipsa: præ omnibus autem, quòd omni decreto summi Imperatoris

sanctè

ſanctè nos ſubjicimus, quàm humiles, & quàm magni ſumus. Namque hac in parte æquantur omnes, quidquid eſt mortalium. Hoc ipſum cum non minus ſapientiſſimi reges intelligant, humanitatem & ipſi colunt, & omnia convertunt in beneficentiam. Quod de vobis præconium cum omnium ore confirmetur, in hac regiarum virtutum orbita vos tota vita progreſſuros auguror: quæ eſt optata Principum felicitas, vosque proximè æterno Principi collocat: hæc denique etiam voti mei ſumma eſt. Valete Principes generoſiſſimi. Helmæſtadio ex acad. Julia non. Sextil. ɔIↄ Iↄcxi.

Subjungere hiſce lubet Epiſtolam Caſelii ad HENRICUM JULIUM Epiſcopum Halberſtad. & Duc. Brunſvic. & Lunaburg. quæ ſeriùs in manus meas venit, ac tres Petri Victorii Epiſtolas ad JOACHIMUM FRIDERICUM Marchionem Brandeburgenſem ſcriptas, quarum primam magnopere laudavit Caſelius in prima hujus libri ad eundem data.

HENRICO JULIO, Postulato Episcopo Halberstadensi, Duci Brunsvig & Lunæb.

Epist. XIX.

CUm fortè anno abhinc Serenitas Tua sententiam æquam tulisset in controversia academica, ego eam incredibili desiderio à pluribus exspectatam, ac tantum non omnium exspectatione flagitatam, quod nobilis esset caussa, & multis anceps videretur, non solum ad familiares meos, sed & ad Principem & præstantes viros passim gentium misi. Meæ enim existimationis intererat, petita multiplici aliquot annorum calumniâ innocentiam innotescere, quod simul ad S. T. solidamque gloriam vergere intelligebam. Misi etiam ad Illustrem virum & hujus seculi doctorum hominum facil

eilè Principem, Josephum Scaligerum, quòd ille me in hac fortunæ adversitate litteris amantissimis & disertè sapienterque scriptis fuisset consolatus. Rectè ille insolentem contentionum, quamvis senem, in militia rixarum tamen quasi tironem, confirmabat: in quo item laboravere multi alii optimi & doctissimi viri. Non dubitamus autem, quin, modo fasciculus meus rectè redderetur, rescripturus esset aliquid se dignum & respondens meæ familiariumque exspectationi. Qui enim in re dubia me alloquio fuisset dignatus; determinatâ caussâ, de cujus exitu suam solicitudinem ostendisset, nihil scriberet? Erat viri bonitatis & prudentiæ, & studio sapientiæ gratulari, & ejus patronum certissimum veris ad cœlum laudibus tollere. Ego igitur suspicans ex tot mensium silentio meas litteras intercidisse, cum his ipsis diebus denuo scriberem; ecce reddebantur luculentæ Scaligeri litteræ, quæ sex ipsos menses in nautæ ædiculis Rostochii latuerant, ubi fortè adolescens litteratus de suis reculis quærens,

fasciculum reperit. Videt. S. T. pr
stantissimorum hominum de lata se
tentia censuras, sive potius prædic
tiones mirè congruere, & certatim c
cantare laudes sapientissimi Princip
nullo deinceps seculo intermoritur
In quo etsi meæ partes, si gratus e
volo, uti debeo, primæ sunt, tam
aliorum testimonia, ad quod nego
um minus pertinere videantur, p
habitura sunt ad omnem posteritat
ponderis: quo etiam gratius hoc ge
esse S. T. mihi prorsus persvadeo.
Vale Princeps Serenissime. Heln
ex ac. Jul. pridie Kal. Febr. CIↃ IↃ CI

PETRUS VICTORIUS

JOACHIMO FRIDERIC
Marchioni Brandeburgens

EPIST. XX.

STatim ut ego audivi ex litt
probi & eruditi viri Joannis C
selii, te inflammatum studio b
narum artium, etiam in eo honesto
n

nere aliquantum progressum esse, magnopere lætatus sum, cepique ex ea re voluptatem non parvam. Cum semper ipse ingenuis studiis delectatus sim, atque omnem pænè vitam in ipsis consumpserim, quomodo non gaudere debeo, cum video summo loco natos adolescentes iisdem artibus teneri, atque omnibus viribus veram laudem ac dignitatem persequi? Gavisus igitur sum valdè, teque vehementer, Optime & Nobilissime adolescens, subito amare cæpi. Cognovi enim facile, si in eadem pręclara voluntate permanseris, & tibi istam rem magnæ laudi honoriq; futuram, & te quoque ob nobilitatem amplitudinemque tui generis, dignitatis nonnihil his litteris allaturum. Quis enim dubitat, quin recta institutio cognitioque artium honestarum plurimum ornamenti adportet juventuti, & antiquissimam etiam quamque stirpem multum decore valeat? Non sunt contemnenda, quæ nostris in corporibus & extra ipsa etiam collocata sunt. Sed tamen intelligendum est, & à fortuna illa nobis dono data, nec ulla no-

ſtra induſtria parta, & in ipſius rurſus poteſtate, ne dicam temeritate verſari: virtutem autem eximium animi bonum, noſtro labore comparatam, eandemque in ſtabili ac firmo ſolo conſtitutam. Naturam vero hanc eſſe quam oſtendi harum rerum, non ſolum doctiſſimi viri docuerunt, qui non deſinunt clamare, divitias & opes vacuas à virtute nihil juvare, nullumque in ſe verum emolumentum habere, verum etiam poëtæ. Idem enim ipſi quoque ſæpe teſtantur, & illis, qui audiunt aut legunt eorum ſcripta, perſuadere conantur. Ut aliorum autem nunc teſtimonia, quæ paſſim ſe mihi offerunt, ac crebra apud ipſos ſunt, relinquam; Bachylides quoque, qui non omnino gravis ac ſeverus poëta fuit, in cantibus certe lyræque ſonis ingenium ſuum omne contrivit, aliquando cecinit: *Φάσωμεν πιστὸν κῦδος ἔχειν ἀρετάν· πλοῦτος δὲ καὶ δειλοῖσιν ἀνθρώπων ὁμιλεῖ.* Sed non oportet in re tam plana confirmanda diutius laborare, etſi vulgus & imperiti aliter de hoc ſentiunt. Nam quin tu quoq; lucis aliquid ac ſplendoris

ris his ſtudiis allaturus ſis, exemploque tuo non paucos excitaturus, dubitandum non eſt: non quia illa obſcura ſuâ vi, ignobiliaque ſint: contra enim nulla alia de cauſſa ipſa ingenua liberalia vocata ſunt, niſi quia conveniunt ingenuis clarisque hominibus, nihilque in ſe humile aut ſordidum habent, ut aliç nonnullæ, quæ quæſtui potius faciendo, quàm animo expoliendo inventæ ſunt: ſed quia errore quodam horum temporum, atque adeò animi cęcitate, locupletes ac fortunati homines, non valdè ipſa diligunt, niſi potius aliquis credat id fieri, quia illi depravati ſunt corporis voluptatibus, delinitique illecebris ac præſtigiis earum, toto animo ipſas conſectantur. Quæ vita quàm turpis ſit, honeſto graviq; viro indigna, neminem fallit. Hoc igitur fortaſſe facit, ut ab his humaniſſimus litteris illi abhorrere videantur. Nam ipſi quoque puchritudinem ipſarum elegantiamque per caliginem ſaltem videant neceſſe eſt. Nulla enim eſt tanta inſcitia, quæ penitus ignorare litteras, & nullam

partem luminis ipsarum decorisq; se
tire umquam possit. Tanto igitur m
jore tu laude & commendatione dign
eris, qui relicta mala consuetudine
liquorum, nec imitans multos tui lo
atque ordinis juvenes, toto pectore i
cumbis rectis studiis, ac dignæ adol
scenti nobili disciplinæ. Prorsus en
efficies id, quod dixi, ut in vetere
locum istic, unde apud omnes ferè d
jectæ sunt, has humaniores litteras r
stituas. Perge igitur, ac magno fo
tique animo sustine labores, qui in
psis primo percipiendis devitari nul
pacto possunt. Nascentur enim in
redundabuntque in te brevi magnæ
variæ voluptates, eędemque sinceræ
solidæ, nec ulla doloris molestiæq
conjunctione contaminatæ. Non p
sunt vero tibi deesse duces in hac h
nesta ac gloriosa via: inprimis aute
tibi præsto semper erit Caselius, qui
valdè diligit, & amore tuarum laudu
incensus est, quique mihi auctor fu
ut ad te scriberem, ac multa de tua
prima indole summóque ingenio pr
dicavit. Posse autem ipsum hoc eff
cer

cere, & omnes conatus tuos præclarè regere & adjuvare compertum habeo. Ipse etiam, quacunque re possum absens, ac tanto intervallo locorum sejunctus, honori tuo ac gloriæ serviam, pro eximio amore, quo semper veram dignitatem & honestatem colui ac veneratus sum, Vale, & voluntatem hanc meam in te egregiam quæso amplectere. Florentia IIII. Kal, April. M. D. LXIIII.

IDEM EIDEM.

Ep. XXI.

PErvenit tandem Caselius Florentiam, cum Bononiæ prius longo, & periculoso morbo conflictatus esset. Ejus adventus multis de caussis fuit mihi gratissimus. Nam diligo valdè hominem, & non sine causa diligo. Præter enim svavissimos mores, summam probitatem, singularem doctrinam, quibus omnibus ingenii dotibus præclarè instructus est, intellexi illum & multis signis

ſignis plane cognovi, magnum amatorem mei eſſe, & quaſi præconem quendam meæ laudis & nominis. Quare cogor illum amare, & toto animo complecti, quod equidem jam pridem feci, & ſumma ſemper eum voluptate feci: nunc autem ardentius id faciam, poſtquam video, ipſum tantopere tibi, Adoleſcens optime & Princeps præſtantiſſime, carum eſſe, cui debeo quacunque re poſſum, ſervire, & totum me ad arbitrium ſtudiumque tuum fingere. Cum vero quod ad hoc pertinet, te merito antea ſuſpicere & admirari cœpiſſem, ſecutus teſtimonia multorum, qui de indole tua, & ſatis certis eximię virtutis notis, multa mihi prædicarant; ex hac die acrius in eam curam incumbam, quia ex epiſtola tua, pleniſſima amoris, & incredibilis cujusdam humanitatis, id verum eſſe, ac prorſus ita ſe rem habere, perſpexi. Amavi enim in ipſa elegantiam verborum, acumenque ſententiarum. Sed multo magis amavi egregium animum tuum erga bonas artes, téque moleſtias, quæ initio ipſarum perdiſcen-

scendarum necessario sustinentur, contempsisse, & quasi totum illud fastidium, quod multos sępe fortunatos homines, ut verè scribis, non satis rectè inde revocavit, devorasse lætatus sum. Erunt autem si radices ipsarum amaræ fuerunt, quod usu venire à sapientissimis viris memoriæ proditum est, fructus postea dulces, & mira quadam suavitate aspersi. Quare hortor te, & si, ut video admonitore non eges, stimulusque omnis, qui ad te impellendum adhibetur, supervacaneus & importunus est; ut in ista ratione permaneas. Semper autem mihi sententia illa doctissimi & gravissimi viri vera visa est, qui cum scriberet ad opulentissimum regem Alexandrum Macedonem, ipsique diligenter svaderet, ut toto animo incumberet ad orationem expoliendam, putavit, Principes viros, quemadmodum vestimentorum elegantia, ac cetero omni ornatu corporis vincunt privatos homines; ita etiam debere eosdem eloquentia, & facultate dicendi anteire: quia multo puchrius est, ac vero rege dignius, animum habere sapientia ornatū, quàm corpus concinitate illa decoratum:

ratum: neque enim probari posse illos culpæque magnæ sine dubio affines esse, qui cum re ipsa, factisque primum locum inter mortales obtineant, videri merito possint quibuslibet hominibus in studio linguæ facundiæque posteriores. Sed hæc, & alia multa sapientes viri excogitavere, ad id munus obeundum apta, quæ nunc ego relinquam. ne justum modum epistola migret: præsertim cum domi habeas, qui, si opus sit & hæc, & hujusmodi alia quotidie tibi decantare possit. Movit præterea me, ut jam finem præcipiendi facerem, quia habeo in animo ad te aliâs scribere, ad quod faciendum humaniter à te, benevoleque invitatus sum. Semper autem in meis litteris aliquid attingam, quod oleat doctrinam, & quippiam memoria dignum in se contineat. In nulla enim re libentius versor, nec aliquid unquam gero, unde tantam voluptatem capiam, quam cum dissero de studiis bonarum artium, depromoque inde aliquid, quod valeat ad juventutem erudiendam. Quanto majore igitur lætitia afficiar, si sentiam vigiliolas meas

as fructum aliquem ferre fortunatiſſimis adoleſcentibus, ſummo loco natis? qualis tu inprimis es, qui id, quod audiverunt acceptum à veteribus illis optimis ingeniis, poſſunt convertere in magnos uſus, commodáque gentium, quas regunt, ac fortiſſimorum populorum. Reſtat nunc, ut tuæ benignitati plurimas gratias agam, ob eximium iſtud ac pręclarum donum, quo me ornaſti; quod mihi fuit cariſſimum, ſemperque à me in ſinu geſtabitur, ut ſingulis horis recorder humanitatem tuam, ac ſplendorem gloriamq; veſtræ honeſtiſſimæ ac maxime illuſtris domus. Vale optime adoleſcens, ac multis naturæ fotunæque bonis florentiſſime. Florentia Prid. Kal. Jan. Anno M. D. LXV.

IDEM EIDEM.

Epistola XXII.

CUm redeat ad vos Caſelius, vir probus & magnis ingenii dotibus ornatus,

ornatus, committendum mihi non putavi, Juvenis Illuſtriſſime, quin ad te ſcriberem. Etſi enim memoria tui mihi nunquam effluere poteſt ex animo: tamen hic profecto vir ille eſt, cum quo ſæpè ego de tuis maximis & animi & fortunæ bonis loqui ſolitus ſum. Cum enim ipſe magnopere te admiretur ac colat; libenterque tuas eximias virtutes celebret: invenit me, qui nullam in partem averſus ſum ab honorifico de te ſermone: vel potius cum ipſo certem de prædicatione tuarum verarum laudum. Sed quis non diligat, & animo complectatur adoleſcentem ſummo loco natum, qui ardeat deſiderio bonarum artium, totusque inflammatus ſit amore ſapientiæ? Eſt ſanè hoc infrequens, & quod raro omni ætati contigerit, ut qui valde inſtructi ſunt externis bonis, iidem animum ornare, & expolire magnopere ſtudeant: quod ego non ſine dolore dico. Faveo enim libenter, cum poſſum, laudi ac gloriæ clarorum & illuſtrium adoleſcentium. Sed ne ab aliquo, qui me penitus non moverit,

ma-

malevolus exiſtimer, citabo teſtem locupletem, tibiq; etiam cognitum hujus ſententiæ. Iſocrates enim in extremo illo libro, quo laudavit Evagoram, hoc filio ipſius Nicocli narrat, cum ipſum etiam commendaret, qui longè aliam viam, quam reliqui ejus loci atque ordinis ſequeretur. Dicit enim, nec ſe, nec ceteros fallere, ipſum, & ſolum & primum omnium, qui principatum obtinerent, ac valde divites forent, molliterque demum, ac delicate vivere poſſint; ſapientiæ ſtudia amaſſe: nec labores eos, qui in ea percipienda neceſſario ſuſtinentur, reformidaſſe. Quo magis ipſum celebrat, exemploque aliis fortunatis hominibus ac regibus futurum affirmat, ut ipſi quoque rejectis illis rebus, quibus tunc dediti forent, ad honeſtas artes colendas ſe totos conferant. Idem igitur ego tibi dico in re valde ſimili. Cum enim te plurimum commendem propter iſtam egregiam tuam voluntatem erga ingenuas artes, ſpero etiam hoc boni te facturum, ut ceteri iſtic imitatione tui ſe literis traditurі ſint, &

diſciplinam tuam honeſtam expreſſuri. Sed non habebam in animo, cum calamum ſumpſi, te hortari, ut faceres ea, quæ tua ſponte facis: audio enim te non egere calcaribus: neſcioque quomodo huc delapſus ſum. Quare revertar eo, unde diſceſſi; tibique hunc optimum virum commendabo, in quo ipſo etiam fortaſſe me arroganter geram, cum tibi eum audeam commendare, quem carum habes, & in numerum tuorum recepiſti. Sed tamen mirificus amor, quo illum proſequor, me cogit hoc moliri, & parum omnino modeſtum eſſe. Sed quoniam ſemel, ut video, peccavi, ac fines verecundiæ tranſii; non verebor etiam tibi laudare Joannem Schoſſerum, qui me hic olim amanter ſalutavit; rogareque, ut quibuscunque rebus honeſte poſſis: potes autem multis magnisque: velis ei gratificari. Viſus enim tunc mihi eſt dignus propter egregiam notitiam bonarum artium, ſingularemque facultatem condendi elegantiſſimum carmen, qui à nobiliſſimis juvenibus, qualis tu inprimis es, colere-

Digitized by Google

leretur, atque omni honore afficeretur. Sed de laude quoque hujus minus multa, quàm vellem, ac verè facere poſſem, ne diutius in eodem arrogantis animi crimine verſer. Ut autem in mihi valeè jucundo Caſelii nomine epiſtolam terminem: cum antea quoque ipſum valde diligerem, eximiasque ipſius animi dotes bene cognitas haberem; in hac tamen nova noſtra conſuetudine, (fuit enim ille fere omni hoc tempore mecum.) melius eas perſpexi, atque omni ex parte probavi. Tu vero Adoleſcens optime vale, & me cupidiſſimo tuæ laudis, & fideli cliente tuæ florentiſſimæ domus, omnibus tuis in rebus utere. Florentia IV. Kal. Quinctil. anno M. D. LXVII.

JOH. CASELII EPISTOLARUM LIBER II.

EPISTOLÆ AD ADAMUM Krauſen in Borchſeld/

Equitum Megapolitanũ, HENRICO JULIO Epiſc. Halberſt. & Duci BR. & L. à Conſiliis & Principis FRID. HULDERICI Aulæ magiſtrum.

EPISTOLA I.

ITa eſt profecto, uti nuper ajebas, eos, qui per negotia rarius redirent ad literas ſive ſtudia ſapientiæ prima ætate non atti.

attigisſent, ſcite graviterque dictis, de rebus magni momenti recte & ſalutariter moneri: neque enim te dubitare, utrosque ejusmodi quaſi ſtimulis, vel ab errore aliquo dimoveri, vel ad pręclarę facta propelli. Confirmas igitur, me in hoc conſilio, quo ex intervallo utor ad alios atque alios, quod me quoque quorundam bono feciſſe animadverti. Res enim ipſa nos fateri cogit, aliorum eſſe eam mentis malitiam, aliorum á teneris longa conſvetudine mores adeo depravatos, ut comminatione pœnarum non deterreantur, nedum ratione corrigantur. Ego virtutis cultoribus ſæpe ante oculos poſui, id ab Epicteto profectum, asſeverante, *in nemine radices agere decretum ſapientiæ, niſi idem in dies ſingulos eadem & dicat, & in uſum vitæ transferat.* Noſti, τὸ εἰδέναι χρῇ. In promptu ſunt quibus notentur avari, ambitioſi, imperioſi, ἀκόλαςοι, ut recogitent, facto opus ſit: cujusmodi depromam ex veterum aliquo, ut verba tamen plurimum habeant ponderis, unde non minus ipſe me corrigam, vel ſuſten-

tem, quam alii ad saniorem mentem redire, aut se à gravi lapsu vindicare possunt, aut magnum aliquid & memorabile ausint aggredi. Favi autem etiam regiarum cultoribus, cum quod ipsorum aliquando fui, nec ab aulica consuetudine totus abhorreo, tum quod novi eos, ex vitæ humanæ peritia elegantiores, quam ut verum verbum cum indignatione accipiant. Meministi calculos rationes subducentium ex Polybio & ab Oronte digitos numerantium. Movit etiam me, quod illustrium locorum neuter mihi satis redditus visus fuerat. Hæc & horum similia qui in aulis è conspectu & animo nunquam dimittunt: & stant tutius, nunquam declinantes ab officio, & si quid secus eveniat, non sanè ipsi præcipitant, sed cadunt minore periculo, ut interdum non minus quam antea stare videantur: nec mirum. Præstantium enim virorum calamitas etiam radiis virtutis conspicua est & refulget. Magna cum potestate viris ejusmodi præscribere forte neque deceat, neque expediat, nisi mitia admodum sint. Si quis prodat

acrius

acrius, faciat ſuo periculo: non tam quod magna vis eſt ſuſpicionis, quam quod frigidam affundere ſolet calumnia. Et parcendum certo ordini, quem vix etiã Plato leviter & obſcure attigit. Sane me continebo intra hos limites, neque cuipiam aliquid Philoſophiæ ſuggeram, qui ejus in monendo atq; reprehendendo libertatem minus æquo animo ferat. Habent tamen hoc potentiores, in quibus humanitas, & alteri, in quibus vitę ſanctimonia, ut ipſi ſibi magiſtri ſint: neq; non utuntur etiam hoc modo: ut Macedo ſuo verbo procraſtinationem tollebat, ſuo Auguſtus maturationem obſervabat. Etiam vero ex dictis ſapientum, & è ſymbolis Pythagoræ adparet, priſcis illis ſeculis potiſſimum valuiſſe hanc philoſophandi rationem. Verum hic de ſententiis ago, quæ literis expreſſæ ſubjiciuntur oculis legentium. Tale πιτάκιον ad Demetrium, Seleuci filium, cunctamtem in urbe, contra quam conſtituerat, miſit olim Polybius, quo ille jubebatur in ſummo diſcrimine ſalutis ſuæ non oblivisci, quocunque exitu, & vigilare ex

Epicharmo. Hunc adeo morem probavit Auguſtus Cæſar, ut eo cum primis delectatus fuiſſe videatur: cenſuit nimirum nihil humanius, & ſic plurimum effici. Cum enim ille quemq; cogere poſſet ad officium, maluit tamen in officio retinere hac ratione longe lenisſima, non ſolum quorum eſſet aliqua dignitas, ſed etiam quotquot circa ipſum eſſent: nec ſolum magna cura hoc feciſſe, ſed etiam huic rei ſtuduiſſe, & quæ eo facerent, collegiſſe dicitur. Etenim, ut refert Svetonius, in evolvendis utriusque linguæ auctoribus nihil ęquę ſectabatur, quam præcepta & exempla publice vel privatim ſalubria: eaque ad verbum excerpta aut ad domeſticos, aut ad exercituum provinciarumque rectores, aut ad urbis magiſtratus plerumque mittebat, prout quisque monitione indigeret. O memorabile utrumque, quod qui unus & ſolus terrarum imperium tenebat, is & quotidie multus erat in ſcriptis veterum & humanitate certabat cum omnibus: at hodie ſiquis in bonis paulo plus habeat, quam unde

do in diem vivat, nec eſſe cauſæ aliquid putat, cur literas adſpiciat, & in quemvis præſertim ſuos, ſi quid velit, tonat, fulminat, ut ſæviora omittam. Verum hic ex illo, quod coepi, tranſire me alio recte vetes. Namque & in altero ad te ſum nimius, ſed cum, quæ ejusmodi generis ſunt, familiari ſermone locum habeant, excludi in univerſum nolimus ex epiſtolis; quæ ad familiarem ſermonem, non verbis ſolum, ſed materia quoque de conſvetudine veteri accedunt proxime. Neque non recordor, ut alterius, ſic harum etiam eſſe ſatietatem. Unum adjiciam quod ſi videatur importunum, non erit alienum, in quo neque ipſe à me diſſenties: videri mihi adeo bene ad vitæ officia educatū & factum, ſive adeo ſapientem neminem, quin talium egeat per omnem vitā in horas ſingulas. Annon enim ea conquirunt ipſi ſedulo? immo volumina de recta vitæ ratione quocunque otio de manibus nunquam deponunt, cæteris ſtertentibus, aut commeſſantibus. Vale Helmſtad. in ac. Julii. pridie Kal. Mart. 1604.

EPISTOLA II.

ETiam ſalutem manu tua literis Peparini adſcriptam libenter legi: neq; tuas flagito, etiamſi deſidero, ut viri amiciſſimi: nec me fugit, quam te totum curis & negociis deſtinaveris. Hęc autem quis in ſe ſuſcipiet, aut iis parem ſe omnibus profitebitur? cæteris enim ſatis eſt moleſtiæ in ſuo cuiq; munere: etſi, quid futurum ſit, prævidere videor. Εἰ δὲ δεῖ καὶ τοῦτο γράφειν, ὁρῶμεν τοὺς πλείστους τῶν ἐν βασιλείοις πρωτευόντων, καὶ ὡς βέλτιστα συμβουλεύειν δοκούντων οὐκ ὀλιγωροῦντας μὲν τῶν ἰδίων πλημμελημάτων, τοῖς δὲ τὸ κοινὸν ὠφελοῦσι φθονοῦντας. Ἐατέον δὲ ἡμῖν, ἐμοίγε μάλιστα, τήν τε νέμεσιν, καὶ πᾶσαν μεμψιμοιρίαν. Ἡ μὲν γὰρ γυναικώδης, ἡ δὲ οὔτι μᾶλλον τῆς προτέρας προκόπτουσα, οὐδαμοῦ πρὸς βίον ὠφέλιμος εἰ καὶ ἐπαινεῖται ὑπὸ σοφῶν. Vale Hel. ex ac. Jul. IV. Non. Jun. cIↄ Iↄ VI.

EPIST. III.

DE ſalvo tuo domum reditu, tibi tuisque gratulamur: de omni itinere te audiam cupide,

an ne ruri iſtic? an hic domi meæ? Hunc ego mitto, ut te ad nos invitem; videbis & audies plures academicorum familiarium: narrabis multa pluribus Cum enim non dubitem, te prius, quam in patriam migretis, nos viſurum, in hoc mihi quæſo gratificare, ut die craſtino cum tuis mecum cœnes: ſermones non deerunt: de Muſica non polliceor nihil. Cras igitur vos expectamus ſub veſperam: quod ſi craſtinus dies vobis minus erit commodus, perendinum, aut quemvis alium deligite. Mitto ad te de qua re verbum non inaudieris: eam ego molitionem mihi magno dolori eſſe non diſſimulo: neque debeam, neque velim, neque mihi, contra quam ſentio, & fas eſt, imperem. Unus hoc, quicquid eſt, ex legibus amicitiæ, & propter ipſam virtutem prudentia ſua avertere poterat. Cætera coram: neque nulla alia: & in his vide, ut me rodat unus homo in tabulis amicitiæ deſtinatis. Vale. Helmſt. ex acad. Julia XIII. Calend. Octobr.

cIↄ Iↄ c VI.

Epist. IV.

EGo vero te ex iſta vita, quam hodie in patria colis, & ipſe ruſticam vocas, ſatis beatum prædico: præſertim, qui non ſolum colas rem familiarem, ſed quod eodem pertinere non nego, modo ad piſcationem prodis, qui eſt iſtius regionis quaſi proprius genius, vel, ut heroas feciſſe accepimus, in venatione te exerces cum familia. Majus autem alterum, quod quacunque tempeſtate etiam Muſicæ tribuis aliquid temporis: totos autem dies ſtudio ſapientiæ. In hoc enim ſumus, quocunque quandocunque agimus: plures autem horas impendes lectioni & meditationi: opinor, etiam ſcriptioni. Nam ſi dubitem, hoc ego te moneam. Invidiæ enim arbitror, non depromere, ſive tergiverſari, ſi quid habeas, non cuivis obvium, ſive te id literæ, ſive uſus rerum docuerit, quo patriæ & tuis civibus conſulas: uti contra nihil laudis quorundam meretur ſcribendi temeritas, qui, præter rerum

rerum vulgarium intelligentiam, ſcientiæ nihil ſibi comparaverant, cui morbo & ipſe olim obnoxius fuit: nunc ad eam rem non ſum paulo tardior, quando rideo & meam veterem, & multorum hodie ſcripturientium ſtultitiam, ex opinione ſapientiæ excitatam. Eorum non poſſum non unum genus odiſſe, alterum etiam execrari debemus: hos videlicet, qui diſtractiones animorum, totarumque adeo gentium ſerunt: quæ ſunt vaſtationum certa initia. Odi alteros, qui magno conatu, non niſi nugas, aut novas opiniones, easque falſas, ut plurimum è penu inſcitię depromunt. Ipſe ſemper cavi, ne ullo pacto nocerem, ſi non prodeſſem magnopere. E meis quibusdam juventus forte aliquem fructum caperet; ſed ſunt contra qui imperitos arcent à melioribus & difficilioribus: atque adoleſcentulis illis primam ſapientiam pollicentur, quam brevi nullo negocio parari poſſe autumant. Tu vero cum benigne de meis judicare ſoleas, quæ quoque puſilla neque magni fateor momenti ſunt, ad te mitto cum his literis. In

iis

iis ſunt, quæ dones à me adoleſcentulis, quos pereruditum juvenem domi tuæ educandos jubes. Nihil autem tibi deeſt, quando illud metuis, quod ambitioſi deſiderant, ne denuo ad negotia abripiaris: id ipſe metuebam, ut libenter eo careres, in quo tot annos cum laude & publico bono fuiſti verſatus. Solere enim, qui in luce reip. vixiſſent, negotia invitos relinquere animadverteram. At tu ab iis ultro disceſſiſti: quæ tam te nolim metuere, quando te in ſuos uſus patria flagitabit. Namque cum, uti pater tuus ſolebat, privatis conſilium non neges, patriæ neceſſitatibus te ſubducere nullo modo poteris: neque voles, φιλόπατρις οὐχ ἧττον ὤν, ἢ φιλάνθρωπος: verum de hoc cognoſcemus mature, ubi quid conſtitutum fuerit. Quod autem certam ἄτην præter vulgi conſuetudinem declinas, id forte minus probabunt, qui cum ipſi res ſuas negligant, aliis oneri eſſe non admodum verentur: eorum qui recta via rem reputant, nemo reprehenderit. Quorſum etiam ſapientum voces niſi iis in vita utamur?

Tri-

Digitized by Google

Trium autem hoc unum, etſi tertium dependet etiam ab illis, ni fallor. Namque qui facultates ſuas exploraverit, & modum in aliis ſervet, id quod animum te induxiſſe familiares non ignorabamus, omnino faciet, certe in nemine improbabit. Forte de nobis aveas cognoſcere: non cadit in bonos *συνωμοσία*, quam eſſe qui de nobis ſuſpicentur, non te fugit: bonorum in noſtro ordine eſt in veritate & ejus in omni genere indagandæ ſtudio conſtantia. Non inquiro, neque diſputo, quid ſibi velint, qui noſtram diſciplinam improbant, cum & veterem ſequamur & veram, quod doctorum hominum proprium eſt: habeant ſibi umbras, qui res ipſas non deſiderant, non querar, ut quædam tradantur, quæ nemo intelligit, quæ neminem juvant, illud autem plaudente populo. Cornelius nihil relinquit inexplicatum: domi primum Philoſophiam divinitus interpretatur. Magna viro debetur gratia, cũ contra ſint, qui fremant. Gener meus, ordinis Juriſconſultorum hodie preſes, locum ſuum tuetur, *φθονούμενος οὐκ οἶδ' ὑφ' ὧν, φθονῶν δ' αὐτὸς οὐδενὶ, ὡς καλῷ κἀγαθῷ ἀνδρὶ πρέπει· ἀγαθῷ γὰρ οὐδεὶς περὶ οὐδενὸς ἐγγίνεται*

φθό-

φθόνος, κατὰ τὸν σοφὸν πλάτωνα. Quod ſcis negotium, ſupra modum me commoverat: denique in hoc confirmatus ſum, ut de omnium integritate ambigendum cenſeam, quorum fidem exploraverimus, aut non exploratam ab aliis perſpexerimus. Sed hæc vobis in regiis notiora ſunt. Hæc de nobis: quamquam publica etiam ad nos pertinere, ſi non crediderim, magno rei familiaris detrimento didici. Superioris anni hiſtoria edita eſt utrinque: ſcriptor populi impenſiſſime ſervit cauſæ. Verum potius, quam de his fabuler, finem faciam epiſtolę: ipſe etiam hiſtoriam tenes, neque cum vulgo judicas: exempla, ſi apud nos venirent, mitterem. Vale. Helmſtad. ex ac. Jul. die brumæ cIↄ Iↄc VI.

Epist. V.

AD priores tuas ipſa bruma reſcripſi: interea eas cui darem nemo fuit. Quem enim indicaras, abierat noſtra opinione citius.

Hic

Hic alteras tuas attulit: cumque uno alterove die ad te recurſurus, & hác tranſiturus diceretur, & has exaravi; prioribus comites futuras, argumentis, quæ mihi naſcentur inter ſcribendum. Turbæ hic exortæ, neque dum ſedatæ ſunt: nec eſt neque hic neque alibi, qui in hoc videatur incumbere. Longinqui faciunt, quod ſpectatores tragœdiarum; rident, aut paululum perterriti ſe repente colligunt: adde, quod nihil familiarius, quam aliena neglectui habere: immo hoſpites habui, qui hæc ut ut ſe haberent, ad ſe non pertinere, vix diſſimularent: quod eo mihi accidit gravius, quo in majori periculo ſemper fuimus, & erimus, ſi quid de novo moveatur. Mea certe res tenuis familiaris ab illa prima eruptione magis attenuata eſt: rerum penuriâ laboro, & plus æris alieni facio in dies. Hodie vero quis nos reſpiciat? quando, qui poſſunt & velint, diſtinentur alii aliis negociis, ut á noſtrorum aliquo interpellari nolint, neque debeant: querimoniæ autem ſunt quidem illæ dolentium, ſed indignæ viris, & omit-

tendæ non minus, quam lacrymæ: etſi ex illis non ſum, ad quos hæc: *ἀνέρες ἐσ[τε] φίλοι*, neque natura, neque genere vitæ: neque mature, quæ magni animi ſunt, philoſophari didici: quod factum vellem. Ad ſuperiora redeo: haud ſcio, an videris libellum illius populi, conflatum, ut apparet, neque ipſi negant, à magiſtris litium: id volumen jubent eſſe pro hiſtoria, cum tales libelli ſemper cauſæ, vix alicubi veritati, ſerviant, qui utrinque perferuntur ad judicem: Itaque in contrarium negantur omnia. Hinc diverſa & vera, editum iri conſtat: neque dubium, quin *ἱστορικὰ*, è ſcriptoribus ſuperiorum temporum conſentientibus, *ἐξ ἀρχείων, συνθηκῶν διπλωμάτων, συγγραφῶν*. Nam quę his annis acciderunt, obſcurari nubeculis diei nequeant, ſuapte vi erumpentia. Hoc autem pro re ſit, & faciat ad refutandas calumnias, quibus Dux opt. paſſim premitur. Hiſtoriæ perito, & hujus pręcipue, & diſerto, & induſtrio, & laborum patiente opus erit: de quo nihil inaudivi hactenus. Forte vero etiam quæras de tuo

Prin-

Principe: Interea nemo ſcripſit, niſi minor Hoimius: major tuas vices gerere dicitur: quo titulo, non comperi: dignitatis enim nomen declinaturus videbatur. Ad domeſtica venio, quæ te ſcire, dicat quis tua non intereſſe: ego ſecus ſentio, etiam ex verbo vetere, κοινὰ τὰ τῶν φίλων ἄχη: qui ſi nihil auxilii, aliquid conſilii, ſive ſolatii adferant. Quid multis? cum publica ægre ſtent, privata cujusque vacillare neceſſe eſt. Neque dicam περὶ ἀφίλων φίλων, quod neque hoc novum, & in univerſum ngitur. Nova etiam mihi; cura de re familiari, quod ἡ τἀμὰ οἰκονομοῦσα τῆς ἀδελφῆς θυγάτηρ diuturno morbo ſuperata, his diebus expiravit. Multum quoque me filii cura afficit: de quo me tecum aliquando ἐμπαθέστερον locutum memini, cum ex Hetruria ab ipſo accepiſſem non incultas literas: multum poteras, ſi adeſſes: eum benevolentia tua nunc quoque complectere: quod mihi de te certo polliceor. Vale. Helmſtadio

ex ac. Jul. VII. Kal. Febr. 1607. Coli te ſcis cumprimis à Remo: is quoties ſcribit, ſua tibi ſtudia defert, & quidem lectis etiam verbis: ſalutem quoque in ſuis ad me literis tibi adſcribit Voverius. Iterum vale.

Epist. VI.

Tibi ſilentium imponunt negotia, mihi brevitatem in ſcribendo valetudo. Hanc in dies minuunt anni, curæ, luctus, nec unus ille. De domeſtico funere narravi proxime: fratri pòſt funus factum Februario, ad quod miſeram filium. Importune autem ad te triſtia perfero. Unum hic modo præterire non debeo: ut tibi de iſta dignitate gratuler, quam ex aliis literis me prævidiſſe videris: imo gratulabor patriæ tuæ, quæ utatur tali tantoque cive primi ordinis: & gratulabor literis; quę invenerint novum eundemque perpetuum patronum: nobis denique, qui te amicum & amici-

tia

tiæ aliorum certum conciliatorem habeamus. Vale Helmſt. ex ac. Jul. III. Non. Mart. clɔ Iɔ cvii.

Ep. VII.

PEr tuum hominem ſcripſi potiſſimum de filio, neque non de ipſo ad Neſſæum, nec in aliam ſententiam: ſcribo iterum fere absque argumento. Te prefecturæ Lupſianæ præeſſe prior me docuerat ex amici ſermone conſul Schwartzius J. C. & hunc velim in amicis numeres: habet interdum ab nos mittendi commoditatem. Heri accepi literas ab Arniſæo ſub brumam datas: narrat hyematuros Genevæ: ituros ante ver in Galliam per Narbonenſes & Aquitanos Luteriam: quod iter jam ſuſceperint. E Gallia trajecturi videntur in Britañiam. Duncanus Liddelius hic renunciavit ſuo muneri, prorſus migraturus in patriam. Vale Helmſt. ex ac. Jul. Non. Mart 1607.

Ep. VIII.

De promiſſo prolixius polliceri non debeo ante, quàm cœpero. Nequeo autem inchoare, priusquam & cætera miſeris: quæ nunc miſiſti diligenter aſſervo: experiar quid poſſim; ipſe poſt cenſebis. Quod juveni tuo ob probitatem conſulis, facis te dignum: nec ei rectius potuiſſe conſuli cenſeam, in iſta ingenii mediocritate. De his turbis, unum hoc, quod hodie ſilent: populus metuere dicitur, excubias agunt: cauſidici eorum edidere multa: audacter omnia, ea credi paſſim audio: ad refutandum itur magis voluminibus, quorum capita legendo mitto: nec dubito, pleraque recte probatum iri: quæ ab annis plus quam ſexaginta geſta ſunt, non memini ipſe ſolum, ſed quaſi his oculis vidi. Opinionem autem civitatum, & fere totius Germaniæ, quamvis, uti ſcis falſiſſimam, de Principe, ex animo eximere difficillimum erit: Φήμη δυὔτις πάμπαν: deinde tanta vis eſt calumniæ, quæ tamen in ani-

animis intelligentium, & cognoſcentium hiſtoriam, non hærebit, nec etiam à ſolis contumacibus peccatum: verum ſi de utraque parte quis non paulo liberius, ſed vere dixerit, plurimum offenderit: etſi fieri non poteſt, quin in tali diſſenſione multa fiant præter æquum & bonum, cum etiam in puſillis contentionibus utrinque & plurimum erretur. His autem aliquot annorum motibus factum eſt, ut alii qverantur de aliis: poterat ſuperſederi his omnibus, ſi ęqua initio pręſtitiſſet populus, aut etiam. Sed reliqua tibi cogitanda relinquam: cogitabis multo plura, quam aut ego ſcriberem, aut animo volutem in præſentia, ſed illa præterierunt, de futuris erat videndum: neminem hactenus audio, qui in medium prudenter aliquid conſulat, quo turbæ avertantur, & quies ſtabiliatur: plærique non fieri poſſe putant, nec fieri poteſt, quãdo neq; illi ad εὐπείθειαν neq; multi ad ἐπιείκειαν conſulũt. Spes nulla eſt, quoad licentiæ populus in cumbet, & vindictæ, qui cum Principe faciunt. Quis autem illis, quis aliquid his perſuaſerit?

Neque enim Martis famuli flectuntur, neque facile, qui in foro dominantur: aut sanctos, aut sapientes esse oportet, qui salutem inveniant: sed his in orbe nihil rarius: si sint, non solum non audiuntur, & incurrunt in odia & calumnias omnium: forte unus Princeps tales audiat patientius: sed neque in regias illis aditus sæpius patet. Verum quid nugor? etenim, ut hæc vera sint, iis nihil prorsus profici omnes novimus. Ac ne in minutis quidem valet, aut est ἐυβουλία, ut si de educatione Principis, aut de academia agatur. Jllo, qui à te relictus fuit, loco manet: ad autumnum suscipient iter Gallicum. Deploratur à me, à Peparino, ab Hoimio, πρωτεπιστάτην abiisse. Illi soli hodie onus incumbit: nec dubito, quin & in ipsum vigilet calumnia: hic tertium mensem in aula est censere hæc, meum non est: dolere, à mea cura non alienum: sed & hoc frustra: denique verum, multis seculis unum Regis filium vix satis bene educari: an mirum? cum quos genus commendat, aut exiguæ opes suble-

vant

Digitized by Google

vant, vix ſe in cuticula contineant. De ſuperiore anno nihil attinet narrare denuo : Scotus noſter, quo non habet, nec habuit doctiorem hæc academia in Mathematicis, Logicis, omni Philoſophia & arte Medica ſive deſiderio patrię, qua tot annis caruit, ſive ob aliam cauſam, cum de ſuo conſilio mihi verbum non feciſſet, ſe dimitti petiit: impetravit: eum retineri, cum ex bono juventutis eſſe, ex honore academiæ, ex dignitate εὐεργέτου, intelligerem eo nomine, quos par erat ſalutavi: collegas monni: fatentur; neque enim uberrima ſeges eſt talium virorum. De nobis autem, ne queri videar,

Paſſim inimicitiis, odiis, certatur, & iris
Litibus, imperiis, & diris, & maledictis.

Te colo & Hajonem, à quibus me diligi video: quod magis intelligo ex benevolentia erga filiium meum : hunc iterum quam primum monebo, quem ipſe quoq; longe ab illo grege, quibus pręter lites & quæſtum nihil dulce eſt, ſemoveo. Vale Helmſtad. ex acad. Jul. VI. Cal. Jun. clↄ Iↄ c VII.

Epist. IX.

CUm ad Schvartium ſcriberem, non eras prætereundus, cujus forte honori in nuptiis prȩſto eſſes, vicinus, & amicus, non ipſi ſolum, ſed urbi. Sumpſi argumentum quod mihi videretur: multum enim verborum facere de re ab omnibus pertractata mihi viſum non fuit; & quæ in templis decantantur, communis fidei, meæ ſcriptionis non ſunt. An oſtendi, πολιτευόμενον me meditatum, pridem perſcripſiſſe: neque negligenter, neque falſi quicquam, neque absque reprehenſione quorundam, ſine acerbitate: neque tamen offenderim. Dolet enim inſcitia & fremit quoties tangitur: Videbis & cenſebis forte. Sextili Duncanus abiit: quo homine doctiſſimo nos facile carere poſſe videmur: facillime enim aliquis invenietur, illius diſſimillimus, qui neſciat plæraque quorum ille ſcientiſſimus eſt. *Invaluit in regiis opinio, nihil eſſe facilius Principibus, quam invenire in quacunque re quemque præſtantiorem: quod falſum & populus*

pulus novis, ſive generoſus equus, ſive canis venaticus inveſtigetur: imo quotidie in gemma falluntur, ut in purpura. Vale. Helmſt. ex ac. Jul. Id. Quinct. cIↄ Iↄ c VII.

EPIST. X.

ANte pluſculos dies reddidit mihi hic â te literas, quibus & tuam valetudinem tentatam ſcribis: cui tu hoc diligentius operam dabis, quo tentari facilius toties expertus es, & nos aliquoties vidimus: in quo tamen id boni eſt, quod te facile item recuperas: etſi ſatius ſemper eſt ſibi præcavere, ſi quis ratione & conſilio queat. De Duncano denuo ſcribere non attinet: ejus ſimilem non invenient, ſi qui eum abiiſſe non ægrè admodum ferunt: abit[9] ipſum forte pœnitebit, quando exploratis amicis relictis, ſimiles eorum, ne in patria quidem, facile inveniet. Arniſæus ad me Lugduno, menſe Majo, ſcripſerat: cogitabant in Britanniam, reverſuri per Belgas domum. De rebus Sarmaticis alia atque alia adferuntur: alii penes Regios, alii penes Comitiales ſtetiſſe victoriam, ſcribunt: alii

Epist. IX.

CUm ad Schvartium ſcriberem, non eras prætereundus, cujus forte honori in nuptiis preſto eſſes, vicinus, & amicus, non ipſi ſolum, ſed urbi. Sumpſi argumentum quod mihi videretur: multum enim verborum facere de re ab omnibus pertractata mihi viſum non fuit; & quæ in templis decantantur, communis fidei, meæ ſcriptionis non ſunt. An oſtendi, πολιτευσόμενον me meditatum, pridem perſcripſiſſe: neque negligenter, neque falſi quicquam, neque absque reprehenſione quorundam, ſine acerbitate: neque tamen offenderim. Dolet enim inſcitia & fremit quoties tangitur: Videbis & cenſebis forte. Sextili Duncanus abiit: quo homine doctiſſimo nos facile carere poſſe videmur: facillime enim aliquis invenietur, illius diſſimillimus, qui neſciat plæraque quorum ille ſcientiſſimus eſt. *Invaluit in regiis opinio, nihil eſſe facilius Principibus, quam invenire in quacvnque re quemque præſtantiorem: quod falſum & populus*

pulus novit, ſive generoſus equus, ſive canis venaticus inveſtigetur: imo quotidie in gemma falluntur, ut in purpura. Vale. Helmſt. ex ac. Jul. Id. Quinct. cIɔ Iɔ c VII.

Epist. X.

ANte pluſculos dies reddidit mihi hic â te literas, quibus & tuam valetudinem tentatam ſcribis: cui tu hoc diligentius operam dabis, quo tentari facilius toties expertus es, & nos aliquoties vidimus: in quo tamen id boni eſt, quod te facile item recuperas: etſi ſatius ſemper eſt ſibi præcavere, ſi quis ratione & conſilio queat. De Duncano denuo ſcribere non attinet: ejus ſimilem non invenient, ſi qui eum abiiſſe non ægrè admodum ferunt: abit' ipſum forte pœnitebit, quando exploratis amicis relictis, ſimiles eorum, ne in patria quidem, facile inveniet. Arnilæus ad me Lugduno, menſe Majo, ſcripſerat: cogitabant in Britanniam, reverſuri per Belgas domum. De rebus Sarmaticis alia atque alia adferuntur: alii penes Regios, alii penes Comitiales ſtetiſſe victoriam, ſcribunt: alii

alii modo hos, modo illos ſuperiores referunt: plerunque, uti aut his, aut illis volunt, prorſus uti per omnem Germaniam de rebus Brunoniis ſermones ſerunt. Vale Helmſt. ex ac. Jul. XIV. Kal. Sept. cIↄ Iↄ c VII.

Epist. XI.

PAulo ante neſcio quid ſcripſeram: Smiterlobium iturum non niſi præſcieram, nihil ut tum dederim: ad te venturum an ſuſpicatus fui, an inaudivi? Qui ſi ad te venit, retulerit de parum amica quadam unius inciſi, ex mea ad Cl. Georgium Remum epiſtola, interpretatione. Sic ſolent amicos gratioſi opulenti: ſed hic bolus mihi ærumnoſo & ægro ſeni degluti-endus fuit. Ante ſcripſi τοὺς περὶ τὸν ἄρχοντα ituros in Galliam ſub autumnum: id fieri audio: jamque miſſus eſt, qui eos abducat de loco. Principem puto & audio profeciſſe, ut expedite & ſcribat & loquatur; & ipſius literæ, exaratę extempore, teſtimonio ſunt. Sed

in

in altero ſunt omnia: ſpinas ex animis evellere & illam animi ad optima quæque inductionem formare, & confirmare: quod intelligit Peparinus, & in hoc plurimum ſerio laborat: idem fieri & alii velint, boni citra controverſiam. Neque enim, qui in eadam navi ſunt, ſi cum vectore ſervatum iri dubitant. Cellarius adhuc nobiscum eſt, filio meo præſto eſt in Juris diſciplina: Volo, ut & hoc ſibi viaticum paret; *nuda* enim *virtuti paſſim hodie parum eſt premiis.* Vale Helmſt. ex ac. Jul. IV. Non. Sept. clɔ Iɔ CVII.

EPISTOLA XII.

UTI hæc reliquiſti, ita ſunt in hunc diem, & publica, & academica, & privata noſtra, neque ab his diverſa accipies ex Bartramo. Cum igitur, neque tu eandem cantilenam velis, neque ego alia habeam, narrabo, neque ipſa multa de ſtudiis meis, quorum tamen guſtum ſumpſeris, ex iis, quæ ad te his diebus

miſi,

miſi, cum nihil præterea ad te darem, properante ad iter puero. Ejusmodi ſunt meæ in ſacris meditationes antelucano tempore, quorum novum ſpecimen cum his quoque leges: poſtea muſęum ingreſſus, vel amicorum literas lego, vel ad amicos ſcribo, promtius, ſi reſpondendum eſt: ſi argumentum non ſit, facilius aliquod invenero, quam nummos; nec ullius rei apud nos tanta hodie caritas: difficulter mutuos fœnori, neque abſque pignore: facilius tamen, quam fidem, invenero. Neque enim te fugit, in diſſenſionibus animos hominum ægrè coaleſcere; dum alii aliis opinionibus obnoxii ſunt, alii ad alios fines eunt. Qui ſequimur in diſciplinis veritatem, inter nos convenit, & eodem ducimus, ſi qui ſponte ſequi volunt: alii ab aliis auferuntur: minus auſcultant nobis, qui habent finem, ut quam primum emergant, cujus verbi vim intelligis, aut eum ſpectare jubentur. In magno ipſe errore verſari & eodem inducere familiares, â non multis judicor, quum doceo & ſubinde moneo, ut neque unquam umbras

re-

rerum ſectentur & reſpiciant in omnibus ante omnia ſalutem publicam. Quod neque tu negabis recte fieri, & omnino ſequendum ingenuæ juventuti. Ita lente & magno cum labore venitur ad negotium, nobis autoribus: [ſic enim loquar, cum tu mihi ſuffrageris] tamen obſtinate idem ſervo: in quo quid hodie agam, ſi quæris: non, quod, quantumque & quemadmodum volo, & forte debeo, ſed quod poſſum per ætatem & valetudinem. Paucis familiaribus græcam educationem ab autumno inſinuare cœpi: & ad hanc rem compendium mihi reperiſſe videor, quo oneri ferendo ſim. Delegi enim ſermonis peritiores, ſive ſtudioſiores, quos eſſe paucos auguratus ſis; qui poëtam Latine ordine interpretentur: ego aſſiduo *ἀκροατὴς καὶ ἐπανορθωτὴς, ἔσθ' ὅτε καὶ βραβευτής·* interloquor non raro, ut rem etiam ipſam videant, & intelligant, quomodo gentium cultiſſimæ magiſter, & informator ad virtutem & vitam civilem fuerit, & nobis ibidem etiamnum hodie eſſe poſſit. De qua ratione cum

cum illis diebus cum aliqua cura cogitarem, confeci ad Peparinum noſtrum, imo ad ipſum Principem, literas: quarum exemplum lege: erit, quod reſcribat. Hoc autem ex te quæro, an non exiſtimes, hoc & fieri poſſe & rectum eſſe, & propemodum neceſſarium; fieri etiam facile poſſe cum magna & certiſſima utilitate. Vale. Helmſt. ex ac. Jul. X. Cal. Febr. cIↄ Iↄ c VIII.

Ep. XIII.

AUt ſcribo aut non nihil ad legendum mitto, quoties eſt occaſio. Accipe & nunc paucula, pręter literas: gratificati fuimus, ut vides, familiari aulæ veſtræ Comitum magiſtro & Günthero, quem noſti juvenem integerrimum, & adprimè induſtrium, Ser:*mo* â ſecretis, bonis amicum; quod noſtrum excitavit erga ipſum ſtudium, quod de me mirari potes. Talia namque animum meum prorſus non afficiunt: quod ſi neſcias, videas ex cæteris. De Principe è Gal-

Digitized by Google

è Gallia allatum, his diebus retulit Monichovius noſter, hyemare illuſtrem illum comitatum Pictavii: ego interea ne quidquam quidem â Peparino: quicquid erit allatum, te non celabimus. E Comitiis nihil habemus: quod vos neſcire ſuſpicemur. Hic hodie Quadi apologia editur: qui liber, quid ferat, pridem audivimus, ipſe nihil legi omnium. Has tibi reddet Georgius Adamius, generi mei patruelis, vobis viſus antea: in quo neque ingenium, neque doctrinam deſideres. Neque enim prima, & ſumma negligit: uſu vitæ ei ætati opus eſt; & quæ eodem pertinent, de quibus à nobis monetur ſedulo: etiam ut innoteſcat fortunatioribus: nec tamen illis, quibus *opes* ſint *absque literis*, neque quibus *literæ absque beneficentia*, ſi forte quis illas absque hac conſtituat. Jubeo in hoc incumbat, ut á te diligatur, futurum ut ametur â pluribus. Vale. Helmſt. ex academ. Jul. VII Id. Febr. cIↃ IↃ c IIX.

Epist. XIV.

Libenter accepi, in loco tibi meas redditas literas, ut in corona Principum & Procerum legerentur, qui me ſingulari, ut ais, benevolentia proſequuntur. Aliunde autem beneficia expectare longum eſt: hic, publica re turbata, mihi autem nonnullis, contra mea merita, iratis, fruſtra eſt. Nec adeo me movent meæ ærumnæ, ſed multo magis meorum. Quem enim, aut quas res cui credam, occupatis omnibus? Accedit, quod perincommode valet filius: quo magis afficior. Incido in hoc, quod omni vita fugi ſedulo. Non eſt enim viri querela, nedum eruditi literis. Cum advenies, non audies plura, ſed ego te fortaſſe, aliquid ſolatii dicentem, audiam: imo è conſpectu & ſermone amici reſpiramus. Rumor de Electorum obitu iſtic ſparſus, falſus fuit: deceſſerunt autem Wirtebergicus & Bavarus quispiam. Hic adhuc agitur ſcri-

ſcriptis, neque ſit abs re, ſi veritati locus ſit, ducenti ad juſtitiam: ſed in contentionibus non rationum habetur ratio, ſed ſimpliciter victoriæ, quam vel violentia, obtinueris. Quadi apologiam faxo habeas. Editur modo in Brunonium librum μήνυτρον: abſolvetur biduo, ſed exempla non impetrantur, niſi pluribus prius in aulam miſſis: peracre hoc ſcriptum eſt. E comitiis huc nihil nunciatum, quin iſtic cognoveritis; iſta publica ex aulis volant. Vale. Helmſtad. ex acad Jul. prid. Kal. April. cIↃ IↃ c VIII.

Epistola XV.

Accuratè me ſcripſiſſe ad Nobiliſſimum Juvenem, familiarem noſtrum teſtantur ipſi ad me litteræ. Mitto ad te ἀντίγραφον. *Quod ad examen Principis, ante id tempus inſtitui nolim, ſi me quoque adeſſe jubeatis. Nam quo propior ſum hujus publici muneris meta, hoc plura mihi negotia incumbunt. Danda opera, ut quàm minimum relinquam Succeſſori. Jam ſcribo programma, quòd cras orationem pronunciabit*

Digitized by Google

noſter Phlugius. Exemplum mitte. Ad dies feſtos alterum ſcribendum. Conficienda aliis atque aliis teſtimonia. Sequetur promotio Magiſtrorum. Meditanda oratio, qua reſignem officium. Ita horam non habeo vacuam usque ad natalem meum, qui erit, ſi erit, primus ſupra ſeptuageſimum.

Quaſo etiam, ut meam epiſtolam Sereniſſimo datâ occaſione reddas: ne ignores quid ſcribam, exemplum adjicio. Omnino ex uſu puto, ut Serenitas ipſius intelligat non leviter premi Academiam, nec ſublevari, quibus partibus oporteat. Sed hoc aliquando diſertius declarari fortaſſe opus ſit. Vale. Helmſtadio ex Academ. Jul. die XIX April. clɔ Iɔ c III.

EPISTOLA XVI.

Multo meas ad te & ad anteceſſorem tuum litteras in negotio, de quo te in cœna monui & rogavi. Eas propterea ipſe non compoſui, ne eſſent acriores, quâm expediret: nec ad creditorem aliquid ſcribendum putavi, ubi meam indignatiunculam prorſus diſſimulare non poſſem. Ut autem ἐυεργεσίας ἐξονειδίζειν indecorum duco, quamvis non injuria facias; tamen æquum etiam putem, eum paullum præſtare ei, qui ſibi maxi-

maxima præſtita meminerit: atque utinam aliquis oriatur, qui meo exemplo filio meo in rebus ſuis æquè preſtò ſit. Illi autem ne obulus quidem decedit: beneficium eſt, in mora patientia: nec eſt periculum aliud, cui ὑποθήκη *ſit ipſa domus. Quidquid obtinueritis per meum craſtinum tabellarium fac ut ſciam, vel ex litteris Depholdii. Mittam enim, qui ferat meum epigramma, quod eſt pauciorum verſuum quàm meliorum: monitum me multò antè oportuit. In eo genere tergiverſator eſſe & cunctator ſoleo: ferat etiam faſciculum litterarum, quarum partim ſcripſi, partim ſcribam: ſed ad te ſcribam, de quibus velim te cogitare in via, etiam conferre cum Duncano, qui talia & novit & intelligit.*

Vale. Helmſtadio ex academia Julia IV. non. Jun.
clɔ Iɔc III.

JOH. CASELII EPISTOLARUM LIBER III.

EPISTOLÆ AD NOBILES ab HOIM.

JOHANNI ERNESTO ab HOIM.

EPISTOLA I.

FAcis ſedulo omnia, ut te magis amemus, collaudemus largiùs. Contempſiſti etiam puer puerilia, nunc ea prorſus abjeciſti. Quæ item ſtudia obiter colebas præter hæc literarum, ea colis remiſſiùs. Igitur acriùs hęc noſtra, ut has

has eſſe partes tuas, intelligere & ſtatuere videaris. Perge ita & tui amantibus, curam minuere, & Patrem perfundere lætitiâ. Nihil te feceris dignius, nihil magis ex re tua. Flagitas forte, ut, quod præcipiam, dicam diſertiùs. Nihil equidem diſertius novi. In iſto ſpatio, quod tam virtutis, quam doctrinæ eſſe didiciſti, procurre, nec ſubſiſte antequam illam veram primariamque metam attigeris. Quoniam vero multa feciſti & facturus videris, quæ ſcribendi dicendique facultatem tibi adaugeant, lege porrò, quos legis utriusque linguæ ſcriptores, & quæ de ipſa arte ſapientiæ princeps tradidit: ab initio ſummaque diligentia cognoſce; nec dubita, quin, ea qui didicerit & cognoverit omnia, & cæteros [ſunt enim ex veteribus nec ipſi negligendi ejusdem artis magiſtri] per ſe facile intelligat. Patris tui, idemque meus doctor Petrus Victorius, te in illo diſcendo unus plurimùm juverit: etſi â me quoque jam accepiſti, quæ eòdem faciunt; denique tibi præibit, ubi iter erit ſalebroſius, Theodorus

Potinius, cujus jam doctrinam, fidem & amorem erga te habes exploratiſſima. Valdo etiam probo, quod ab eodem in ſua ipſius arte exerceri vis. Id enim pangendi carminum ſtudium, & ingenium acuit, & illud dicendi, quod hodie præcipue colis, adjuvat. Volui nunc eſſe brevior, quam in hoc genere ſoles, quod nec pluribus ad te opus eſſe putem, &, ſi quid aut mihi in mentem veniet, aut tu voles, quoties vel mihi vel tibi videbitur coram verbo nutuve, indicaro. Vale. Helmſtadio ex academ. Jul. 9. Kalend. Jan. cIɔ Iɔ c XCIII.

EIDEM

Ep. II.

LIbenter legi Hetruſcas tuas, quibus me pleraque edoces de iſtis rationibus. Salva eſſe veſtra, gaudemus. Hæc quo loco ſint, ex aula vos certiores fieri non dubito: unde etiam certiora perſcribi poſſunt, ſi in dubiis

biis quicquam eſt certi. Nos incendio proximi omnia ignoramus: exercitus nulli ſunt uſpiam: plena tamen metus adhuc omnia: de certa paſicicatione ego ſpei nihil video; parendi animus illi populo nunquam fuit. De aulę magiſtro mirabar, tranſiiſſe in Galliam: rediturum ad nos initio putabam: poſtea intelleximus, prorſus renunciaſſe muneri, & à peregrinatione ad ſuos, & quidem hac, rediturum. An tibi & Peparino omnes illæ moleſtiæ incumbunt? Huic pridem ſatis erat in erudiendo Principe negotii: nec te vidi hic otiari: duras eſſe & difficiles veſtras partes, haud dubito: uno me conſolor, quod Princeps ipſe miti ingenio eſt, & intelligens, ut facilè cedat bonis rationibus. De fratre veſtro natu minimo ſic eſt, ut ſcripſeram: neque habeo, quod querar: præceptor neq; nihil ei concedit, neque omnia: nihil omnium, quæ mores inquinent: ad familiaritatem petulantiorum aditus ei non patet, & vivit temperanter, etiam fratrum exemplo. Sæpè hac narratione exhilaravi Patrem ve-

ſtrum, tot filios ad unum omnes, ſobrios eſſe, & modeſtos: litteras certis horis colit: hoc autem de adoleſcente ſpero, quòd cum eleganti ſcriptura delectetur, libenter ſcribit, & quotidiè mearum epiſtolarum deſcribit unam atque alteram: ſi nihil ipſi dem, flagitat. Ita cum vivat, non facit ſumptum, niſi neceſſarium, in quo petulantes & φιλέταιροι facilè modum excedunt. Vale. Helm. ex acad. Jul. V. Kal. Septemb. 1606.

EIDEM.

Ep. III.

Athenis Athenienſes laudare, facile ajunt: veriſimile enim. Etſi enim inter ſe ſibi civium aliqui invident: tamen ex innata erga patriam benevolentia plerique erga cognatos & vicinos benè affecti ſunt: ad eundem modum rem cui commendare, quam ille pridem in amoribus habeat, difficile eſſe non videatur.

Quod

Digitized by Google

Quod cum ita ſe habeat, Hoimiada, tibi & reliquarum omnium liberalium diſciplinarum ſingulari apud nos cultori, & in paucis ęqualibus Homeri ſtudioſiſſimo, ſi hunc ipſum, qui præ omnibus, ac propemodum ſolus poëta appellatur, laudare inſtituam, negotium non difficile aggrediar. Pridem enim nullum intermittis diem, non dico absque linea, quod pictor jubebat, ipſe quoque ſequens: non intermittis, inquam, diem ſine lectione, & accurata inveſtigatione quandoq; etiam plurium Homericorum verſuum, obtemperans potiùs Patri tuo, viro ſapienti, quàm ſequens plerorumque conſuetudinem, quorum etiam nonnulli in populo eruditi audiunt. Etenim non ſolum poëtas in nullo pretio haberi, ſed ipſam philoſophiam, etſi hæc omnis ſcientiæ & virtutis mater eſt, ab aliis ludibrio haberi, ab aliis verò etiam ſupra modum calumniis gravari, nihil horum te fugit: & ego cum indignor, tum doleo, multos in adoleſcentia præſtantibus ingeniis, â primo inſtituto optima diſcendi abſtrahi. In

præ-

præſentia autem non loquar pro hoc primo ſtudio, neque cauſam poëtarum in univerſum ad te ipſe dicam: cum haud opus ſit, tùm quòd ignoras quid de utroque ſentiendum ſit, tum quod quotidiè audis, è quibus te confirmari non dubitem. Scribam autem ad te de omnium duce & principe, quantum ſatis eſſe mihi videbitur. Cum autem ſciam, ipſum etiam in academiis, etſi turpe eſt, non à paucis reprehendi cum calumnia, primum quidem ab adoleſcentibus ſubterfugientibus vigilias & labores, iiſdemque aſſerentibus, non opus eſſe Græcis litteris; neceſſarias, niſi fortè vilibus pædagogis, aut horum ſimilibus docentibus primas litteras pueros, ut indoctis ſapere videantur, licet nihil ſciant omnium, quorum uſus in vita ſit: & verò hos relinquam, qui tecum ſermonem inſtituam, cum adoleſcente & Græcarum litterarum perſtudioſo & amante laborum. Didiciſti enim à teneris unguiculis, non ex nihili mancipio, neque pædagogo obvio, ſed ex admodum generoſo & eximiè erudito

viro

Digitized by Google

viro, ipſoque non minus in omni vita in rerum tractatione verſato; quam ab adoleſcentia in diſciplina civili: illum ipſum dico, cujus & prius memini, Patrem tuum, qui juberet te natu primum filiorum etiam reliqua à puero diſcere, ut & cæteris fratribus ad virtutem & omnem civilem ſcientiam præires. Viſus præterea a nobis bonis rationibus confirmatus fuiſſe, ut de neutro in dubium venias: ut poſſint quidam Græcorum litterarum expertes opinionem ſapientię apud vulgus ſibi comparare, cum non niſi imaginem, ſive etiam umbram illius habeant: præterea quod unusquisque, qui quamcunque rem aggrediatur, ita ſe habere fatetur, nihil eſſe ſomno & deſidia in omnibus rebus nocentius: *labor* autem *veræ laudis pater* eſt, & eſſe à ſapientibus dicitur. Hæc autem vera laus non eſt cujusdam popularis famæ, ſed virtutis, ſcientiæ, ſapientiæ, veræ ſelicitatis, boni cumprimis nominis, & beatæ vitæ, ut de ea vulgò loquimur. In univerſum enim labore opus eſt, neque fieri poteſt,

ut quiſquam mortalium abſque illo ipſo bonorum, quæ revera ſint bona, fiat particeps. Hunc dicat quis eſſe Jovis legitimum nummum, quo nobis omnia bona alii vendunt, ut Epicharmus ajebat. Audi igitur, ô Homeri ſingularis cultor, quæ priſco ſeculò fuerit hujus poëtæ dignitas ſive auctoritas.

Ex Homero erudiebantur, non ſolum bono loco natorum per univerſam Græciam, ſed etiam Romanorum, & Romanorum, & Regum, non prorſus barbarorum filii. Docet enim hic ipſe primus omnium ſcriptorum, quæ ſit omnis vitæ humanæ ratio, cujusmodi hominum mores, quomodo privatim vivendum ſit, & domi, & peregrè & terra & mari, & quemadmodum prudentia & omni reliqua virtute utentes, calamitates & incommoda declinemus, quemadmodum urbes condendæ, & leges ferendæ civibus, ut omnibus neceſſariis abundent, & virtute præditi, & tantum non beatè vivant, quemadmodum regnum adminiſtrandum: quemadmodum gerendum imperium. Denique non eſt ne, una quidem humanæ

manæ vitæ pars, quin eam admirabilem in modum & eximiè poëta exornaverit: qui aliud etiam agens docuerit de agricultura, de cultura vinearum, de re pecuaria, de venatione, de re familiari, de amicitia, ut & parandi amici & retinendi, ut quis ſe erga amicos & inimicos gerat, qua humanitate civis, hoſpes, aut quicunque alius accipiendus ſit, ut quis ſit tangendus eleganter, de ſermone cum uno, cum non ita multis, ad populum, cum familiari, cum ſervulo, ad herum, ad regem, aut cum quocunq; alio, ſive in agro, ſive in convivio, ſive in foro, ſive in caſtris, quemadmodum cum paucis colenda urbanitas, quæ ſit cura gerenda convivii, ut variæ artes, neceſſariæ, utiles, quarum item in republ. fruitio, bene & cum ſuavitate uſurpandæ: quemadmodum conſilia capienda de rebus privatis, de publicis, de pace, de bello, de obeundis legationibus, de ſcribendis litteris, eaque omnia optima ratione, ut ipſe loquitur. Neque verò bona illa univerſa enumerem, quæ non ſolum libe-

liberaliter & ſplendidè, ſed & magnificè, &, ut ita ita loquar, regiè, ſubminiſtrat omnibus, qui per indolem talium capaces ſint, & iis frui velint, cujusmodi quis & quando deſideret, quemadmodum & Dioni, Chryſoſtomo dicto, viſum fuit in libello de exercitio: Homerus, inquit, & medius, & ultimus, & primus eſt, omnibus pueris, & viris, & ſenibus, tantum à ſe largiens, quantum accipere unusquisque poteſt.

Hic verò ego ad omnes vitæ actiones rectè transferam: eſt enim ille revera oceanus, non

Ex quo primum omnes fluvii, &
maria omnia manant,
Atque omnes etiam fontes, amplæque paludes,

[liceat enim mihi uti ipſius verſibus] ſed artium, ſalutaris conſilii, rationum, ſermonis, virtutum, & parum abeſt, quin diviniotis alicujus ſapientiæ. Non absque cauſa igitur Homerum, non poëtam dicamus, ſed philoſophum: imò philoſophorum magiſtrum. Quis enim

enim ante ipſum talia ſcripſit, aut indagavit? Nemo hominum, de quibus nobis conſtet: poſt ipſum alii de his, alii de aliis cœperunt commentari, donec de multis memorabilia conſcripta ſunt, atque nata fuit philoſophia de moribus, & de rebuspublicis. Quin & de altera parte, quam contemplativam nominant, apud poëtam ſemina ſparſa ſunt, ut de fato, de ventis, de ſtellis, aliis naturæ partibus, neque hæc ipſa repudianda, quæ etiamſi illis de rebus verum non prodant, tamen viam ſternunt ad inveſtigationem veritatis. Illa autem non ſolùm liquidò & doctè docuit, ſed etiam cum aliquo animi exhilarandi ſtudio, neque hoc vulgari, ſed divino, mea quidem ſententia. Præter verò ea, quæ dixi, oſtendit malorum principia duo potiſſimum, unum ſtatim in prioris, alterum in alterius operis initio: Iram videlicet & Cupiditatem. In Odyſſea enim ipſe Jupiter, de Ægiſti adulterio loquens ſubjicit:

Præter fatum homines culpis ſibi quosq; dolores Inveniunt.

In Iliade verò ordiens Iram canit,

Noxiferam, multi qua tum periēre Pelaſgi.

At dicat aliquis, poëtam non magis eſſe virtutis, quàm vitii magiſtrum, quando non minus imitatione expreſſit facta turpia, quam honeſta. Quod cum ipſe Plato animadverteret, ſicut mulieres, quæ hirundinibus captis, neſcio qua ſuperſtitione parcerent, lana eas coronatas, & unguento perfuſas, ex ædibus dimittere conſveverant, ita ipſe quoque è ſua civitate dimittit. Recordaris enim hæc verba philoſophi. Verum, inquit, qui ſapientiæ beneficio verius eſſe poſſit, & omnes formas imitari, ſi veniat in noſtram urbem, ut ſe & ſua poëmata nobis oſtentet, colamus ipſum, ut ſacrum & admirabilem & jucundum: dicamus autem, non eſſe ejusmodi virum apud nos, neque fas eſſe, ut nobiscum ſit: ablegamus autem in aliam civitatem delibuto ipſius capite unguentis, atque lanea corona impoſita. Nos autem, quaſi ipſius cauſam agentes, dicamus pri-

primùm, quod neque in hac aut ſimili civitate vivimus, neque quisquam in perpurgata ab omnibus erroribus: deinde, ſi commodum interpretem habeat Homerus, vacabit omni periculo, imò ut dixi, longè utiliſſima erit ipſius lectio. Sit verò etiam nobis teſtis & ſuffragetur Plato, qui pulcherrimè ipſius verſibus in omnibus propemodum monumentis utitur, non ſolum ut orationem ſuam magis ipſe ornet, ſed ut doceat etiam, quæ facienda ſint, & à quibus abſtinendum: neque defuturus ſit nobis hac in parte philoſophorum quiſpiam. Talis fuit & peripateticus, Philippi filio Iliada interpretatus: quam & illi correctiorem dedit. Hanc rationem & alii paſſim & Sapiens Chæronenſis, utili libello & civili ſapientia referto, oſtendit: denique optimus ſui ipſius interpres Homerus ſit. Attentè igitur eum legere oportet, & ſingulari ſtudio diſtinguere ea, quæ docet, ab alteris, quæ imitatione exprimit, & animadvertere, quis eorum, quæ malè injuſteq; geſta fuerint, ſit exitus: id quod & facere ſpectatores juſſit poëta tragicus.

Cum enim quiſpiam in ſcena hos tres ſenarios pronunciaſſet:

Aurum, quid eſt mortalibus te gratius?
Non eſt ab ipſa matre tanta ſvavitas,
Caróve patre, dulcibusve liberis.

Illi graviter ſuccenſuêre poëtæ, ut jam tragœdiam & poëtam exploderent, ibi tum ſurrexit Euripides, & eos exitum videre juſſit. Neque enim ille auri admirator impunè abiit. Non igitur tantum ex ipſis verbis, ſed etiam ex ipſo fine ipſam poëtæ ſententiam accipiemus. Quod ſi quis Homerum impietatis reum agere audeat, tuetur ipſum Heraclides Ponticus, ejusmodi omnia alio ſenſu accipienda, aſſerens: Sin verò etiam de Diis impiè ſentiebat, quod mihi, Homeri admodum ſtudioſo, nec ad arguendum prono, imò à ſtudio calumniæ abhorrenti, non videtur; id nobis impedire lectionem ipſius non poteſt, qui de Deo & pietate ſtatim

ſtatim ab initio rectè ſentimus. Pro Homero autem adverſus accuſatores ad te verba facere minus oportebat. Cum enim de his pridem rectè ſentias, jam hoc intelligis, ut qui poëtam non obiter, ex quo nihil præter voluptatem haurias, ſed ad ſtudium ſapientiæ accommodatè legas, atque hac ratione ex ipſo ad cultum vitæ plurimum utilitatis accipias. Vale. In academia Julia. An. cIↄ cvc.

*** *** ***

Iſta epiſtola è Græca in Latinam linguam translata docet, quid HOMERUS ad educationem in plerisq; humanæ vitæ partibus conferat, ſi quis in ejus lectione ſedulo & dextrè verſetur.

JOACHIMO FRIDERICO, Magni & Nobiliſſimi viri Othonis, minimo natu F. ab Hoim.

Ep. IV.

Singulare exemplum erat primariarum virtutum matronalium mater tua.

Tua. Quod equidem ex quo animadverti, ſemper ipſam in nobilisſimis feminis feci maximi: nec potui facere, quin etiam defunctæ laudes delibarem. Nec enim, quæ ejus generis ſunt, oratione illuſtrare vel meæ ætatis eſt, vel facultatis unquam fuit. Hoc tenue quidem, ſed pium tamen erga ipſam ſtudium probavit & Pater tuus & accepit in hoc gravi luctu in partem ſolatii. Tibi vero, JOACHIME FRIDERICE, idem gratum erit, quam diu vives, Matris obſervantisſimo & amantisſimo. Vidi his menſibus, quoties quis temere de familia verbo ejus meminiſſet, uberrimas & fere quotidianas lacrymas tuas. Nam neque eas, quoties illa cogitatio animum tuum ſubiret, tenere potuiſti. Cum vero etiam te Matris deſiderio contabeſcere videremus, rationes quærere non deſiimus, quibus avocareris à moleſtia. Quod in iſta ætate quis miretur, ego minus mirabor. Amavit enim illa te tenerime, quod & infans ſentiat: nos judicavimus, ſapienter ipſam amorem ratione regere præter matrum conſvetudinem, quæ filios

filios malo ipſorum indulgentius pleræque habent. Effeceras autem non tam blanditiis puerilibus, quam verecundia & modeſtia tua, ut te magis diligeret: ſicubi vero oſtenderes, te delectari literis & paternis ſtudiis fratrum exemplo capi, tum illum intimum amorem disſimulare amplius non poterat: de quo tamen tibi ſic affirmabat, ſi quæ puer præ te ferres, in iis porro perſeverares. Hæc ab ea ad aures tuas multis & aliis atq; aliis verbis ſæpe decantata recordari te jubeo, donec metam, quæ eſt virtutis & ſapientiæ, in conſpectu habeas. Accedunt autem & accedent, cum Patris ſapientisſimi cohortationes, tum meæ collaudationes, quę te acuent & confirmabunt in hoc tibi cum Fratribus communi ſpacio. Vale. Helmſtad. in acad Jul., non. Decemb. CIↃ IↃ C III.

HENRICO ab HOIM.

Ep. V.

CRebritas tuarum litterarum & bonitas me valdè confirmant in ea ſpe, quam de te concepi.

Hoc igitur age, in quo video te proficere: ſed & alterum, quod in extremo tuarum litterarum promittis. In munere autem, quod geris, vide, ne quid omittas. Laudat te quoque frater tuus. Monueram Peparinum, ut conſilio tibi non deeſſet: te ut, eo uteretis: utrinque fieri puto: ſed neq; ille in ſuis tui, neque tu in tuis ipſius mentionem facis: factum utrinque velim: modò, properante fratre tuo, præteritum ſuſpicor. Velim tibi fratris tui auctoritatem eſſe pro paterna: Peparini doctiſſ. & amantiſſimi hominis pro mea. Moneo, de quo reſpondere, amplum ſatis erit, mihique gratum argumentum epiſtolę. Minimus fratrum ipſe ſcribit! quem ego ſoleo cùm cæterorum, tum tuo potiſſimùm, quod proximus es, exemplo excitare: & proficio. Vale. Helm. ex academia Julia V. Kal. Novembr. 1606:

CHRI-

CHRISTOPH. ab HOIM.

EPIST. V.

DE longinquo iſto itinere familiares pridem comperiſſe, audivi poſtea: prius nihil inaudieram: poſtquam ſalvi rediiſtis, factum abs te peramicè fuit, qui me ad vos evocaveris, ut te viderem, quem aliquot an̄nis non videramus, viderem etiam Principem tuum, & quem è ſermonibus amicorum, & è plurium ipſiusque litteris cognoviſſem, etiam de facie & è ſermone cognoſcerem. Hoc cum ageres, celabas nos tamen: credo ut hac diſſimulatione veſtra ille me penitiùs & è veſtigio cognoſceret. Solemus enim plerique reverentia præſentiæ Principum loqui parciùs, & res gerere timidius, etſi ego non ad nimiam urbanitatem ab initio educatus, in utroque me gero liberiùs. Non ſolum autem conſuetudo, ſed & ætas,

cui ſolent veniam dare, animi pluſculum addit: plus domi veſtræ addit, quòd libertate academicâ, quos hoſpites exceperas, & ipſi uterentur, non minus atque nos inter nos uti conſvevimus. Quam enim in conviviis ἰσηγορίαν inter inter proceres & humiles, imò inter heros & famulos, vinum, hauſtum paullò largiùs, quaſi faſcinatis bibentium animis, facit, eandem, vel ejus non diſſimilem, neque prorſus abſque ratione efficiunt bonæ litteræ inter alios atq; alios, quos alioquin vitę conditio & fortuna disjungant longius: nolo ulterius progredi, quòd hæc verior eſt æqualitas, amicitias ſincerè conglutinans, quàm vel ætatis, vel conditionis, vel fortunarum paritas. Qui in prandio fuerint ſermones, producti ferè ad veſperam, & qua noſtra in illis licentia, recorderis. Interea tamen cum gener meus & ego ſuſpicaremur ſiniſtri nihil, tu in animo meo hærentem ſcrupulum paullum ſemoviſti, ipſe Princeps ex intervallo ſe mihi totum aperuit ultrò, ut agnoſcerem illum regium animum, quem ante tot annos ex ipſius litteris, & ex

& ex hominum prȩſtantium indicatione cognoveram, non ſolum erga me, ſed multo magis erga ſtudia ſapientiæ. Hunc autem, etiamſi me tacente retineret: tamen epiſtola ſive excitandum, ſive collaudandum duxi, etiam longiuscula, ut ad Regum filios ſolemus, & licere accepimus. Eam redde quæſo Principi tuo: ſatis ceremoniarum uſurpaſſe te credam, ſi id in tempore facias. De illa invitatione tibi his litteris gratias agere volui: de hac opera, quam nunc te rogo, agam ipſe quoq; tempore. Rogo te & alterum, ut alteri hoſpiti tuo perquam nobili, Hechthusio, viro diſerto, prudenti & magno rerum uſu prædito, ſtudia noſtra deferas. In utroq; te facilèm & promptum præbebis, pro veteri tua in me benevolentia. Vale. Helm. ex ac, Jul. III. id Sextil. 1709.

Jo. Caselii
EPISTOLARUM LIBER IV.

EPISTOLÆ *AD* NOBILES à BASSE-VVITZ & alios quoſdam.

VICTORI BASSEVITIO.

Epistola I.

Litteras primùm tuas Dreſeæ certo homini ad tuos perferendas tradidi, cum me tardius in Megapolin venturum viderem: reliqua ipſis coram exponam & reddam; id erit non citius quàm Ianuario. Tu autem quod vales, quodque operam litterarum ſtudiis ſingularem

rem navas [ſic enim ſcribit gentilis tu-us] valde gaudeo: teque, ut tibi conſtes, hortor & rogo, quoniam tibi tuęque genti ex animo volo. Quod ſi facies, certè futurum eſt, ut conſequaris non ſolum, quod plerique, ſed quæ ego tibi multo majora prædicere ſolebam, ut te ad litterarum & humanitatis ſtudia colenda inflammarem. Quæ qui colant & perſequantur, eorum profecto magna penuria eſt: in ſummis pręſertim & fortunatis familiis, quæ apud vulgus præcipuè auctoritate valent. Cum enim eorum pauci ad litteras & ſingularem veramque virtutem animum adjungant: tum quàm ex iis multi ab ipſis, idque multis pernicioſisque modis abducuntur? quod quidem tu non ignoras, & multos meminiſti. Neque vero pauci in ipſo curriculo concidunt & pereunt. Non numero eos, quos ego recordor, ne dolorem meum augeam: ac ne eos quidem omnes, qui dum domo abſum, immatura morte ſublati ſunt, cum eſſent non jam in ſpe optima, ſed etiam pleraque illa bona fuiſſent adepti. Fratrem autem

meum

meum Samuelem Caſelium præterire nullo modo poſſum, quem ego, ut tute ſcis, in alterum jam annum lacrymis proſequor, neque poſſum ab iis mihi temperare, quoties vel ipſius nomen, vel verba, vel vultum recordor, aut monumentum ipſius ingenii intueor: in quo cum ſim immodicus, ſæpe me ipſum reprehendo: neque tamen hoc dum vulnus ſanatum eſt, aut brevi cicatrix obducetur. Vulnus etiam novum nunc accipio: quo ego nuncio te non libenter impertio, quando tibi non minorem, quàm mihi dolorem inuret. Amiſimus autem amiciſſimum nobis atque cariſſimum Caſparem Flotovium, qui licet modeſtus eſſet, ut decet adoleſcentem, & eum maximè, qui Muſis nomen dederit, tamen levi quodam erratione cujusquam an caſu? [ſunt autem lapſus juventutis faciles, & caſus varii atque periculoſi.] Francofurti ad Viadrum, quo ſtudiorum cauſſa abierat, periit. Cum enim ad dextræ carpum vulnus accepiſſet, quàm periculoſum initio, affirmare non poſſim, in febrim incidit, quæ indies magis

gis magisque eum ureret, ut tandem tabe exeſtus, cum & ipſe multo melius ſperaret, & id vix metueretur, deletus ſit. Nollem equidem, ipſum eo abiiſſe, ac rogatus conſilium, diverſum aliquando ſuaſeram. Cum eim adoleſcentuli animum, & quidem ipſam adoleſcentiam exploratiſſimam haberem:, auctor eram, ut neque à pædagogo, quem habebat, non cujuſmodi ipſorum vulgus eſt, ut propterea pæne omnes male audiant; ſed & ſatis doctum & minimè acerbum, dimitterent, neque ipſum longius ante diſcedere, quàm & ætate eſſet maturiore, paterentur: ne ſcilicet corporis animique fideli cuſtode deſtitueretur. Neque enim neſcio, quàm facilè optima etiam indoles, dum ſine certo duce vagatur, animo etiam fluctuans, vel pravitate ſodalium corumpatur, vel quavis etiam minima occaſione, quod Caſpari accidit, pereat. Ipſum autem nulla dum ſui parte, neque hac, neque illa re fuiſſe corruptum: ſed tamen, proh dolor, ut oſtendi periiſſe, comperi. Ingens ille matri Luciæ Molſaniæ fœminę

lectiſ-

lectiſſimæ, quæ ipſum tenerè amabat, præſenti tum (accerſita enim domo fuerat inſcio filio) & oculis ſummum ſuum dolorem intuenti: ingens profecto & luctuoſum ſui deſiderium reliquit, neque haud dubiè minus patri Andreæ, qui huncce filium ornamento familiæ ſingulari, & præſidio, ſi quo umquam felici familiæ opus eſſet, fratribus & propinquis futurum, ſperaverat, eam ſpem ego in optimi ſenis animo ſæpe confirmaram: neque, ut opinor, hoc temerè faciebam, quando ille vix ephebus, eo erat pudore, ea elegantia & ſuavitate morum, modeſtia, ea denique vitæ innocentia atque probitate, qua meminimus: ita & doctos homines colebat, & litteras amabat, ut has longo tempore, magnis expenſis, multis vigiliis paſſim terrarum, non ſolum de conſilio patris & amicorum, ſed multo magis ſua ſponte ſibi parandas conſtituerit. Plurimum vero etiam ipſum incenderat Theodorici Molſanii avi paterni claritas: à quo ſe ab ultima pueritia amari plurimum & hac quoq; educatione aſſveſactum, meminerat.

Nemo

Nemo igitur non ipſum, ſi vixiſſet, ſatis maturè omnibus ampliſſimis animi dotibus cumulatum, non ſolum genti Flotoviæ multis jam retro ſeculis bellica laude celebri, novo ornamento, & ſi uſus veniret, adjumento quoque, verum etiam patriæ civem utiliſſimum & clariſſimum futurum fuiſſe, haud injuria, crediderit. Ego certè penitus hoc mihi perſuaſeram: ſed hanc de ipſo ſpem fortuna, ut vides, & inopinato & ſatis inclementer præcidit. Etſi autem hæc generoſa ſtirps gemmas quidem oſtendit, ſed iis veluti grandine, primo vere, decuſſis, nullosdum fructus tulit, neque per annos ferre potuit: tamen non omni præterea laude nobiliſſimum adoleſcentem, omniaq; ſumma omnibus notis de ſe pollicentem, ſpoliandum cenſeo. Itaque cum ejus immaturam mortem ad te ſcribens deplorarem: non potui non laudum ipſius aliquid delibare, partim, ut, cum me etiam mortalium conſuetudine exemptos diligere intelligeres, de re quoque quamvis longiſſimè à nobis abſis, nonnullam ſolicitudinem ſuſcipere, ti-

bi perſuaderes: partim ut optimi tui ſodalis memoriam intuens, ſtudia tua alacriter porro quoque perſequaris, & quàm cautiſſimè potes, vitam tuam inſtituas, atque quod in te eſt, [omnia enim præſtare mortales non poſſumus] in tuto colloces. Hoc autem te eo magis rogo, quoniam tibi educatio liberior contigit, & animi tui impetus ſunt acriores. Hi autem facilè juvenilem ætatem in pericula, ſæpe etiam in exitium præcipitant: neque aliter aut certè non rectius compeſci, quàm ratione & iis litteris, in quibus tu verſaris, poſſunt. In quam ſententiam uberius ad te ſcriberem, niſi hæc quoq; non valde neceſſaria eſſe multis nominibus arbitrarer. Præter enim quàm quod hæc ipſa non penitus non intelligis; habes iſtic & humanè vivendi illuſtria exempla, & doctores nobiliſſimos, ut alia deſiderare non debeas. Quod ſi enim quis convicerit olim cives Athenienſes è quovis alio, quàm è Socratis moribus & doctrinis, potuiſſe rectè vivendi rationem melius accipere & plenius; tum conſulam, ut ali-

um

um tibi doctorem, quam ſenem Victorium quæras. Quem quidem virum, niſi tu ut ſummè obſervas, ita quoque audies & ſequeris; tum ſi quid aliquando minus tibi è ſententia ceſſerit, id neque cuiquam alii, neque fortunæ, ſed tibi ipſe imputes neceſſe eſt. Verum iterum mihi rogandus es, ut hoc ſupervacanum, ut judico, officium, & hanc te cohortandi, quam mihi ſumo, libertatem, non iniquo animo accipias: meæque huic ſive ſtultitiæ ſive curioſitati, ſiquidem alterutrius me reum agendum exiſtimas, amicè & promptè veniam des. Quidquid enim hujus facio, id facio non aliam ob cauſſam, quam quod & tibi & toti veſtræ genti Baſſevitiæ bene ex animo volo: ſicut & ante dixi & tibi conſtare arbitror: quam egregiam erga vos voluntatem familiaritas & animorũ conjunctio, quæ mihi multos jam annos ex ſimilitudine utriusq; noſtrum ſtudiorum nata, cum gentili tuo Joachimo eſt, in me peperit potiſſimum, eum vero animum mutuis officiis facilè tuebimur. Vale. Lipſia VII Id. Xbr. Anno clɔ Iɔ LXVII.

LUDOVICO BASSEVITIO.

EPISTOLA II.

AN verò à meis partibus aut à re ipſa alienum erit, ſi, quæ, quoties una ſumus [ſumus autem unà, uti ſcis, ferè quotidie [tecum ago, epiſtolâ etiam eadem perſequar? aut ſaltem ipſorum aliquid? hoc enim pacto & illuſtriùs meæ in te egregiæ voluntatis apud nos & alios extabit teſtimonium; & tu magis incitatus hac veluti acclamatione, ferventius conficies ſpatium iſtud; id verò non Olympiorum, neque Circi maximi; ſed virtutis & ſapientiæ. Etenim hoc te ingredi juſſit ſumma prudentia atque uſu rerum ſingulari præditus Lud. Baſſevitius pater tuus, cum vidiſſet atque prçclarè intelligeret, non in fortunis, quibus abundatis, neque in genere, quo eſtis jam à multis ſeculis apud Megapolenſes ampliſſimo, tantoperè poſitam eſſe Nobilitatem; quantum ipſa nititur

titur veritate, juſtitia, fortitudine animi, temperantia, ceteris virtutibus; atque ingenuis diſciplinis. Utinam omnes apud nos primi loci tantis fortunis, tantaque dignitate viri æquè ſapiant: & malint toto animo (agant autem idipſum, ſicut par erat, ſi malint) liberos ſuos, potiùs in litteris, continentia, humanitate, rectè vivere; quam libidine, luxu, avaritia, ὕβρει, miſerè perire. Sed hæc res pauciſſimis hodie curæ eſt; quam maximæ equidem curæ, Patri tuo fuiſſe atque etiamnum eſſe, paullò ante dixi. Non vereor autem id adfirmare atque prædicare, quod præclarè cognitum habeo, & videor mihi quodammodo intelligere. Primum igitur ille vos, veluti è cunis domi, & ipſe educavit, & eos aluit, qui hoc unâ facerent. Quoniam autem & moribus & doctrina filios imbui voluit: propterea nullis impenſis pepercit, neque parcet, modo expectationem, de vobis ſuſceptam, egregiè ſuſtineatis. Tu n. quoniam de te ſolo, quem alloquor, dicam, etiam, cum domi meæ, abhinc ſexennio, valde

dum puer, viveres, nonnullam de te concitaſti. Admodum equidem mihi placebas: cum quia ingenium enitebat ex te ſingulare, tum quia eras ad parendum promptus, ſi quis tibi imperaret, quem tibi benè velle animadverteres. Ex eo tempore pœnè in hunc diem, amicus noſter M. Dabercusius, vir optimus atque doctiſſimus, ingenium tuum probè exercuit, & veluti arvum omni ratione atque arte ad accipienda nobiliſſima ſemina pulchrè ſubactum, excolendum nobis, atque veluti ſepibus, ne quis teneras herbas violet, muniendum nobis tradidit. Sumus autem eo animo, fide, diligentia, atque litteris, qui in hac ſchola optimas doctrinas docemus, & adoleſcentiam ad virtutem educamus, ut & id poſſimus, neque quidquam, quod noſtrarum, ſuo quiſque loco, partium eſſe intelligimus, prætermittamus, neque tamen cujusquam culpæ propterea rei agendi ſumus, etiamſi nonnulli tui ordinis adoleſcentes ſine fruge in ſtudiis verſantur: imò otium litterarium hoc nobiliſſimum, in luxum,

Digitized by Google

aliudque infame otium convertunt. Sicut enim, ſi qui ultrò velint, omnes omni opera adjuvamus animo libentisſimo: ita, ſi qui nolint, nosque averſentur, eos ſervare equidem non poſſumus, qui ſingularem magiſtratum non gerimus, quin qui in magiſtratu ſunt, compeſcere furores contumacium queunt; ſanos verò, ſi quid ego video, confeſtim reddere nequeunt. Quantum autem in me eſt, illud ego facio. Cum enim recta via ingreſſos, recta progredi atque ad metam pervenire, errantes verò in viam redire & priorum ſimiles fieri, mirificè deſiderem: hos, quoniam ipſorum revera multum me miſeret, obſecro, moneo, objurgo, mitisſimè, acerrimè: illos mihi non immerito longè unicèque carisſimos, non ſolum coram probo, *ſed* cum fieri id rectè poſſe intelligo, publicæ collaudationis, non exiguo, uti ſpero, honore adjicio. Neque nunc te, adoleſcens carisſime, hac epiſtola compellarem, ſi te penitus improbarem. Nolim enim cujusquam mortalium no-

nomine meum honorem in diſcrimen conjicere periclitaretur autem, ſi leviter, quem indignum ſuſpicari poſſem, ornare non erubeſcerem: mihi autem quod hic, uti bonum virum decet, proſpicio; idem etiam ipſi veritati facio, atque debeo. Quoniam autem probo, quæ facis hactenus, hęc ad te ſcribo. Inprimis autem probavi, quia hac tua prima adoleſcentia perſtudioſum te eſſe intellexi Romani ſermonis elegantiæ, & vidi adſiduum lectorem, magnum amatorem, atque admiratorem planè ſingularem noſtri Comici: qualem me ipſe quoque profiteor. Ex quo tuo ſtudio animum quoque informare cœpiſti, & mores tuos; præparaſtique te ad uberiores litteras. Hoc enim quoque inde petitur. Habent enim hoc etiam comœdiæ, quod alia bona, de quibus ſic Terentianus Chremes:

Qui uti ſcit, ei bona; illi qui non utitur rectè mala.

Ut verò arbitrer, rectè te etiam in hanc partem uti lectione comica; indicio mihi ſunt cetera ſtudia tua: in quibus eſt

eſt τὸ ἠθικὸν, de quo ſuo loco dicta ſunt à me, & dicentur brevi plura. Verum tu nunc perge, neque ulla parte ſpem de te noſtram labefacta: quin, ſi ſapis, eam ut ſuperes, enitere. Neque hoc admodum erit grave, modo tibi eas comites pares, quæ magnopere celebrantur à Timæo, εὐπείθειαν καὶ καρτερίαν; hoc eſt: primum, ut te ſalvum velis, neque adverſeris iis, qui te ſalvum volunt: deinde, ne ullis improbarum voluptatum illecebris te capi patiaris, ſed honeſtiſſimos, & ſi voles jucundisſimos labores, quibus mercaberis virtutem, doctrinam, gloriam, alacriter ſubeas, & conſtanter urgeas. Hoc autem præ omnibus age ſedulò, ne ejus vitæ, quæ vulgo beata creditur, mores amplexeris. ἐκ γὰρ τούτων τῶν ἐθῶν, οὔτ' ἂν φρόνιμος οὐδείς ποτε γενέσθαι τῶν ὑπὸ τὸν οὐρανὸν ἀνθρώπων ἐκ νέου ἐπιτηδεύων δύναιτο, οὐθ' οὕτως θαυμαστῇ φύσει κραθήσεται: quemadmodum ad Dionis propinquos ſcribit divinus Plato. Vale. Roſtochii, Pridie Non. Quinctil. Anno CIƆ IƆ LXIX.

JOACHIMO BASSEVITIO.

Ep. III.

QUàm acerba unicuique ſit hominis cariſſimi amiſſio, nemo eſt mortalium, cariſſime Baſſeviti, quin aliquando, interdum etiam ſæpius, experiatur: & ego in funere optimi atque eruditiſſimi, & hisce de cauſis non minus tibi quàm mihi cariſſimi fratris Samuelis, expertus fui: neque tu ignoras, cum de ipſo incertus rumor iſtuc adferretur, quanta cum animi ęgritudine tum fuerim luctatus, quamquam rumorem allatum vanum eſſe, anxiè optaverim. Id tu non ignoras, qui me mœſtum conſolari, peneque jacentem animum, & bonis rationibus, & reliqua etiam ſpe erigere ſolitus fueris. Hanc vero etiam dum in itinere ſum, amicus quidam, qui ſibi ipſe id perſuaſerat, aluerat: ſed fruſtra ſuſceptam, fruſtra confirmatam, ut Lipſiam veni, luctuoſiſſimus equi-

Digitized by Google

æquidem, ſed veriſſimus nuncius in perpetuum evertit. Tum igitur in ingenti dolore cum eſſem, ad Victorium ſenem præſtantiſſimum, quem de peregrinatione, ceteriſque meis rebus certiorem redderem, id quoque perſcribere non dubitavi. Ipſe vero reſcribens, ſuum quoque caſum mihi narravit; uxorem deceſſiſſe, qua cum totos annos quinquaginta vixiſſet; quod tu me ante docueras, quemadmodum hactenus hoc ſcribendi officio diligentiſſimè fungimur: nec ille quidquam præterea. Ait enim, ipſum me videre conditionem mortalium, & quomodo hæc, quæ reparari non poſſunt, ferenda ſint, intelligere, eaque ſequi, quæ intelligam. Erubeſco profecto, ea mihi tribui, quibus caream, neque tantum profeciſſe, ut naturæ neceſſitati ſilentio obtemperem. In hunc enim etiam diem magnopere me deſiderium fratris excruciat. Quo æquior ſum etiam aliis, quibus juſtam eſſe doloris cauſã intelligo: neq; mihi ſatisfacio, niſi amicos oratione mea ſublevem: maximè ſi recens ſit luct⁹, cujuſmodi hic noſter eſt.

Eum

Eum tibi ego invitus profecto nuncio, cui multo graviſſimus futurus ſit: quod tamen facio: neque etiam celare te pro noſtra animorum conjunctione quidquam debui. Utinam vero, qui hoc vulnus primus tibi oſtendo, primus medicinam faciam: ſed hanc à te ipſo, à conſtantia animi tui, à litteris, denique ab amicis, quos iſtic habes, petes. Venit Mater ſuperiore menſe, haud ſcio quâ in re: fratres enim Bulovios adfuiſſe intelligo, venit Viſmariam, ibique cœpit leviter laborare: ejus autem loci pertæſa, in Levitianum veſtrum revertitur, ubi VI. Kalend. Novembris, lectiſſima fæmina, cum magna omnium, maximo autem tuo dolore, naturæ legibus concedit. Ego igitur ſum audacior, JOACHIME, qui primus ad te id ſcribo, quod tuorum nemo ſtatim faceret: etſi te litteris domum ſerio vocant, quas tamen tardius ad te perlatum iri exiſtimo: neque tamen omnem cauſſam, quamobrem te hic opus ſit, aperiunt. Tu autem ea cognita, primum reſiſtes magnitudini doloris tui: deinde facies hoc,

quod

Digitized by Google

quod faciendum vides. Omnes te ſollicite exſpectant, & haud ſcio, ſi diutius à tuis abeſſe, tibi nunc ſit integrum. Multa erant, quæ præterea ad te ſcriberem, ſed & hæc celeriter ſcribo, & quoniam non niſi primo vere iter te ad nos ſuſcepturum arbitror, ad Kal. Jan. ſcribam uberius. Bene vale. Roſtochio, III. Id. IXbr. An. cIↄ Iↄ LXIIX.

EIDEM JOACHIMO BASSEVITIO Præfecto Dobertini, Conſiliario Megopol. Ducali & Provinciali præcipuo.

EPISTOLA IV.

CUm plæraque alia longo tempore in rerum difficultatibus explorata præferantur recentibus, quamvis ſpecie pulcherrimis, tum amicitia veteri nihil carius aut pretioſius habetur apud mortales, etſi aliquæ res novæ non rarò pollicentur ſuavitatis & utili-

utilitatis plurimum, quarum repentina quaſi luce illuſtrati imperitiores ſe in cœlo collocatos ſomnient; quos paullò pòſt non gravis tempeſtas vel levis nubecula magnæ ſtultitiæ ſive erroris convincit. Qui in vita hominum magna ſive eximia moliuntur, in quibus plurimum fidem experiri neceſſe eſt, non rarò in ejuſmodi diſcrimen incurrunt. Ego, cujus rei tu quoque mihi ſatis locuples teſtis eris, cum ne ab initio quidem quidquam ſupra vires conditionemque meam tentarim, bonorum benevolentiam bonis artibus honeſta quadam ambitione expetivi. In illis cum eſſet omnis liberalis & elegantis doctrinæ ſtudium, tum erat quædam in quotidiano convictu cura ſingularis, rectè vitam inſtituentium nemini negligenda: quòd ætate, genere, fortunis, eruditione & virtute ſuperiores cum obſervantia, nihil quidquam ſimulans, colui, quod paribus facilè ceſſi in omnibus, quòd æqualibus & amicis, ubi rectè poſſem, gratificari ſtudui, quòd minoribus aut præſto fui, aut hoc me ſeriò agere, diligentia probavi: ita

inve-

Digitized by Google

inveni maturè ſimul & εὐεργέτας & amicos. Nec enim hoc loco dicam de iis, qui contrà, ſive ultrò ſive exemplo meo, meam benevolentiam & fidem bono ſuo ſecuti ſunt. In his autem omnibus, quando ſunt non niſi mediocria, neque multum, neque nihil gloriæ poſitum cenſeo: cum non prorſus humi jacere, nec in ſordibus volutari, felicitatis alicujus exiſtimandum ſit, eò fortaſſe minus adſpernandæ, quòd ea cum magno periculo conjuncta eſſe non videatur: quod tamen neque ſic declinare omne potui. Tandem enim calumnia in me, illius ſtultè ſecurum, ut ex re ipſa didici, omne virus ſuum evomuit, quo tempore mihi meisque præmium potius meritorum aliquod ſperabam; ſed ego illa jam declinata, porrò, ut olim, quod mihi vitæ ſpatium perbreve reſtat, uti feci hactenus, decurrere decrevi: nec ab officio me deterrebunt, retardabuntve novi ſapientes, qui Orci galea tecti, latâ pridem ſententiâ, cenſuras ſuas obtradunt imperitis, ut eſt inſcitiæ audacia, ſimulque imperandi confidens libido.

Nec

Nec verò juvenis ſi ſim, cum Larvis mihi luctandum putem: nedum id faciam hac vitæ meę veſpera. Quod ſi neque manibus meis parcent, teſtimonium ferent innocentię meæ viri boni: nec ulla malarum artium vafricie opprimi veritas poterit. Illa autem mihi, & multa alia, quorum partim conſignari litteris non poſſunt, partim aliis atque aliis de cauſis conſignare non ſolemus, cogitanti de noſtra amicitia in mentem venerunt, nata ex litteris inter adoleſcentes in academiis Germaniæ, confirmata ultra Alpes in iiſdem nobiliſſimis ſtudiis, ſincerè culta ab utroq; in hunc diem, non ſolùm cum iſtic ferè unà quotidiè eſſemus, ſed poſtquam huc veni, non malo, uti ſpero, academię Juliæ. Quod etſi prædicare non falſò poteram ipſe, cenſendum relinquam iis, quos invidiæ ſtimulus non torquet. Mea in te ſtudia nec magna nec multa, ſed ſemper tamen prompta fuerunt: tua in me officia & crebra & ſingularia. Nunquam enim non, ut de academiæ Megapolitanæ bonis, ita de meis commodis cogitabas, mihi hic amicos &

iſtic

iſtic & alibi parabas, quod erat non absque utilitate & cum magno honore meo: annon hoc etiam tuo, qui & amicitiam ex animo colere, & ſtudia ſapientiæ viderêre? Nam quod mihi tribuebas, id ei rei, unde primum animi noſtri coaluerant, multò magis tribuebas. Ægrè autem patiebaris me iſtinc avelli, & multis mecum agebas, ut tecum, & in patria tua, quæ quodam modo ex contractis nuptiis & natis liberis jam altera mea erat, eſſe mallem: quod ut mihi perſvaderes, penes me tùm non erat. Migratio cum publicè non obfuerit, privata utriusque ſortis boni æquique facio, *ut eſſe omnino debet æquitas animi noſtri: ne ſecunda nimis cara, nec adverſa ſupra modum nobis aſpera videantur.* Quid autem potiſſimum agerem, etſi conjectura aſſequi poteras, tamen ex lucubrationibus meis, quarum exempla ad vos quotannis miſi, videris. Sunt illæ quidem non primæ notæ, ſed neque ultimæ: ut malæ cujusdam non eſſent, nec dedecori Muſis, ſed adjumento ſtudioſæ juventuti, nec publicè damno, nec quemquam mortali-

um læderent; mihi ſumma ſemper cautio fuit. Nàm quòd inſcitiam, quòd barbariem oppugnamus; id ſaluti eſt eccleſiæ, reip., adoleſcentibus, ſi qui nobis auſcultant, qui neque exſtitère omnium ordinum, quod temerè dicerem, niſi res ipſa loqueretur. Vide in cæteris & oratiunculam, quam hoc menſe condidi tenuem, de re, ut multi dicent, tenui, quod neque inficior, ſed explicatu ad tirones neceſſaria. Eam tibi muneri mitto, quod tu munus non minimum tamen putabis. Nec enim in hac parte eris inferior vulgaribus amicis, qui hanc legem amicitiæ in ore habent: cujus generis quæ ſint, non ex pondere, ſed ex mittentis animo eſtimanda. Sed quid hoc ad te, quo nemo eſt juris amicorum obſervantior? Vix etiam patieris, ut tibi commendem meos, quos tu ſemper ultrò dilexiſti, & ornandos cenſuiſti. Cum dolore recordor, ut majorem filium meum, JOANNEM ULRICUM, ſingulari benevolentia olim fueris complexus: qui, cum Patri in omnibus ſatisfeciſſet, quæ, ne dolorem veterem ir-

ritem,

ritem, non perſequar, naturę legibus ſatisfeciſſet, fati inclementia, ſi ita, ut angimur animis, per pietatem nobis loqui licet: alter mihi jam & unicus ille ſupereſt, JOANNES CAROLUS, quem æquè abs te amari & velim; nec minus amari, certò ſcio: de quo, ut patres indulgentes ſolent, nihil ipſe magnificè loquar, præter hoc, quòd & fraternis veſtigiis inſiſtit, & à puero cavet, quæ mihi cunque ægrè eſſe ſuſpicetur: unde collige tu cætera, nihil prætermittere eorum, quæ à me fieri velle intelligat: in quibus & hoc eſt, ut te colat, quod facit, qua par eſt obſervantia, quam ſuis quoque ad te litteris teſtatam fecit pridem, & porrò faciet. Ut primum tibi vacabit, percurre hunc libellum, & judica, an non hic ingenioſiſſimo & nobiliſſimo cuique diſcendi leges accomodatiſſimas pręſcribam. Quod ſi tibi quoq; videtur [nec aliud mihi perſuadeo] unà mecum auctor eris fortunatorum filiis, ut & ipſi non ſuperficio tenus litteras deguſtent, rati, quod res eſt, ſtudia ſapientiæ ſibi plurimû profutura, deinceps artes belli, ſive pacis colant.

Jubebat autem rectè Pythagoras, negotia patriæ aggredi, *οὐκ ἐξ ἀπαιδείας, ἀλλ' ἐκ παιδείας.* Vale. Helmæſtadio ex acad. Julia Idibus Nov. clɔ Iɔ cx.

CUNONI-VVOLFGANGO à BASSEWITZ, in Lüheburg & Maslow.
JOANNI HANEN, in Baſedow.
HENNINGO REVENTLOVV, in Ziſendorf & Retz.
ABRAHAMO à VVINTERFELD, in Görtzendorf.
BERNHARDO à LUBBENSTORF, in Lübbenſtorf.
GEBHARDO MOLTHEN, in Toitcken-Winckel.
Omnibus Equeſtris ordinis, primis Senatus aulæ Guſtrovii Aſſeſſoribus.

Ep. V.

DIſcere jubemur, etiamnum pueri, ſententias veterum, quæ porro quo-

ro quotidie magno uſui ſint adultioribus. Tum demum enim ex iis, præter univerſę vitæ hominum cognitionem neceſſariam, cognoſcimus, & utraque manu tenemus, & à quibus ipſi malis ſedulo nobis caveamus, & quæ omni ſtudio optima ſequamur. In illo genere eſt querela prodita priſcis ſeculis, & deinceps, tum ab aliis, tum â Poëtis ſæpe repetita, & illuſtrata variis modis, de hominibus ingratis: tam verum illud verbum, ut qui litteras non didicerint, idipſum uſurpent ubique gentium. Me primum hoc docuit Scriptorum ille vetuſtiſſimus: *ὡς οὐκ ἔτι χάρις μετόπισθ' εὐεργέων*. Inculcarunt poſtea animo meo alii ex aliis, quorum ego verbis referendis ſuperſedeo. Neque veſtrûm quis eſt, Viri Ampliſſimi, quin eadem & didicerit & meminerit. Me illa, ſive ſententia, ſive querela, ita commovit, ut ingrati animi crimen deteſtatus, gratum eſſe erga bene meritos pulchrum duxerim, & ipſe gratus ſemper eſſe ſtuduerim. Debui autem eſſe gratus erga primos maxime. Itaq; cum ſumus *εὐεργέτης* diſci-

plinarum liberalium JOAN. ALBERTUS, Dux Megapol. beneficio me afficere cœpiſſet, primùm dedi operam, ut beneficio & dignus eſſem & haberer; multo deinde ſtudioſius incubui in alterum, ut quibus rebus, ſive ſignis, poſſem, declararem gratum animum, quem oratione præ me ferrem. Non potui autem rectiùs, quàm ſi de Sparta, ut eſt in proverbio, quæ mihi demandaretur, ornanda, ſive tuenda, potiſſimum cogitarem, & laborarem ſeriò. Hoc ita me feciſſe, ut neque ad honores adſpirarim, neque rem quæſierim, qui mos maximæ multitudinis mortalium, de opibus & primo loco dies noctesque cogitantium, teſtis mihi eſt Academia Roſtochiana ab annis fere quinquaginta, & vos, Generoſi Viri, ultro huic teſtimonio ſuffragabimini. Statim enim de univerſa Studioſa Juventute mereri ſtudebam, neque id vulgari modo, cum & plures academias adiiſſem & clarisſimos doctores audiviſſem, etiam in Italia, & me ad ſapientisſimam vetuſtatem potisſimum retuliſſem. Sed cum

Digitized by Google

in eo totus eſſem, in aulam accitus, docebam & diſciplina regia educabam Henri beneficentisſimi filios, Principes JOANNEM & AUGUSTUM SIGISMUNDUM. Fide illic præſtitâ ipſos annos quatuor, & relato præmio, reverſus ad munus Academicum, pergebam bene mereri, quo dixi modo, tum de juventute, qui è vicinis regnis & regionibus, atque etiam è longinquis, ad nos confluxiſſent, tum, ut primo tempore, ſic illo ipſo ex ordine potisſimum equeſtri adoleſcentibus Megapolitanis ſtudui conſulere. Neque unquam à veſtris Conſanguineis fuit vacua domus, qui mea conſvetudine fruerentur, & meo in litteris conſilio, quod rectum eſſe nemo dubitabat, uterentur. Horum ego indicem facere non debeo, ne videar longa neque neceſſaria enumeratione, hac in re glorioſior & paſſim ſunt peri ſas provincias, qui mecum vixerint, qui idem loquantur multi, & teſtabuntur eo die, quo hæc vobis in ſolemnibus exequiis, futuris Principi CAROLO, reddentur. Quę cum de me intelligeret optimus idem Dux

ULRICUS, & ſuperſtite fratre JOAN. ALBERTO, & deinceps me ſemper in ſuis habuit: cumque item mihi benefaceret, non minus cognovit de doctrina quadam mea, quam de integritate & grati animi memoria. Dum autem ſtudui, quemadmodum oſtendi, erga Principes gratus eſſe, inveni mihi novam gratiam. Effeci enim, ut non ſolum in urbibus Megapolitanis ſed paſſim per provinciam me diligerent VIRI Nobiles, præſertim, qui me de filiis bene mereri cognoviſſent; quod certe agebam: neque id vos latere poteſt. Eſtis namque & ipſi optimis diſciplinis expoliti, & mihi pridem cognito bene vultis, etiam ætate multa confecto & viventi in patria Academia; qui ante habuerim & ſemper habeam Megapolin alteram patriam. Movit autem me primum veſter ille mihi notus erga me animus, ſimul autem & potiſſimum primaria dignitas, quam Provinciales in ſenatu aulæ adepti ſumma veſtra cum laude & patriæ bono maximo geſſiſtis, ut hanc Orationem funebrem, Principis CAROLI me-

memoriæ conſecratam, ad vos mitterem. Quod officium ſive ſtudium ſi vobis & de veſtra ſententia Ordinibus Megapolitanis gratum fuiſſe audiam, non ſolum abunde gratiæ mihi relatum, ſed novo inſuper veſtro beneficio me vobis devinctum ſtatuam, & profitebor, & uti meritum veſtrum eſt, ad bonos quam plurimos prædicabo. Valete, Viri Nobiliſſimi, meque veſtri obſervantiſſimum, veſtrorum ſtudioſiſſimum hac ætate, qua primus ab undecies ſeptem mihi vivitur annus, priſtina benevolentia complectimini. Helmæſtadio ex Academia Julia XIII. Calend. Septembris. cIↄ Iↄ cx.

Jo. Caselii EPISTOLARUM LIBER V.

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

EPISTOLÆ AD PETRUM VICTORIUM Nobilem Florentinũ, Et HUJUS ad ILLUM.

PETRO VICTORIO. *Florentiam.*

Epistola I.

ETſi interpellari te à me ſæpius, Petre Victori, quæ tua cum erga omnes nemini non explorata celebrataque eſt humanitas, tum ſingularis erga me, verbisne & literis, an factis, & liberalis doctrinæ communicatione nata atque confirmata

ſmata benevolentiâ, non iniquo patieris animo; tamen nonnihil mihi peccare videor, qui meis te epiſtolis ab arduis iſtis negotiis, hoc eſt ab explicatione & propagatione ampliſſimarum doctrinarum toties avocem, neque modum ad te ſcribendi faciam. Nam cum ante aliquoties ad ſcripſi, & nunc ſcribo; tùm hoc menſe iterum ad te mihi ſcribendum video. Antè verò mihi officio, quod tibi, * cogi videbari nunc huc alio, quo tantum de me merito, quantum cogitando vix queam aſſequi, debebam, me ſodalibus amicisque meis obligatum eſſe intelligo, invitor, ut ſcilicet ipſis meâ etiam importunitate aditum ad te, quem jam pridem ſuſpiciunt, videre & audire geſtiunt, patefaciam. Quod ſi recuſarem, quando me tantum valere, ſibi perſvaſerunt, mihi non facilè ignoſcerent. Etſi autem æquius erat, me ab ipſis veniam & petere & impetrare; tamen à te eam mihi faciliùs impetratum iri videbam. Hanc igitur primum mihi largieris, alterum eſt, ut optimum doctiſſimumque virum Joan. Schofferum

Æmi-

Æmilianum, cum quo ab adole
tia conjunctissimè in iisdem studi
xi, non tàm meo, quàm suo no
illo tuo amore, quem mihi mult
ingenuis adolescentibus plenissime
basti, complectaris. De ipso ver
amore, qui inter nos est & mutu
singularis, halucinari videar, nih
deo scribere, præterquam quod
teris tuis illis, virtutis & consili
salutarium altricibus, quibus se n
esse deprehenderat, nomen à p
dedit, & te non solum ex famâ,
rum etiam ex tuorum absolutiss
rum commentariorum diligenti le
ne cum primis admiratur & colit.
rum utraque caussa & ipsum tibi
literis multò rectiùs commendari
meæ in scribendo temeritati pau
fuerit patrocinata. Neque etiam
spectabis, ut addam, gratum eun
se, quem bonum dixerim me quo
& propterea gratum esse in me cu
intelligas, cum non possim aliâ v
sermonibus & literis declarabo.

Ie. Rostochio XV. Cal. Sextil.
cIↃ IↃ LXVII.

Digitized by Goo

EIDEM.

EPISTOLA II.

AD XV. Kal. IIXbr. postremū ad te domo mea litteras dedi, quarum in extremo, iterum istuc scribendi commoditatem vix ante Kal. Jan. me habiturum significavi: neque non multum circumspexi, ut hæ istuc quàm rectissimè & sine mora venirent: cum, quia hoc multum ad Joachimum Bassevitium nostrum pertinet, cujus negotia, æque uti mea summæ mihi curæ sunt: tum, quoniam Kalend. Novemb. hic à te mihi litteræ redditæ sunt, quas tu dedisti X. Kal. Sextil., ne, si serius responderem, à mea consuetudine atque diligentia, debitaque vobis observantia discedere viderer. Quamquam enim de me tale quippiam ne suspicaturi quidem estis: tamen me ipse, ni in officio sim, gravissimè accusem, & animi angam. Intelligo autem litterarum aliquid istuc perferri; aliquid perire. De earum

rum tamen aliis minus sollicitus
quod damni nihil fecerimus: duo
ro fasciculi vereor ne perierint,
istuc salvos perlatos omnino velim
orem misi Lipsia, cum ad te scrib
prid. Kalend. Jan. in quo erant
præter meas, Marchionis Joac
Friderici, & Thomæ Hubneri ep
læ: quarum neque tu alicubi, n
Jacobus filius tuus, neque Basse
noster mentionem facit: alterum
rino misi: id erat, ni fallor, m
Quinctili: in eo erant meæ plur
Scripseram enim & ad te & ad so
istic nostros, quorum consuet
perjucunda usus fueram, neque m
riam ex animo dimittere meo au
beo aut possum: ad Oricellarium
co, ad Ricardium, Maphæum, I
ciscum nepotem tuum: hic enim
pse prior me litteris suis compel
rat. Sed forte nimium de lit
Quod mihi graculeris de rebus se
dis meis, si quæ sint, aut aliquid
noris commodive mihi obtige
id accipio, neque nescio, quàm
in me quæcunq; bona cumulate e

di, ex animo optes. Ego profectò non minº ex animo & tibi & tuis precor, quæ virtus vestra meretur, hoc est, ὀυ τὴν τυχοῦσαν, ὀυ δὲ τοῖς πολλοῖς λεγομένην, ἀλλὰ τὴν ἀληθῆ ἐυδαιμονίαν, ejus profectò, Petre Victori, aut tu etiam, aut vix quisquam particeps factus fuerit. Cum enim cetera quoque bona abundè tibi suppeditent, tum ea maximè, quæ revera maxima sunt: quibus tu divinis præsidiis præclarè fultus, quidquid est mortalitatis, & humanorum casuum, qui vitari mutarive nulla ratione possunt, fers & superas facile. Quod autem tu de mei quoque animi in rebus adversis constantia & fortitudine tibi persvades; id forte minus est, quàm vellemus: ac, ne dissimulem, consolatione tua magis egebam, quam existimas: quam tamen ex litteris tuis aliquam hausi. Nam & ipsam rationem perscrutor, atque in consilium adhibeo, & tuum istud exemplum intueor. A tua enim doctrina & vita discedere, mihi duco turpissimum. Itaque etsi non queo amissi fratris desiderium delere: minuo tamen dolorem aliquantulum.

Uti-

Utinam vero Joachimus noster
luctu, quem primus ipsi nuncio,
lori quoque non nimis pareat.
enim, quàm sancte ille matrem
nestissimam matronam, à qua t
amaretur, coluerit: ea autem sup
ribus diebus decessit. Ego qui
ciderit, narravi: jussi, ut à se &
bis consolationem peteret: n
non ejus animum vos sponte eri
& confirmabitis: quod tamen t
gare audeo. Valde enim solli
sum de incolumitate amicissimi
lis: & vereor, ne ad superioris
bi reliquias ægritudo quædam a
nimia accedat. Cui malo tuis
bis omnem viam obstruxeris: n
vero quisquam apud ipsum plus n
usve poterit: neque is quemqua
promptius audiet. Jacobum fi
tuum, vestram familiam, ami
ceteros plurimum saluto, qui
cum benè diuque vale. Rostoch

Prid. Id. Novembr. Anno
clↃ IↃ LXIIX.

Digitized by Google

EIDEM.

Ep. III.

PRoximis meis literis, Vir clarissime, quas tamen post hasce tibi redditum iri arbitrabar, de frequentia scribendi, qua apud te nimis profectò audacter utor, me excusavi. Quæ oratio si apud te locum vel habuit vel habitura est, ut mihi planè persvadeo, hæc leges æquo animo, neque quicquam, etsi beneficium à te petitur, mihi succensebis. Succenseas verò? qui cum tantâ virtute vir sis, quanta in mortalem cadit, & studio de aliis atque etiam posteritate benè merendi vehementer flagres; tum & me immortalibus bonis liberalissimè affeceris, & mihi tam in amicorum, quam in meos usus omnia tua ultrò benignissimè obtuleris. Itaque profectò frustra verecundor, & dum pudori nimis indulgeo, & impudentiæ crimen reformido, penè haud levi tuam hu-

manitatem injuria affeceram. Q
cum non sit faciendum; iterum
audacter adolescentem hunc Joa
mum Bassevicium, quem, cum à
ro versatus esset in studiis, mihiq
liquot annis fuisset amicissimus, in
biles nostras litteras à plebeiis vul
um magistrorum, vel in harum si
lare desiderium aut primus aut p
simum introduxi, confirmavit Ro
mundius, commendo. Et verò i
utriusque nostrûm nomine, & qui
tuti humanitatique studet, atque
de causa tibi, in quo non solum do
nę sint uberrimæ, verum etiam ut
que vivum exemplar eluceat, op
dabit, complectèris & amabis sing
riter. Neque exspectabis, ut te,
ad rem tamen nonnihil facit, i
amplissima, fortunata, nobili lau
que familia Megapolensi natum
doceam. Hanc ipsum non solum
virtutibus literisque speramus illu
turum, sed & quoniam talibus ad
mas dignitates facilimè aditus p
patriam aliquando ope & consilio
citer sublevaturum, quod cum fiet

se & nos tibi debebimus, supra ea, quæ jam debemus, omnia. Quod cum alii clara voce prædicabimus, alii tibi tuisque referemus; si non fuisse, certè esse voluisse grati videbimur, quod ego de hoc quoque, ut de me ipso, tibi possum polliceri. Id fuit, quod non potui non iterum ad te scribere. Mearum verò rerum studiorumq; commemoratione nolim tibi gravis esse. Si tamen de me quęres, rectissimè te docebit hic Joachimus, atque item de bellis, quæ quasi in conspectu nostro in alterum annum inter vicinos reges cum magna, cum totius Germaniæ, tum maximè terrarum maritimarum incommodo geruntur. Quamobrem huc loci legati imperatoris Ferdinandi, regis Maximiliani regis Polonici, regis Danici, Electorum Saxonici & Brandenburgici, & reipubl. Lubicensis convenerunt. Jamque Svecicos in multos menses frustra exspectant, neque dum scitur, si adfuturi sint, aut quo tempore, quanquam legati imperatorii huc nudiustertius ex Svecia appulerunt. Dubia enim ad-

huc & hi nunciant. Pace vos fru
stic plurimum gaudemus, eamque
quando aliter non possumus, votis
quimur. Vale Victori clarissime. E sc
la Rostochiana XII. Kalend. Sexti
cIↄ Iↄ LXX.

EIDEM.

EPISTOLA IV.

Literas tuas Idib. Quinctil. c
cum Oratione, quam in fu
magni Ducis Cosmi habue
tandem accepi Suerini IV. Non. A
Eas gaudeo non planè periisse, etsi
dè fuerunt redditæ. Id ita acc
quia Johannes Prengeus, bonus juv
mihi carus, & mei amans, qui hin
Italiam & studiorum & visendi g
iter susceperat [scis non nostros ho
nes istam potissimum regionem, c
singula vestigia nos de maximis r
gestis commonefaciunt, præ o
bus magnifacere & venerari, q
tumque perturbatio omnium re
h

Digitized by

hujus seculi permittit, amare & colere bonas literas] quique Roma per vos revertens, cum te honoris causa salutaret, à te litteras acceperat, ut venit Ferrariam, ardentissima febri correptus periit. De cujus obitu, & fasciculo mihi inscripto maturè ejus fratres & propinqui cognoverant, & ex me, multis ante mensibus quæsierant, quod de illius defuncti rebus hinc quoque pleniora se cognituros, quod ipsos non fefellit, suspicarentur. Gratissimam mihi accidisse Epistolam tuam etiam perbrevem cur non dicam? cum omnia tua revera sint aurea: mihi verò maximè, cum cætera, tum quæ mihi destinaris, ut extant sanè multa multorum annorum luculenta tui in me paterni amoris signa. Non dicam de Oratione tua plura, nisi quod amici nostri libenter eam legerunt, libentissimè verò Bartolus Richius, cui misi legendam statim, & cum Othone Hæmio communicandam. Nam de ea magnas mihi gratias agit, & appellat utile scriptum, prægnans gravissimarum rerum, & quasi historiæ Florenti-

næ.

næ. Ego illam legens atque rele
visus mihi fui, & te audire in ista
amœnissima veluti oculis videre
vidissem, quæque non vidissem, &
mi Ducis virtutes mihi etiam non
cognitas, præclarasque res gestas
nius cognoscere. Sed nolebam
sequi ad te, quid mihi videretur,
fortè tibi molestum foret, agam
me, quod scio te requirere. Ut
reverterim ad docendum, ex ali
teris meis acceperis. Vix advene
imò etiam aliquot diebus ante ar
me Otho noster mandatu Ducis fi
lii Brunsuicensis. Cum non satis i
ligerem, quid esset causæ [erant
literę angustæ, quod uberiores mih
essent redditæ, reddebantur verò
stea] respondi per epistolam.
quam intellexi quid esset, nequ
posse tractari, nisi ipse venirem,
voluntati Ducis Julii. Is est Ducis
rici filius, de quibus olim ad te
loquacem sanè epistolam, quam e
scio tibi fuisse redditam. Contul
prius ad Othonem: deinde ad
cem Julium: audivi quid vellet:

bat mecum de filiorum institutione. Ego tanto Principi nihil debere me negare intelligebam, & monebar, quod ipsi mihi quoque in mentem veniebat, ne deessem patriæ, ubi illa operam meam requireret; neque tamen â Duce Megapolitano discedere volui, apud quem & à puero vixissem, & â quo fuissem habitus pænè liberaliter. Feci quo utrique satisfieri, & meo honori consuli putarem. Ea lege condixi Duci Julio efflagitatam operam, si Dux meus assentiretur. Itaque ille ad hunc eam ob causam accuratè scriptas literas dedit. Ego quò minus liber sum, in duorum jam Principum potestate sum: neque facilè debeo dicere, utrum malim. Nam utrumque optabile videtur, & in his studiis esse, ad quæ vix reversus fueram, quæque incipio iterum toto animo colere; & pæne in patria vivere. Nam ego quotidie minus minusque opes & gloriam quæro, habeam, quibus opus est, faciam, quod boni probent. Ipsum sedes transferre grave est: gravissimum præterea munus docendi

Principum filios, quod cum nunqu
dubitassem; his annis expertus s
Mihi autem faciendum erit, quod n
tis etiam fortunatioribus, ut non a
tratu meo vivam, sed ut res præse
postulant, quarum status multum
stri sibi vendicat: Cui veluti nece
tati si sponte morem gerimus, fac
iùs vivimus; si reluctamur, nosm
psos cruciamus. Sic ego me par
ut conditione, qua sum, conte
sim, quod non obscurè præ me fe
ab altera, quæ me expectat, non
horream; in utraque facturus sim,
me nostrisque divina artibus digna
Utrum verò futurum sit, aut accid
proximè ad vos scribam: quos ego
mines humanissimos & amicissimo
in oculis, & in pectore semper me
fero. Vale. Rostochii. Idib. Apri

EIDEM.

EPIST. V.

UNA eademque silentii vestri c
sa, si modo nihil scribitis, ut

hi nihil redditur: quod ego libenter secus credo, tum, quia ſic tuum tuorumque omnium in me amorem longo jam tempore haud dubiis ſignis, ex re ipſa videlicet, perſpexi, tum quia cupio mirifiè in perpetuum vobis eſſe carisſimus, uti profecto eram, cum apud vos viverem. Eſt igitur una eademq; & ſilentii veſtri & mearum litterarum raritatis cauſſa. Fateor enim, me minus ſæpe ad hoc ſcribendi officium accedere: ſed idem aio, me aliquando ſcribere: quod, ſi literæ reddantur, de quo, quia non certis hominibus aut hinc ad vos proficiſcentibus dandæ ſunt, valde dubito, ipſi perſpexeritis. Poſtremas dedi anno ſuperiore VII. K. Quinctiles, quas Baſſevitius noſter Lipſia per negotiatores iſtuc curaturus erat. Dubiæ fidei fortaſſis illæ fuerunt creditę, nec has dabo certiori tabellario, de quo, ubi ſcriptæ erunt, erit adhuc diſpiciendum. Quod ſi faſciculus peribit; damni vos nihil feceritis, neque hic mihi labor perierit, etſi plus fructuum ferre videbitur, ſi hęc legetis. Non perierit autem, quoni-

am ex hac cogitatione, quam ad sc
dum sumo, mirificam capio volupt
quando & ex vobis de rebus vest
primo loco de te sciscitor, quasi ja
aliquid auditurus novi & boni nunc
enim ominor) & expono aliquid
meatum, eas auditurus cupide, ut a
simis hominibus. Primum est, quo
debitis, me non incommoda valetud
ti, cujus ope & rem familiarem tu
studia litterarum non segniter p
colere. Alterum ut opibus flore
honoribus, quod te quoque optar
malo ne quæratis. Nam ego
studio fugi hactenus, ne altius asc
rem, rebus ita perturbatis apud
mas gentes: & haud scio, an ho
talia omnium maximè abundet
ab hac secunda est Germania, i
dissensiones acres opinionum ne
tent grave incendium, optandu
quod qui prævident, utinam tan
sint avertere: sed nos commune
sum exspectare oportet & tol
neque tamen eum ipse valde ex
sco in hoc vitæ genere; quod c
divino potius, quàm meo mihi d

atque hanc vitam hactenus ita colo, ut cum aliorum ſplendori non invideam, optimatibus non minus ipſe carus ſim, quàm qui in ea re plurimum ponunt operæ. Putetur hęc aliqua eſſe dignitas, cui ego antepono dignitatem graviorem multo, mea ſaltem opinione vel errore ſuavi, partam ſtudiis litterarum. Quid dicam de ęquitate animi mei, & incredibili cupiditate diſcendi? illa autem hac quoque nititur, & hęc ut non poſſit non indies incrementum ſumere, tu judicabis omnium optime, cujus oculos, animum, inquam, defixum in litteris nullus umquam ſplendor perſtrinxerit, neque tranſverſum unguem ab inſtituto tam nobili averterit. Ut corpore ſim affectus habes, ut animo: ut ſuſpicari jam facile poſſis, quid agam. Impendo enim rei familiari forte minus curæ, quàm debeo: tamen quantum hoc tempore negare non poſſum: ipſa igitur ſe habet, ut ait ille ex primis vitæ cultoribus, admodum nobilis: ὡς εὖ μὲν χαλεπῶς, ὡς χαλεπῶς ἢ μάλ' εὖ, ut ſi quid me premat, ſit tamen plus, quod gaudeam, ſi accuratè expendã utriusq; fortunę vices.

Inpri-

am ex hac cogitatione, quam ad scriben-
dum sumo, mirificam capio voluptatem
quando & ex vobis de rebus vestris,
primo loco de te sciscitor, quasi jamja
aliquid auditurus novi & boni nuncii: (
enim ominor) & expono aliquid reru
mearum, eas audituris cupide, ut amici
simis hominibus. Primum est, quod ga
debitis, me non incomoda valetudine
ti, cujus ope & rem familiarem tueri,
studia litterarum non segniter possi
colere. Alterum ut opibus floream
honoribus, quod te quoque optare sci
malo ne quæratis. Nam ego etia
studio fugi hactenus, ne altius ascend
rem, rebus ita perturbatis apud plur
mas gentes: & haud scio, an hodie
talia omnium maximè abundet oti
ab hac secunda est Germania, in q
dissensiones acres opinionum ne exc
tent grave incendium, optandum e
quod qui prævident, utinam tam po
sint avertere: sed nos communem
sum exspectare oportet & tolerar
neque tamen eum ipse valde extim
sco in hoc vitæ genere; quod consi
divino potius, quàm meo mihi deleg
a

atque hanc vitam hactenus ita colo, ut cum aliorum splendori non invideam, optimatibus non minus ipse carus sim, quàm qui in ea re plurimum ponunt operæ. Putetur hęc aliqua esse dignitas, cui ego antepono dignitatem graviorem multo, mea saltem opinione vel errore suavi, partam studiis litterarum. Quid dicam de ęquitate animi mei, & incredibili cupiditate discendi? illa autem hac quoque nititur, & hęc ut non possit non indies incrementum sumere, tu judicabis omnium optime, cujus oculos, animum, inquam, defixum in litteris nullus umquam splendor perstrinxerit, neque transversum unguem ab instituto tam nobili averterit. Ut corpore sim affectus habes, ut animo: ut suspicari jam facile possis, quid agam. Impendendo enim rei familiari forte minus curæ, quàm debeo: tamen quantum hoc tempore negare non possum: ipsa igitur se habet, ut ait ille ex primis vitæ cultoribus, admodum nobilis: ὡς εὖ μὲν χαλεπῶς, ὡς χαλεπῶς δὲ μάλ' εὖ, ut si quid me premat, sit tamen plus, quod gaudeam, si accuratè expendā utriusq; fortunę vices.

Inpri-

Inprimis autem hoc in mentem revoco: quod judicio sequar, in graviora incommoda ne incurram, id omnino mihi ferendum esse animo ęquo, si non prorsus lubenti. Quas porro, te spectante & duce litteras colebam, in iisdem me versari sæpe scripsi, acceptas à summæ sapientiæ magistris, & potissimum ab horum Principe traditas; & haud scio magisné quotidie alios iis erudiam, an me ipsum: me puto maximè, uti debeo, quò sim qui esse velim, quemque tu me esse judicas. Sed tamen in aliis quoque ingeniosis adolescentibus expoliendis quotidie occupor, neque ulli desum, quem probe animo paullo avidiorem elegantis esse bonæque doctrinæ sentiam. Neque enim sunt apud nos nulli: sed plerique sectantur umbras doctrinę, sola opinione contenti, statimque eo se conferunt, unde plus lucri affulgeat: quod neque unius nationis est proprium, neque tantum nostri seculi. Cum autem satis diu non nisi graviora tractarim, cohibui me hoc anno, & animi gratiâ multum tribui temporis uni alteriq; poëtarum.

tarum. Nam in Lyricorum principe laboravimus, & non ſine animi oble-ctatione multa abſtruſa eruimus. Neque enim mihi adſcribam, in quo etſi partes meæ primæ erant, tamen plurimum me adiuverunt viri docti, à quibus in ſocietatem hujus ſtudii eram vocatus. Iam Æſchylum in manibus habeo, ad cujus emendatiſſimam editionem tu quoque olim contuliſti plurimum. Cum autem omnia in illo tragœdo diligenter expenderis; velim eſſe nobis aliquod tuarum animadverſionum. Quibus cum caream, neque quidquam habeam adiumenti præter Græcos commentarios; tamen intendo ingenium, meque evolvo plerisque ſalebris, quantum queo: viam certè munio, ut minus relinquatur negotii ſtudioſis hujus tragœdi. Deinceps revertar ad Ariſtotelem, & auditoribus meis forte illius libros de optimo ſtatu reip. interpretabor, illuſtratos à te divinis commentariis, quo facilius amplisſimas illas doctrinas aſſequeremur, magisque emergeret illa cana veritas, Atticæ philoſophiæ alumna, ſecundum

Vor-

Varronem. Habes mea & tanq
meipsum: præter ea, quæ ad nos
tinent, nihil omnium soliti fuimus
sequi: & vix semel ipse alia umq
attigerim: aliqua ultro ad vos pe
lant, reliquum est eorum genus
quorum cognitione nihil insit jucu
ut ea taceam, quæ, quàm nosse,
gnorare satius. Vale Victori, & tu
servantissimum ne obliviscere. R
chio. Prid. non. Dec. Año cIↃ IↃ LX

PETRUS VICTORIUS.

JOANNI CASELI

Epistola I.

Multis iisque mimimè inc
signis perspexi, Caseli
me, cum hic esses, te
bum virum esse ac valdè studiosu
micorum, quam ego semper vera
summo studio persequendam lau
judicavi. Omitto nunc acumen i
nii tui, scientiamque egregiam &
ci & Latini sermonis, quibus tu e

Google

animi dotibus non mediocriter ornatus es. Ut verum tamen fatear, nunquam à te tantam benignitatem exſpectaſſem, nec officium, ita ad me ornandum aptum, quale iſtud fuit, quod opera ſtudioq; tuo, ut ſuſpicor, factum eſt, ut Joannes Albertus Dux veſter, humaniſſimus profecto, optimusq; Princeps, litteras ad me mitteret, quibus gratias agit, quod me ſuis hominibus valde benevolum facilemq; præbuerim, atq; ipſos cura laboreq; meo & eruditiores, & vita moribusq; politiores domum remiſerim, rogatq; ſedulo, ut idem in reliquis faciam, qui adhuc apud nos manent honeſti juvenes, & propter modeſtiam excellensq; ingenium omni laude honoreq; digni. Ago igitur tibi ego quoq; gratias immortales, quod me participem hujus voluptatis feciſti, quæ ſine ulla dubitatione magna ac juſta eſt, ſtuduiſtique, ut nomen meum ad aures veſtrorum Principum perveniret, celebrareturque ab ipſis amore quodam & benevolentia ſingulari. Duci ſane iſti veſtro reſpondi ſtatim, & quemadmodum re ſemper præſtare conabor, ita

ita etiam verbis ei promisi, me n
tempore defuturum commodis ve
rum juvenum, fidemque meam
tanto viro, libenter adstrinxi, q
certè nunquam fallam. Tibi vero
isto tanto beneficio [beneficium e
ego istud, quod fecisti, non medi
numero] omne meum studium,
mnem industriam, omni tua in re
liceor, rogoque, uti si quid in me
quod tibi absenti, tuisque prodess
liquo modo possit, eo liberè u
Nihil enim mihi gratius contingit, q
servire utilitatibus amicorum, in
bus tu non postremum locum obti
Vale, ac tota mente recole stu
quibus apud nos diligenter operam
disti, nec patere elabi tibi ex an
præcepta optima & maximè apta
vitam hominum informandam,
à summo auctore sapientiæ, & doc
simo viro Aristotele accepisti. Flo
rentiæ Idib. Jun. M. D.
LXIII.

EIDEM.

EPIST. II.

NON commisissem ullo pacto, CASELI optime, ut ad te non scriberem, gratiasque tibi agerem, cum cognovi studio tuo & benevolentia factum esse, ut Princeps tuus maximè ille quidem illustris, &, ut video suorum amantissimus, mihi litteras mitteret, & operam meam tantopere laudaret, in suis juvenibus erudiendis & ad honestas artes cohortandis positam. Scripsi igitur, ut debebam, & officio illo functus sum, quod non poteram sine gravi culpa omittere. Miror autem epistolam illam ad manus tuas non pervenisse: sed ut spero mittetur ad te una cum exemplari illarum mearum litterarum, quod ostendis te à Rotermundio diligenter petisse. Fuit enim, ut videor mihi recordari, in eodem fasciculo inclusa. Quod si forte amissa est, rursus eadem ad te mitte-

tur, ne careas illa mea lucubratiunculâ, & ut intelligas, me grato animo beneficium illud tuum accepisse. Ita enim prorsus ipsum appellandum existimo. Quod enim majus beneficium in quempiam non omnino sordidum & avarum hominem conferri potest, quàm ornari ipsum ab honestissimo & clarissimo viro, & testimonio ipsius valde celebrari? Sed sit hujus rei jam finis. Ostendit mihi superiobus diebus Otho noster orationem tuam gravem & eruditam: id est προτρεπτικὸν: ad juvenes vestros ad studia litterarum inflammandos, & ad benè honestéque vivendum impellendos, quam legi libenter, & mirificè animo meo prabavi. Perspexi enim illa fideliter à te dicta fuisse, & ex intimis tuis medullis prodiisse, qui, quemadmodum ipse à vitiis totus abhorreres, ita etiam ut ceteri omnes, omne flagitium ac dedecus fugerent, operam dares. Et sane hæc est vera philosophia, ut commemoras, vitam & mores expolire, & non tam studium ponere in investigatione abditarum obscurarumque rerum, quàm in virtute ipsa ornanda, i-

psiusq; honestis factis merito celebrandis. Quique hanc viam monstrant adolescentibus, &, qui fructus inde nascantur declarant, illi vehementer prodesse humano generi existimandi sunt, ac veri duces beatæ vitæ, auctoresque sapientiæ profecto habendi. Perge igitur, & quantam maximam potes, operam da, ut magnum amorem veræ dignitatis in animis ipsorum excites, & cunctas fibras vitiorum, si quæ in illis sunt, falsasque opiniones è pectoribus eorum penitus eruas. Nullum enim majus beneficium illis dare potes. Non magnum autem est negotium, & vita sua, quæ bene agatur, & oratione honesta impellere adolescentes ad virtutem, præsertim bene eductos, sive etiam non omnino perditos & desperatos. Nam & illa suo splendore ac pulcritudine ad se trahit, & magna vis est copiosæ & ornatæ orationis, quæ profecto in te est, quemadmodum ego ex illo procemio tuorum laborum perspicere potui: ut taceam, quantum valeant ad hanc rem spectari mores, factaque alicujus probi ac gravis viri, cum

etiam non defuerint, qui existimaverint, quamvis falso, hanc unam rem satis esse ad id opus efficiendum, unde extitit versus ille Menandri, præclarè, ut arbitror, tibi cognitus, τρόπος ἐσθ' ὁ πείθων τοῦ λέγοντος, οὐ λόγος. Non possem autem facile tibi narrare, quantopere mihi placueris, qui Homerum adolescentibus istis interpretandum susceperis, putaverisque singulares hujus divini poëtæ virtutes à te sedulo explicatas posse plurimum ipsorum ingenia exornare, & ad honestatem omnibus in rebus persequendam inflammare. Nihil enim arbitror majori consilio factum esse. Suspicor vero ab Iliadis principio potissimum, quod etiam initium est utriusque operis, exordium duxisse. Hoc enim mihi inprimis argumentum convenire videtur studiis naturisque Germanorum, quæ magnæ excelsæque sunt, & bellica virtute disciplináque in primis delectantur. Et sane existimatur: Homerum, cum mens, ipsiusque spiritus vigeret, in grave hoc turbulentumque opus incubuisse; ad alterum vero tranquillius sedatius-

tiusque scribendum se contulisse, cum jam animi ipsius vires languescere inciperent, & senectute imbecilliores factæ essent. Quare in hoc etiam illum quemadmodum in ceteris omnibus rebus multum vidisse: qui quod sibi omni tempore conveniret præclarè cognoverit. Ostenderem autem libenter, &, ut arbitror, facile, quæ me caussæ moverint, ut tantopere judicium tuum comprobarim, sed quia id minime necessarium esse duco, vel supervacaneum potius, omni hujusmodi cura supersedebo. Video enim ex epistola tua, quæ cum oratione ipsa connexa est, tibi eximias virtutes hujus pręclari poëtæ perspectas & exploratas esse: nec cessare te etiam ipsas aliis prædicere, & magno istoque honore verborum afficere. Sed quis quæso non laudavit Homerum, & admirabiles ipsius laudes in cœlum non tulit? aut quis putaret ipsum præcone ullo novo & laudatore egere? qui nactus est mirificos sui amatores, veteres illos præstantissimos viros, & quasi signiferos totius sapientiæ, Democritum, Pla-

tonem, Aristotelem, Plutarchum, atq; adeo cunctos, qui aliquid ingenio aut judicio valerent? Nam valeret etiam non parum ad ipsum ornandum, quod non suis solum Græcis, doctissimis viris, mirificè probatus fuit, sed etiam Latinis omnibus scriptoribus, quorum etiam admirabili consensu valde celebratus est: atque ita denique illis commendatus, ut nemo olim facile inveniri Romæ possit ingenuus puer, qui non ipsum accuratè legisset, ac memoriæ etiam totum mandasset. Sed revoco me: paullatim enim sermo habitus de hoc excellenti poëta, propter summum amorem, quo illum prosequor, imprudentem & invitum eô me rapiebat, quô mihi accedendum hoc tempore non esse antè statueram. Redibo igitur ad te, vel potius cum sensum animi mei totum jam patefacerim, ac te ob istud tuum consilium, pręclarumque opus, quod tibi proposuisti, merito laudarim, finem faciam tecum loquendi. Volui autem, si modo præstare id & efficere potui, voluntati tuæ satisfacere, qui hujusmodi aliquid in

illis

illi; tuis ad Othonem litteris, à me cupere videbare. In qua re tractanda, præterquam quod id ex animo ac cum magna voluptate feci, nec discessi ullam in partem à studio, ac judicio meo, eò etiam libentius versatus sum, quia magna mihi abs te, & honesta merces hujus pusilli mei laboris proposita est, id est, laus ac gloria, cujus obtinendi semper ego incredibili desiderio inflammatus fui, si quid est in me, quod honore dignum sit, ac tanto hono compensari debeat. Vale, & de me omnia tibi pollicere, quæ à probo viro fidelique amico proficisci possunt. Florentia IV. Kalend. Aprilis. Anno M. D. LXIV.

EIDEM.

EPISTOLA III.

CUnctos, qui ad me cum tuis litteris venient, videbo libenter, & quacunque re potero

ipsos ornabo. Quanto plures autem venerint, tanto magis mihi gratum feceris, majoreque me perfuderis voluptate. Non est igitur quod te purges, & quasi tibi ignosci à me postules. Neque enim culpę quippiam, aut vitii in isto facto est, sed contra laudis plurimum & dignitatis, præsertim cum illi, quos amas, commendasque, qui ab omnibus probis & honestis viris amentur, carique habeantur, digni sint. Neque enim fieri potest, ut aliquis diligat, nisi parem sibi & æqualem. Te autem bonum virum, & multis, magnisque animi dotibus instructum semper judicavi, & quotidie magis in hac sententia confirmor. Perges igitur, institutumque istud tuum rectum servabis. Joan. Schosserus Aemilianus, qui heri me salutavit, & epistolam tuam mihi reddidit, visus est mihi ex longo & accurato sermone, quem mecum habuit, homo eruditus & satis ingeniosus, dignusque demum tua commendatione. Ei ego, quæ potui, officia præstiti, in multis occupationibus, nec satis commoda valetudine. Cum autem

tem perspexissem ipsum esse φιλοθέωρον, curavi, ut spectaret omnia, propter quæ civitas hæc nostra hodie à vestris hominibus visitur: quæ multa sanè sunt, ut scis, & præclara: quæque non sine caussa capiunt animos politorum hominum, invitantque ad se diligenter videnda. Existimo autem me à te non parvum beneficium accepisse, qui occasionem mihi dederis, talem virum cognoscendi, similitudinemque amicitiæ quandam cum eo jungendi. Nullum enim ego puto quæstum majorem, quàm conciliare mihi benevolentiam doctorum & proborum virorum. Quare, ut jam suprà dictum est, maneto in isto proposito: & cum aliqui vestri generis, honesti prorsus ac multis magnisque artibus clari, hac iter facient, hortare, ut ad me adeant. Polliceor autem tibi, me nullis ipsorum commodis, desideriisque unquam defuturum. Tu vero valebis, ac me, ut sane facis, amabis. Florentia VIII. Id April. Anno M. D. LXV.

EIDEM.

Ep. IV.

ACcepi, mi Caseli, litteras tuas, Viennæ XII. Kal. IXb. datas, quæ mihi fuerunt vehementer gratæ, & sanè cunctæ, quas ad me ex itinere scripsisti, exceptis iis, quas te narras Oenipontе dedisse, in manus meas pervenerunt. Primæ autem sunt hæ postremæ, quibus ego responderim: quod sane negligentia commissum non est, neque sine caussa à me factum. Non enim mecum statuere poteram, cum crebro locum mutares, ac fere discedens alicunde, non scriberes, quò nam potissimum ipsas darem. Nunc vero, cum putem te domum jam pervenisse, habeo quo ipsas mittam, non sine spe aliqua, fore, ut aliquando tibi illę reddantur. Quare non patiar amplius ullas tuas mihi adferri, quibus ego non statim respondeam. Gaudeo autem te salvum & incolumen, si non omnino domum,

in ea tamen loca perveniſſe, quæ non longe inde abſint: in quibusque tu amicos plurimos inveniſti. Is enim mihi profecto domi jam eſſe, & omnibus vitæ commodis abundare videtur, qui una cum amicis vivit. Ago vero ego tibi gratias immortales, quod ubicunque es, ſtudes mihi laudem & honorem comparare, ſummáque diligentia in eo adhibita, concilias mihi illic benevolentiam clarorum & doctorum virorum: ut quod proxime feciſti de Joanne Cratone, ſummo Medico, & honore gratiáque apud ſummum imperatorem abundante, cujus Cæſar opera fideli & utili utitur in tuenda valetudine. Quantum enim hoc lucrum eſt? & quam grata mihi acceptáq; benevolentia eſſe debet tam honeſti & probi viri? addo etiam mei amantis; quod ex epiſtola ipſius humaniſſimè ad me ſcripta, perſpicitur. Habeant igitur ſibi alii divitias, habeant populares honores, expleantur corporis voluptatibus: nobis autem relinquant amorem proborum, ac vera laude & gloria florentium virorum.

Per-

Perge igitur Caseli optime & animo meo optatissime. viam istam tenere, & si mihi placere vis, [cui rei semper toto animo studuisti] da operam, ut mihi concilies animos eruditorum & bonorum virorum. Nihil enim mihi tam gratum facere potes: in quo tamen modum velim te servare. Vereor enim, ne tu, amore impulsus, plura mihi sæpe tribuas, quàm ego postea sustinere possim. Cum enim necesse sit aliquando vires ingenii mei omnibus aperiri, quæ modicæ sunt, vel tenues potius, si nimis ipsas auxisses, nullum mihi verum, solidumque honorem peperisses, & tibi ipsi tua culpa propter falsum præconium laudum mearum, maculæ plurimum infamiæque inussisses: quod nollem etiam tua caussa. Cupio enim te omni honore, quemadmodum dignus es, florere, nulli culpæ, quamvis pusillæ, affinem inveniri. Saluta istic amicos meo nomine, quos ego ob suavissimos ipsorum mores, amoremque erga me singularem, in oculis fero. Oricellarius & Ricardius, adolescentes optimi & tui amantissimi, valent: cum

cum quibus ego sæpe de doctrinæ & ingenii tui magnitudine, ut decet, id est præclare loquor. Mandarunt autem mihi nunc illi diligenter, ut tibi salutem plurimam dicerem. Idem etiam tota mea domus facit, quæ te admodum diligit, & honestum esse cupit. Joannis Cratonis epistolæ statim respondi, ut debui, neque committam unquam, ut hujusmodi aliquod officium, probi viri proprium, à me desideretur. Vale. Florentia VI. Kal. Jan. Anno M. D. LXVII.

EIDEM.

EPISTOLA V.

ADmiratus magnopere fuissem omni hoc tempore, Caseli optime, diligentiam tuam, & amorem erga me singularem, nisi jam pridem utrumque horum in te plane cognitum & perspectum habuissem: qui, postquam à nobis discessisti, nullam occasionem scribendi ad me, & de

de tuis rebus aliquid ſignificandi, amiſiſti. Laudo igitur ingenium, moresque tuos: nec ipſos unquam amare, & aliis omnibus prædicare deſinam. Si ego ſciſſem, quò litteras dare debuiſſem, non paſſus eſſem officium meum à te deſiderari, ſingulisque tuis ſtátim, ut debebam, accurate reſpondiſſem. Verum cum in itinere eſſes, nec uno eodemque loco diutius maneres; intelligens, vix illas ad te aliquando pervenire poſſe, ſuperſedi hoc munere, ſtatuique expectandum eſſe tempus, cum tu, aut domi jam eſſes, aut tuis ſedibus magis propinquus fores. Hæ autem ſecundæ litteræ ſunt, quibus tuis reſpondi. Priores illas meas datas VI. Kalend. Jan. V. Baſſevitio tradidi, qui curaret ipſas, qua certiore ratione poſſet ad te mittendas. Has vero nunc eidem dabo, cum paucis diebus ſe hinc diſceſſurum, mihi affirmarit. Reſcribo autem ad illas tuas, quas narraſti mihi te ſcripſiſſe, cum Julium noſtrum domi conveniſſet, Lipſiamque cum eo proficiſci cogitares. Cepi autem voluptatem magnam ex il-
lis

lis rebus, quas mihi in illa tua epiſtola diligenter narraſti. Ego vero quid novi ad te ſcribam, non habeo: tantum tibi ſignificabo, me cum omnibus valere; & in iisdem ſtudiis majore, quam unquam fecerim diligentia verſari. Reſiſto enim quantum poſſum ætati, valde jam gravi, & vitiis propriis ſenectutis medeor quacunq; ratione poſſum. Spero autem, me cito ad editionem illam meam Variarum lectionum acceſſurum, quem librum ſtatim ut erit excuſus, ad te mittam. Sed poſtquam incidi in mentionem horum meorum laborum, quos tu cum deguſtaſſes, magis, ut opinor, amanter, quam vere probaſti: cum forte Romam ad ampliſſimum virum miſiſſem, animadverſiones illas meas de duobus à me notatis locis Lucretianis, extitere ſubito plures, qui poëtam cum minime in illis rebus lapſum eſſe oſtendere vellent, è quibus unus, cum omnis hæc queſtio illic multum agitata eſſet, ad me ſcripſit, & opinionem meam convellere conatus eſt. Reſpondi autem illi diligenter. Quid autem mihi tunc in mentem venerit, ad

ad judicium meum confirmandum aptum, videbis. Epistolam enim illam ad te cum his litteris mittam, ut intelligas, quam facile ego obtrectatores inveniam, & æmulos mearum sententiarum. Ricardus noster, & Maphæus adolescentes optimi, & tui amantissimi, tibi salutem dicunt. Vale Florentia VIII. Kal. Febr. M. D. LXIIX.

EIDEM.

Ep. VI.

VEnit Florentiam Joachimus Bassevitius noster cum è longo & periculoso morbo convaluisset. Ipsum ego vidi libenter. Sollicitus enim valde de vita & salute ipsius fueram. Paucos post dies ego accepi duas epistolas tuas, quæ mihi fuerunt pergratæ. In ipsarum altera erat accurata narrario eorum, quæ tibi in tam longo itinere contigissent: quæ fuerunt omnia prospera ac veri honoris dignitatisque plena. Lætor igitur, ac ve-

ac vehementer quidem lætor, probitatem tuam ac doctrinam ab honestis multis & claris viris perſpectam eſſe & ornatam: in primis autem à Cæſare optimo & ſapientiſſimo, Imperatore omni honore & munere cumulatum, idque in dies ubicunque eris plenius uberiusque factum iri confido. Hoc enim poſtulat tua virtus, quæ non poteſt ullo pacto in obſcuro eſſe. Ut autem gaviſus ſum ob honores plauſusque, qui tibi dati ſunt, dum in via eſſes, ita contra dolui, te, cum domum perveniſſes, non omnia ilic læta, & ut volebas, inveniſſe, quia incideris in funus fratris, probi & recta via ad laudem properantis pueri. Non conabor autem ego te nunc conſolari, quippe cum ſciam te ſapientem eſſe, ac ſcire humanos caſus oportere æquo animo tolerare. Ipſe quoque poſtquam tu à nobis diſceſſiſti, hujuſcemodi domeſticum vulnus accepi, quo vehementer conflictatus ſum. Amiſi enim uxorem, cum qua intervallo quinquaginta annorum vixeram, & unde maximas utilitates commodaque in vita ſemper acceperam:

ram: amisi autem eo tempore, quo inprimis utilis mihi vel necessaria potius opera ipsius & benevolentia erat: sed, ut dixi, hæc mala, quæ vitare non possumus, sunt patienter ferenda. Ut autem aliquid ad te scribam de meis studiis, aperiamque, quibus in rebus toto animo nunc occupatus sim, quod semper faciam diligenter: volo enim ut tibi omnia mea nota sint, ut amico fideli & quem ego uncè diligo: illi libri, quos ego addidi superioribus meis ejusdem nominis, excudi tandem cœpti sunt. Erunt autem absoluti, nisi aliquid incommodi natum fuerit Octobri mense. Statim ut in lucem prodierint, volumen unum alterumve tibi eorum mittam. Tu vero hoc tempore valebis, & in litteris tuis te oblectabis, mihique nunc ignosces, quod nimis brevis negligensque sum in responso dando tuis longissimis & accuratissimis epistolis. Molestia enim magna & labores, quos capere cogor, dum corrigo errata impressorum, & quantum per me fieri potest, resisto incuriæ & inscitiæ ipsorum, id quod ut in-

di-

dignum est ac stomachandum, ita in hac urbe necessarium, non relinquunt mihi aliquid temporis, ut possim officia erga amicos tueri. Florentiæ. X. K. Sextil. Anno M. D. LXVIII.

EIDEM.

Ep. VII.

Litteræ tuæ IIX. Kal. IIXbris datæ, fuerunt mihi valde caræ, ut ceteræ omnes, quæ omni tempore à te profectæ sunt: multo tamen hæ cariores, quia longo intervallo sine eis fueram: quod mihi sane non parum molestum erat. Nosti enim, quàm sit amor omnis sollicitus Præter enim quam quod carebam fructu ac svavitate illarum, verebar etiam, ne tibi aliquid incommodi accidisset, cum sciam, quàm diligens sis in scribendo. Non enim arbitror facile aliquem inveniri posse, qui te in hoc officio vincat.

Cognovi autem indicio postremarum harum, te alias ad me scripsisse, respondisseque illis meis, cum quibus ad te misi libros, à me nuper editos: quæ tamen in itinere perierunt: certe ad manus meas adhuc non pervenerunt. Implevere igitur hæ me lætitia magna, quia video te valere, ac posse optimis artibus operam dare. Recordor enim superioris tui gravissimi morbi, sententiæque medicorum, qui pene tibi omni genere studiorum interdixerunt: unde nascerentur incommoda non parva. Nam & tu sperato fructu laborum tuorum gloriaque caruisses, & qui magnas utilitates ex tua doctrina capere possunt, & quotidie capiunt, repente illis spoliati fuissent: sed ego quoque, qui celebror, ferorque in cælum monimentis ingenii tui, non mediocre inde damnum fecissem. Bene igitur factum est, quod periculum nullum nobis instat tam gravius mali; tu tamen valetudinem tuam tuere: diligentiæq; plurimum adhibe, ut te tibi nobisque, qui te valde diligimus, conserves. Ego certe valeo, ac firmioribus etiam cor-

corporis viribus ſum, quàm, cum tu hic aderas, eram: quod tamen mihi non contingit, quia remiſerim aliquid de laboribus, aſſiduisque meis ingenii exercitationibus: quin potius in ipſis majore diligentia curaque verſor, quàm umquam fecerim. Cum enim tu mihi & alii plures amici ſvaſeritis, ut adgrediar ad opus illud multorum vigiliarum, conerque explicare libros Ariſtotelis de optimo ſtatu civitatis: ſcito nunc me nihil aliud moliri, incumbereque in eam curam toto animo. Quod igitur à tenuibus ingenii mei viribus, mediocrique eruditione expectari poteſt, non patiar amplius à me deſiderari. Nullum enim ſino diem præterire, quo non aliquid notem, quod eo faciat, ernámque aliquid è tam magno cumulo difficultatum. Ut autem ſcias, me non oblitum eſſe ſtudium illud, quo vidiſti me magnopere teneri, & quod etiam una diligenter cognovimus, narrabo tibi, me ſcripſiſſe libellum de cultura olearum, fructibusque magnis & multis, qui capiuntur ex hac nobili ſtirpe, & quaſi con-

EIDEM.

Epistola VIII.

MUltas ego tuas, & eas quidem omnes ſuaves ac plenas ſummi amoris accepi epiſtolas ex eo tempore, quo à nobis diſceſſiſti: pluribus autem illarum ſtatim reſpondi, nec tamen omnibus: expectabam enim, ut liber ille meus, quem noſti, excuſus foret. Unà enim cum litteris ipſum mittere volebam: negotium vero hoc magis lentum fuit propter varia crebraque librariorum impedimenta. Ipſum igitur tu nunc leges: etſi multo ante legiſti. Sed tamen quædam, ut videbis, addidi. Nonnulla etiam mutavi. Cum autem mihi nunc è manibus exierit hic liber, qui me requieſcere non patiebatur; [eſt enim multo major labor, quàm quiſquam putaret, hujuſcemodi ſcripta conficere] nec ſinebat convertere animum ad alia majora ſtudia; incumbam

toto pectore in curam illam, quam scis, ac dabo operam, ut ad finem perducam opus illud, quod mihi multo ante proposui. Expecto autem judicium vestrum de hoc meo volumine: vestrum autem considerate dico, non tuum. Tu namque quid existimares de ipso, jam pridem mihi significasti: præterea non multum in hoc tibi tribuo. Amor enim, quo me prosequeris, non te sinit verè de meis rebus existimare, & tamen posses, cum id adgrederis, te ipso spoliare: aut si non posses, cum hæream tibi in medullis, saltem deberes. Puta igitur auctorem esse hujus operis non Victorium tũm, sed alienum hominem. Quod si hoc præstare volueris, magis tunc ego judicio tuo, quàm alius ullius assentiar. Sed his relictis, [puto enim te non minus hæc de me audire cupere] ego valeo, ac magis etiam, quàm unquam antea fecerim, litteris involvor; nec tamen ex animo dimisi oblectationes illas meas, quas scis. Menses enim eos, quos soleo, ruri consumo: & agris meis conserendis opem do. Studium enim hoc me quotidie magis

tenet

tenet. Postquam autem hinc discessisti, non parum eos instruxi, & his ipsis etiam diebus opus incepi, quod valde fructus, ut spero, & splendorem ipsorum augebit. Nec tamen omnia mihi hoc tempore secunda contigerunt. Amisi enim uxorem, cum qua jucunde spacio L. annorum vixeram: ex cujus interitu incredibilem dolorem sensi. Puto enim ad aures tuas aliquando pervenisse cum hic esses, quàm gravis illa prudensque femina foret. Incommodum autem, quod inde accepi, quotidie me magis premit: nec possum ullo pacto ipsum oblivisci. Pauci igitur mortales inveniuntur, qui non crebro conflictantur aliquo malo. Tu quoque mihi significasti, cum in itinere adhuc esses, in hujusmodi acerbum casum te incidisse, fratremque tuum, puerum optimum, fato functum tunc fuisse; qui nuncius mihi valde molestus fuit. Perspexi enim ex tua epistola, quantopere illum dilexeris. Sed etiam cum tua, quam accepi bis diebus, epistola, erat ea, quam ad Bassevitium, scripsi-

sti, de obitu matris ipsius: quam odiosam plagam, ut audivi, ille à te primo cognovit: etsi litteræ sero venerant. Oportet igitur cogitare, nos homines esse, & hac conditione in hanc vitam venisse, ut hæc incommoda penitus vitare non possimus. Ego certe conor animum meum confirmare, & resisto dolori, quantum valeo, qui tamen crebro me refricat, ac pungit: sed finem faciam mœrendi, ne ζυμπάθειαν tuam evocem. Scio enim te valde rebus meis adversis sollicitari. Unum autem tuum non accepi fasciculum litterarum: in quo erat epistola Joachimi Friderici. Quare, cum scribes ad ipsum; quod illi epistolæ non respondi, me ipsi excusabis sedulo: neque enim potui. Mitto autem ad eum unum ex his meis libris, qui erit unà cum reliquis. Tuæ nunc partes erunt curare, ut ad eum perferatur, & exile hoc meum munusculum verbis tuis politissimis ornare. Fecissem vero ego libenter, quod mihi suaseras, pertinens ad hanc rem, sed veritus sum ne viderer aliquibus officio meo deesse, qui relictis

nostris,

nostris, maximè illustribus, alienos, licet omni honore dignissimos viros celebrarem, simulque apud ipsos offenderem, quorum mihi benevolentiam, quacunque re honesta facere possum, conciliare debeo. Vale, & à me nunc, postpuam solutus illa molestia sũ, crebriores litteras exspecta. Florentia XI. Kal. Februar. An. M. D. LXIX.

EIDEM.

EPISTOLA IX.

Litteræ tuæ, V. Id. Mart. datę, fuerunt mihi gratæ mirum in modum; exspectatio quoque illarum, quas polliceris te ad me scripturum sub Kal. Aprilis multo uberiores, accidit mihi jucundissima. Epistolam tuam ad Joachimum Bassevitium misi statim, ut jusseras: ipsum autem videram non multis ante diebus bene valentem. Missus enim fuerat ad Principem nostræ reip. communi nomine vestrorum juvenum, Senis honestarum artium

tium perdiscendarum caussa digentium, ut commoda quędam ab ipso impetrarent: quod negotium facile & ex sententia confecit. Ego urgeo opus illud magnum, tibi notum quod vereor, ne me pondere suo opprimat. Quotidie enim magis intelligo, non esse illud onus meorum humerorum: conabor tamen studio, & diligentia supplere, quod ingenium & doctrina præstare vix potest. Tu me amato, exploratumque habeto, paucos esse mihi, ita uti tu es, caros: quod facio merito & amore tuo magno erga me officiisque impulsus: dicerem coactus, nisi pronus valde essem erga honorem & existimationem tuam, nec stimulo ullo in hoc egerem. Vale. Florentia. XV. Kalend. Jun. Anno M. D. LXX.

EIDEM.

EPISTOLA X.

CUm paucis antea diebus ad te litteras exarassem longiores, quibus tuis respondi, accepi ex episto-

Digitized by

pistola Bassevitii nostri, qui Venetiis nunc degit, ipsum ex Italia discedere, domumque redire nunc velle. Quare committere non potui, quin rursus ad te scriberem: quod tamen sine tanta etiam occasione libenter facerem. Aspicere enim mihi te videor, quem valde amo, ac tecum familiariter loqui, cum ad te scribo. Certa autem de causa factum est, ne in discessu hoc suo me salutarit, quam ab eo accipies. Ipse quoque justo hoc ejus impedimento magna lætitia privatus sum, quam cepissem ex aspectu ipsius. Scis enim quantopere hominem diligam, & ipsum dignum putem, quem omnes politi & docti viri amplexentur. Tu igitur pro me diu istic fruere moribus & comitate ipsius. Nisi autem scirem te eum valde amare, auderem etiam tibi illum commendare, atque id quidem de meliore nota: cognoscere autem hinc potest, quantus sit amor meus erga illum. Nam quin auctoritas tua in istis locis plurimum ei prodesse possit, non dubito: utinam mea tanta apud vestros opulentos homines ac Principes

pes viros foret, gradus nullus honoris ei deesset: sed testimonio tuo, & gratia, qua flores apud illos, quod ego efficere non possum, facile præstabis: ipsius etiam industria doctrináque varia facile per se intelligetur, ac viam sibi aperiet ad honores, & non parvos gradus dignitatis. Quare de hoc non laborabo, neque tibi aliquid oneris imponam, ut illum magis, quam facis ex vetere nostra consuetudine pristinoque judicio tuo erga illum, foveas & in manibus habeas. Vale. Florentia, prid. Non. Novemb. Anno M.D.LXX.

EIDEM.

Ep. XI.

Litteræ tuæ, IIX. Kalend. Septembr. Sverino datæ, fuerunt mihi valde jucundę, ut ceteræ omnes tuæ. Expressisti namque in illis animum tuum pronum erga me hono-

no-

noremque meum mirum in modum: quod tamen non nunc primum fecisti: sed statim ut à nobis discesseris, vehementer in hanc curam incubuisti, totoque pectore conatus es, quocunque veneris, servire laudi ac gloriæ meæ, & benevolos aliquos mihi oratione tua prædicationeque mearum laudum conciliare. In quo tamen vereor, ne valde peccaris, qui illa, si qua sunt in me laude digna, nimis extuleris, & modum nullum in me celebrando servaris. Sed hoc totum proprium est tuæ probitatis & virtutis singularis. Magis enim φιλόφιλον, quàm te, cognovi adhuc neminem, nec facile arbitror inveniri posse, qui ad hanc laudem propius accedat. Laudem enim ipsam judico, & eam quidem non parvam. Verum de hoc nunc verbum amplius non addam. Sæpe namque, ut video, mihi occasionem præbebis tibi de hac tua incredibili humanitate, naturæque bonitate gratias agendi, & nova quædam prædicandi. Audire quoque de rebus tuis bonis crebro aliquid, amoreque, quo te prosequitur Princeps

ceps tuus, fuit mihi valde gratum, non minusque lætor, commodis istis tuis, quàm si mihi illa ipsa obtigissent. Cum autem de virtute & liberalitate Ducis Megapolitani à multis multa jam pridem cognoverim, hoc quoque mihi non parvum signum est sapientiæ ipsius ac judicii singularis, quod operam dat, ut liberi erudiantur, & honestis artibus diligenter incumbant, teq; huic curæ præfecit, qui egregiè, quod in hoc munere obeundo requiritur, præstare potes. Quis enim nescit in pueris instituendis teneraque illa ætate expolienda in primis necessariam esse doctoris probitatem, deinde fidelem elegantemque eruditionem? quæ profecto in te non mediocria sunt. Sed pollicitus sum suprá, me de tua laude silere nunc velle. Quare ne tam cito oblitus id videar, revertar ad Principem tuum, qui hoc curat, eodem tempore honori filiorum prospicit, & utilitati populorum, quos regit. Cum enim ipse eos recte ordinéque gubernarit, cujus rei gerendæ, maximæ omnium rerum, facultatem consecutus sit,

sit, non parva ex parte, à doctrina, scientia bonarum artium, quâ ornatus est: videtur prudenter benigneque facere, atque iisdem cosulere, cum providet, ut etiam postquam ipse lege naturæ liberatus hoc onere fuerit, â suis, præditis iisdem dotibus animi, custodiantur, & quantum effici per ipsos poterit, beati reddantur. Cum igitur hæ tuæ partes nunc sint: [suscepisti enim personam Phœnicis, qui à Peleo patre Achilli informando delectus est, ut redderet illum studio suo, μύθων ῥητῆρα, πρηκτῆρά τε ἔργων:] cum, inquam, hæ tuæ partes sint, debes in hoc præclaro honestóque munere toto animo versari, & omnes cogitationes tuas consumere. Ego autem, etsi compertum habeo, te omnibus rebus abundare, quæ tanquam instrumenta sunt hujus ædificii, magnificique operis, nec ullam in partem mea ope egere: tamen, si qua re potero tibi prodesse, ut semper cæteris in rebus sedulo feci, ita in hac quoque tibi non deero, atque id desiderio, quo flagro te ornandi. Tu igitur videbis, qua potissimum in re

tibi utilis esse possim, laboremque tuum minuere: atque omnem interim diligentiam adhibebis, nervosque ingenii contendes, ut onus, quod suscepisti, ad finem summa cum laude perducas. Vale. Florentia V. Kalend. IXbr. Anno M. D. LXX.

EIDEM.

Ep. XII.

HEri accepi epistolam tuam, Caseli optime, mihique carissime, datam V. Kal. Sept. quæ me refersit lætitia singulari. Amo enim te, & merito quidem amo, memoriáque tui vehementer delector, quæ sine tuis etiam litteris nunquam ex animo meo discedit. Cur enim non diligam [omitto virum doctum & scientia multarum rerum instructum] tam probum virum tamque mei amantem? Amo igitur te tibique omnia bona opto, postquam tanto spacio terrarum sejunctus nihil efficere possum, quo te ju-

juvem; & in hac re animo meo satisfaciam. Quæ certe à me proficisci possunt ad dotes animi tui celebrandas, multas & magnas, etsi præconio meo non eges, parata tibi semper erunt; nec ullam unquam occasionem hujus rei amittam. Te valere ac firmiore corpore esse, quam solebas, gaudeo: hortorque, ut summo studio valetudini servias, quod facere nunc debes, non tantum salutis tuæ tuendæ causa, verum etiam lætitiæ, quam inde capiet virgo, quam tibi delegisti sociam omnium rerum, quę in vita homini contingere possunt. Illa namque ex imbecillitate tua, ne dicam gravius malum, quod inde necessario nasceretur, nisi curares valetudinem, plurimam acciperet molestiam. Debes autem contra, honesta omni ratione, qua potes gaudium ipsius ac voluptatem augere. Laudo vero judicium tuum, qui post tot labores susceptos in perdiscendis ingenuis artibus, & tam multas longinquasque terras peragratas, contuleris te in istum portum ac requietem. Ipse enim de matrimonio sic existimo,

X 2 arbi-

arbitrorque hoc esse verum ac certum solatium vitæ, nisi aliquis in hac re infelix admodum fuerit. Nam qui sapit, ratione facile potest mederi incommodis nonnullis, quę secum trahit hęc copula, comitanturque plerunque ingenio muliebri. Ego certo nullam umquam majorem voluptatem sensi, quam ex officiis fidelibus uxoris, cum qua cum vixissem intervallo L. annorum, ereptam mihi morte ægre admodum tuli. Consilium nostri illius amici, quem non nominas in litteris tuis, significas tamen ita, ut me fallere non possit, quod sit ignoro, qui se conterat in tot regionibus contra commoda valetudinis suę perlustrandis. Hoc enim facere possunt, qui non valens solum, sed vegetum etiam corpus habent, quamvis omnis peregrinatio exposita sit multis & variis periculis, quod ego quoque aliquando, cum meis magnis damnis, expertus sum. Sed de hoc homine scribet ad te quædam filius meus. Ego valeo & urgeo opus illud, quod nosti, & jam pene ad exitum ipsum perduxi; qui assiduus meus labor

causa

causa est, ut infrequentius scribam ad amicos. Omne enim tempus, quod consumo in aliis litteris, videor mihi eripere huic institutæ scriptioni. Vale. Florentia IX. Kal. Decemb. Anno M. D. LXXI.

EIDEM.

EPIST. XIII.

Ne valeam, mi Caseli, si quenquam diligo plus quam te. Quod autem rarius scribo quàm solebam, noli putare fieri, quia meus animus erga te ullam in partem immutatus sit. Neque enim verum id est, nec effici ullo pacto potest. Postquam enim te semel amare cœpi, quod feci justis de caussis: impulsus inquam benevolentia non parva tua in me, & commendatione eruditionis, & ingenii tui, dum vivam in eadem voluntate permanebo: etsi magnis intervallis locorum sejuncti sumus. Sed hoc etiam tantam vim non habet, ut penitus frangat amicitias: præsertim, quę solidas,

ac firmas radices habent. Veniet autem, ut spero, tempus, cum hac quoque in re tibi satisfaciam, & crebras ad te litteras mittam. Semper enim secum aliquid afferent, quod ad honesta studia, reconditamque doctrinam pertineat. Cur autem hoc tempore id non faciam, arbitror tibi notum esse. Urgeo enim opus illud magnum, quod suscepi, fortasse non satis prudenter, totoque animo in eo occupatus sum. Ætas autem gravis me admonet, ut properem. Quare omnis hora, quæ mihi eripitur, existimatur à me tardare illam curam. Quibus præterea premar quotidianis occupationibus, non te fallit. Malo enim ita ipsas appellare, quàm labores. Hæc igitur cuncta verè, fideliterque prolata, me tibi purgabunt, ejicientque è pectore tuo suspicionem omnem, si qua forte eò irrepsit, ne minus id ego negligentia, aut imminutione aliqua amoris præstiterim. Te autem valere, & erudiendis maxime illustribus, atq; optimis pueris operam navare, libenter audivi; quos spero studio, & dili-

gen-

gentia tua expolitos, tales evasuros, ut plane respondeant honestæ tuæ, elegantique disciplinæ, & origini claræ, sangvinique prudentissimi patris. Vale. Florentia. pridie Non. Mart. M. D. LXXIV.

EIDEM.

Epistola XIV.

NActus occasionem satis bonam mittendi orationem, quam superioribus diebus habui in funere magni nostri Ducis, amittere eam nolui. Leges igitur ipsam, cum tibi commodum erit, atque eodem animo leges, quo cetera mea scripta semper legisti, id est benevolo, & non valde exquisito, neque acri judicio. Nosti enim ætatem meam, & multas variasque occupationes, quibus quotidie distineor, & publicis, & privatis. Brevitas etiam temporis impedimento mihi fuit, ne possem tam grande argumentum pro dignitate tractare.

Sero enim huic triſti muneri obeundo delectus ſum. Sed hęc levia, & indigna amicitia noſtra. Illud ſcio gaudebis, me valere, & toto animo incumbere in noſtra ſtudia litterarum. Neque enim adhuc ſenectus, etſi gravis, ita mihi moleſta eſt, ut cogar penitus Muſis nuncium remittere. Tu quoque valebis, & me diliges. Hæc ſubito ſcripſi, quia, cui daturus epiſtolam eram, properabat. Florent. Idib. Quinctil. M. D. XXIII.

Jo. Caselii EPISTOLARUM LIBER VI.

EPISTOLÆ AD BARONES & NOBILES QUOSDAM.

*** *** ***

SVANTHONI BIELKE Baroni, Domino in Salstad &c.

Epistola I.

Multæ mihi certæq; causæ sunt tui amandi, sive etiam colendi, Svantho. Utrumque autem à me egregiè præstatur, & fideliter. Ipsa quoque eam naturam habere puto, ut si integritatem suam

am tueri debeant, divelli nequeant. Quid enim sinceri sit in benevolentia sine cultu? cultus autem sine benevolentia non jam speciem habebit adulationis, sed erit ipsa adulatio, pestis optimarum vitæ rationum. Sed caussarum, de quibus dixi, aliæ accesserunt aliunde, nec leves & bonæ, sed graviores & penè necessariæ ex te ipso trahunt originem. Etenim ut initio nomen tuum audivi, statim equidem tibi volui, mihique de te bene fui ominatus. Perspexeram enim gentis vestræ perillustris juvenum aliquot virtutem: inprimis autem mihi cum Thurone necessitudo à permultis annis intercesserat. Cum enim ego olim ex Italia reversus, primum hic sedem fortunarum sive vitę figerem, quo tempore vicini Reges acre terra marique bellum inter se gerebant, viximus inter nos familiariter. Ille deinde longinquas terras adiit, non solum visendi gratia, ut plures faciunt, sed ut doctrina uberiore & cumprimis scientia politica animum expoliret. Cum ex intervallo plurium annorum aliquot abhinc annis

annis rediens & ipſe ex Italia, hâc tranſiret, amicitiæ jus renovavimus. Sed litteræ Nicolai Raſcii, hominis doctiſſimi atque item veteris amici, plenius me de te erudierunt. Verum ubi ad vos venit Baro Chriſtianus Hornius, ſororis tuæ maritus, quicum mihi non etiam nihil antè intercesſerat conſvetudinis, expoſuit nobis intimos animi tui ſenſus, quemadmodum cum ſtudio virtutis litteras colere conſtituiſſes. In hoc vidi deinceps animi tui conſtantiam. Nec enim paſſus fuiſti, te ſplendore vitæ aulicæ, aut ſpe majoris dignitatis & opum ab inſtituto retrahi. Cum enim in comitatu Regiæ legationis Sveciæ ad Comitia Polonica veniſſes, quibus Regis veſtri filius, Princeps Sigismundus, Rex Poloniæ deſignatus fuit, ejusque adventum exſpectaviſſes, non adjeciſti animum ad ea, quæ plurimorum oculos facilè præſtringerent, ſed ad nos direxiſti iter tuum, ubi in otio Muſico, diu deſiderato, delitesceres; ſive potius diſcendi laborem tolerares. Labor enim eſt, quod

multi

multi habent pro otio. Si enim foret nihil hic nisi otium, non ita pauci, itáque lentè accederent ad doctrinę studia, nec qui degustassent amaras hasce virtutis & sapientiæ radices, ita facilè se subducerent. Nec tamen nos otii nomen repudiamus, nec inficiamur, jucundum esse, omnemque molestiam dulcedine scientiæ facilè abstergi. Itaque nihil mirum, si nuncio voluptatibus remisso, ad quas feruntur plerique fortunatiores, & postpositis fortunæ bonis, de quibus digladiantur inter se primi mortalium, nec labore nec vigiliis ullis frangitur: licet alii mirentur, nos in re, ut ipsi judicant & accipiunt, prorsus nihili esse occupatissimos, & non solum negligere maxima vitæ ornamenta, sed interdum etiam projicere: quorum illud stultitiæ affine, hoc à furore non multum abesse videatur. Etenim graves etiam sumptus facimus, valetudinem vitamque ipsam sæpè in discrimen adducimus. Quis enim abeat peregrè sine viatico? quis sine argento excipitur? quotusquisque in alieno cœlo non experitur febres,

alios-

aliosve graves morbos? quod iter longinguum sine periculo, sive terra, sive mari fieri animadvertimus. Quo istam animi tui constantiam pluris facio, & plus caussæ tui prædicandi, quàm cohortationis pangendæ habeo. Probo vero etiam rationem, quam sequeris. Cum enim te præ cæteris studiis, ad eloquentiæ & politicæ studium contuleris, rectè & bonos scriptores & historias omnium & temporum & orbis partium, præterea cognoscis. Sed nihil rectius, quàm quod Græcas litteras habes in pretio. Gręcis namque litteris, ut propriis arculis, thesauros sapientiæ servari, te satis vidisse arbitror. Sermonem quoq; ipsum cognosse, non erat quidem abs re: sed secundum est, magnumque adeo, & præcipuum, Græcis disciplinis incumbere, quod ipsæ non satis à quîque Latinis litteris sunt explicatæ. Animadverti, quàm libenter acceperis, cum alia, quæ à Peripateticis sumpta, tum quæ ex Plutarcho adversus curiositatem & garrulitatem, tradidimus. Nec mirum, te iis delectari, quæ sequaris. Tu enim de iis

&au-

& audis cupidè, & loqueris accuratè, quæ operę pretium sit non taceri: tu tuas res tibi curæ habes, relictis aliis, ita ratus, vix esse cuiquam satis temporis, ad ea agenda, quæ sunt proprii muneris; proinde magnæ esse stultitię, vel extremæ malitiæ, in aliena inquirere, & ea curare, quorum curatio turbet fortè multos, juvet neminem, ipsius curiosi rebus & existimationi noceat maximè. Nec dubito vero, quin ejusmodi doctrinis te meliorem fieri sentias. Magis enim magisque indies vitam hominum intelligis, & rectius de unaquaq; re judicas, & tum benè dicere tum benefacere magis desideras, & eniteris studiosius. Quod si ita est, uti mihi multis, nec dubiis signis persvadeo, nihil malle te, quam iis animi epulis perfrui, quibus ille alatur & perficiatur, credibile est, nec cuiq; tuorum familiarium dubium esse potest. Hoc equidem me tam auctore, quam approbatore facies: cumq; in hoc eris, ubiubi gentium eris, me amabis, quod facis hactenus, uti te mihi carum esse intelligis. Vale. Rostochio XI. Kal. Majas. 1559.

CHRI-

CHRISTIANO DISTELMEIERO, Domino in Malsdorff & Radesleben.

EPISTOLA II.

GRatum tibi esse studium meum, non dubitabam, non solum, quia plus mihi in litteris tribuis quam ipse arrogem, sed etiam, quia me mirificè amas. Solemus enim quæ ab amicis proficiscuntur, quamvis tenuia, in rebus carissimis habere, & non raro multo etiam preciosioribus anteponere. Non putabam autem, te cogitare de referenda gratia, quasi ἐπὶ ῥητῷ. Certò sciebam, sive scripsissem aliquid, sive nihil scripsissem, te non defuturum, si opus esse ostenderem, aut tibi in mentem veniret, in rebus meis, neque mihi, neque meis: meis autem, cum si quos tibi commendarem, in quo feres audaciam meam, tum qui ex me nati, quotidie opem meam, implorant, majoremq; cum ætate propediem flagitabunt,

ut nullum verbum faciant. Quod si mihi soli viverem; nemini mortalium gravis, contra quibus possem, studerem esse usui. Etiam nunc quibus queo, & quantum omnino queo, servio, potissimum ingenuæ doctrinæ studiosis adolescentibus: quoniã mihi in aliis vel nihil, vel parum facultatis est: alterum æquè declinaturus mihi in perpetuum videor, præsertim cum litteris & litterarum cultoribus olim à Regibus constituta præmia, paullo antè prorsus evanuerint, ἠΰτε καπνός. Jam verò præter omnem expectationem meam luculento me munere affecisti, quo plenissimè testatum mihi faceres animi erga me tui singularem benevolentiam. De eo te amo, daboque operam, ut aliquando coram tibi gratias agam: si hoc brevi non fiet, aliam viam inveniam, qua magis tibi probem auimum meum, & tuum in me complectendo magis confirmem: aut quoniam hoc non opus est, ostendam, quam non erraris in hoc, qui me vel ultrò, vel, cur enim dissimulem? ea facilitate in amicitiam adsciveris, de sermonibus bonorum, & qui-

quibusdam ſanè mediocribus ingenii monimentis notiorem, quam de facie. In eodem vero faſciculo accepi plurium perelegantia ſcripta, gaudeoque univerſum penè chorum muſicum præſto fuiſſe honori tuo: non equidem injuria, quem tu ſtudio & præſidio ſublevatum tuo, velis eſſe ſemper ornatiſſimum. Probo etiam præclarum tuum de Thoma Hubnero judicium, quem cognovi jam ab adoleſcentia virtute & integritate vitæ nemini ſecundum: de ejus animi dotib. ita ſentio, ut in copia optimæ doctrinæ, & admirabilis in dicendo facultatis ei neminem præferam. Qua in re cum mecum non diſſentias, perges eum veteri tuo amore complecti, magis etiam, quam meipſum. Cur enim hoc non feram? cum intimos ipſius ſenſus certius perſpexeris, quam meos, hominis tibi à pueritia notiſſimi: non dicam magis, ne quod mihi tribui cupiam, ipſe derogem. Tantum autem abeſt, ut illi invideam, ut hoc etiam te rogem. Declarare etiam ei potes amorem tuum conſilio & ope, & cogitare ubi id facias.

Y Cen-

Censeo enim subvenias hominis pudori. Eum enim probare in bonis ita debemus, ut non negligamus: utrumque prudentis est, hoc benefici. Non potes autem ignorare, in quas difficultates quorundam perfidia conjectus sit, quos cum ille juvaret, se penè, certè de suis multum perdidit: non levibus curis ipsius animum angi scio. Da quoque mihi veniam, qui tibi eum commendem, in quo amando mecum certes. Non reprehendenda videtur cura, quæ pro amico suscipitur, nec supervacanea: neque perindè impudentes in aliena re, ut in propria videmur: quanquam & hanc meam puto: sed scis ut loqui consveverimus. Vale. Rostochio X. Cal Sept. An. M. D. LXXXI.

Ep. III.

quâ

EIDEM

de Nuptiis minoris Filiæ DORO-

ROTHEÆ nubentis ALBERTO Comiti ab Eberſtein, Domino in Neugarten & Maſſov in Pomerania, gratulatur.

COgitanti mihi de litterario munere olim tibi promiſſo, & à te pridem deſiderato, fama aliquot abhinc menſibus oſtendit argumentum, in quo comentando aliquid temporis rectè ponerem, non ſolùm, quòd viderem, quibus alii erudirentur, ſed quæ etiam, præſertim ſi tu auctoritate & conſilio & opera accederes, publicè profutura credi poſſent. Ab exceſſu enim VII.*viri* Brandeburgici JOACHIMI-FRIDERICI, cum laudatiſſimo Patri, ſucceſſiſſet JOAN. SIGISMUNDUS, Princeps optimus, nullum officium primariæ in imperio dignitatis neglexit, qui antè de omnibus eſſet eruditus, & plurium ſpecimen magna induſtria feliciter edidiſſet, tùm in media Marchia, tùm foris. Tranſito jam Iſtula venerat in Boruſſiam: quæ

ibi gereret, quæ etiam diceret, multa nunciabantur. Facta enim & dicta Regum & Principum latere non possunt, & erumpunt per se. Imò hoc est hominum ingenium, ut in illa curiosè inquirant, & quæcunque odorati fuerint, quasi præcones precio conducti, decantent ultrò. Nunciabatur de artibus pacis sermones sæpè instituere, & in iis de visitanda Academia [sic enim de emendatione etiam magnarum rerum de consvetudine sacrarum litterarum loquimur, quam ἐφορείαν quoque commodè diceremus] mentionem injecisse aliquoties, quòd intelligeret, ita se habere, quod sapientes probarunt, utinam potentes, quotquot sunt, amplexerentur: unamquamque Academiam fontem esse boni, & officinam felicitatis humanæ: quod de rectè condita, & benè culta, verissimè asseveratur. Id cum ab aliis ad alios relatum & perscriptum esset, mihi quoque amici litteris prædicarunt, sive prædixerunt, quod fieri optaremus utrinque. Ego verò ratus, me ad te scribendi occasionem nactum, neque oblatam, dimit-

mittendam, credidi me habere jam materiam, in qua experirer, quid possem docere aut dicere: & possem fortè non nihil. Hoc enim nisi ipse comperisses, quod aures tuas prætervolare non potuit, si tibi sive primus, sive præter alios, (namque & hoc mihi licet) narrarem: te præterea rogarem sive monerem, ut prima sive optima commoditate hujus divini consilii, καὶ προαιρέσεως βασιλικῆς mentionem faceres: ut venatores de canibus passim concionantur, & Principum filiis momenta venandi modò lepores, modò hinnulos, modò apros, modò cervos, ad lupos, uros, leones usque, non insusurrant clanculum, sed alta voce decantant. Non solùm autem super hac re verborum aliquid facias, sed & tui loci aliis insuper in eandem sententiam pertractis, sive in ea confirmatis, simul plures sancto operi manus admoveatis, & quę vobis ab illo Archinauclero demandentur, exequamini. Estis enim vos primates & oculi & manus Regum, ut Persæ loqui solebant. Hanc verò cogitationem non equidem abjeci, sed eam mihi una

caussa minuit, altera retardat. Motus enim his mensibus exorti in Germania scrupulum injiciunt animo meo. Vix enim turbatis rebus, tanto metu belli, hæc deliberatio instituatur. Omni enim tumultu publico, cum reliquæ artes pacis jacent, tùm locus Musis nusquam est. Spem tamen ipse bonam fovebam, reputans mecum, & legibus posse & solere disceptari contentiones maximas, & abundare Germaniam bonis senatoribus, neque nihil valituras miserorum ad Deum perpetuas preces. Quando autem aliquid meditationum in hunc finem etiam annotare cœperam, tùm amici nobis exponunt, parare te hoc vere nuptias secundæ filiæ, nobilissimæ virgini, DOROTHEÆ DISTELMARIÆ, quod postea è tuis litteris, ac paullò pòst ex te ipso pleniùs cognovi, cum legatione amplissima perfunctus, transiens me salutares pro veteri tua in me benevolentia, qua me adolescens complecti cœperas, cum tu in academia ad Viadrum liberalibus disciplinis magno studio incumberes, ego in acad. Baltica ad

ad Varnum politiores litteras primo loco docerem juventutem Megapolitanam, multos, qui è vicinis regnis capiendi cultus ingenii gratia ad nos confluerent. Etenim Joan. Schosserus, æqualis meus, mihi è septemvirali acad. ad Albim, studiis & animo conjunctissimus, tibi vel lucubratiuncularum mearum aliquid legendum dederat, vel de me, nostraque amicitia, è similitudine studiorum nata, exposuerat. Idem de prçstantia tui ingenii, & singulari studio, quo flagrares optimarum artium, earum potissimùm, quibus vita hominum rectè sancteque coleretur, ad me scribebat. Namque illi gravissimo & doctissimo viro Pater tuus, LAMPERTUS DISTELMARIUS vir sapiens, Marchionis VII.*viri* Senatus princeps & Cancellarius, te erudiendum informandumque ad paternum exemplum crediderat. Ex his primodiis inter absentes nata notitia, excrevit in certam & constantem amicitiam, auctoritate illius Æmiliani, viri boni & præstantis poëtæ, ut de cæteris illius animi dotibus non dicam.

Possim enim & verè & uberrimè referre multa, si locus pateretur, nec ipse aliò mihi properandum statuerem: & extant mei de ipso amoris & judicii testimonia in illis epistolis, quas ipse suis lucubrationibus olim adjiciendas censuit, etsi eadem & multò plura hodiè luculentiùs scriberem: & faciam in loco, etiam tibi gratificans. Nam, ni fallor, illius laudes, tuas, & tuæ actiones contrà illius nomen illustrabunt. Inter nos autem disjunctos locorum spatio alia intercedere commercia non poterant, quàm per litteras, quarum ego, præsertim quas expeti intelligerem, parcus neque illa ætate esse solebam: lacessitum epistolis me quoque diligi, aut aliquo loco haberi suspicans. Cùm igitur à vobis aliquæ, & doctrinam & benevolentiam redolentes, mitterentur, neque à nobis nullæ veniebant. Non enim me dignum putabam, pigriorem videri in re non difficili, cui nullum diem à litteris abesse liceret. Ipse verò postquam te in suum ludum vocatum, in senatu amplissimo sententiam dicere jussit, ubi te in nego-

negotiis exerceret, neque hoc scribendi studium omisisti, neque deinceps, cùm in amplissimo & negotiosissimo munere patri successisses: deniq; hâc iter faciens, quod evenit, dum hîc vivo, aliquoties, & me tibi adesse jussisti, & ipse venisti domum meam, ut me abs te tanti fieri sentirem, quanti ego me & mea non æstimo: non tantum officiis, quorum erga me & meos non obliviscor, sed animo me magis tibi obligasti ad te observandum. Observantiam autem, etsi ipse quoque esse animi cujusque sentio, tamen prodi obsequiis & studiis oportere non minus statuo. Itaque & antè ejusmodi sive signa, sive officia, præsertim tuo illo tempore, quod tempus sive otium à te fuit pulcrè collocatum, ut cum nihil agere viderere, quibus nihilominus prodesses patriæ & dispiceres & faceres ad hoc usque, quo valetudine recuperata honorum habes quantum, laborum: ab his autem vacuum diem non vides; quod ego accepi à sapientibus, utriusque rei esse fatale, idque sacrum vinculum.

Hoc igitur una, fortè & altera episto-la tibi tum gratulabar, non solum ut gratum tibi facerem, sed ut hinc ipse videres, quàm bonis & amicis ex animo faveam, qui ab omni invidia me ita quoque purgarim, ut mihi minus faventum res secundas æquo animo aspiciam. Quam autem iterum tibi gratulandi occasionem habeo, neque hanc dimittam, neque aliis felicitatibus tuis annectam alias. Multa enim Deus benignissimus in te tuosque bona contulit, ne talium indicem moliri videar, quibus quasi assentans te facere velle videar deum, ut solent, qui rem aucupantur præter benevolentiã. Coacervare mihi facile sit, & parentum tuorum in pluribus præstantiam, & res vestras secundas, & amicitias, & affinitates. Sed & his relictis & horum similibus, gratulabor tibi, an de filiabus, an de generis? sive enim te beasse videri posſint filiæ tàm illustribus generis, sive tu beasse tam Illustribus maritis filias. Verum ego, ut hoc illudve se habeat, curiosè non indagabo, & dicat quis, esse arcanas cœli caussas, perinde videri,

cas

eas noveris, sive ignores: de re ipsa constat, illuxisse tibi eam felicitatem, ut filiæ tuæ nupserint Comitibus. Namque in splendore vitæ civilis nemo dubitat, quin preciosa sit res Nobilitas: prima autem, vel cumprimis, quæ sit preciosior: ordine prima est equestris, dignitate regia. Sunt autem, & nominibus propriis recensentur alii atque alii: in iis Comites, inde haud dubiè dicti, quòd in comitatu proximè præstò essent, sive apparerent Imperatori, quem & Monarcham dixerunt, & licet dicere. Non enim ita delicati erimus, aut ineptè superstitiosi, ut non usurpemus nomina, post mutationem reip. Romanæ rebus ab omnibus gentibus imposita, quæ Latinorum nemo audivisset: ut neque res ipsas viderant. Namque & Græci & Latini Persicis quoque utebantur, ut suis, cum & gazam dicerent & satrapas. Priorem natu filiam ambiit Comes JOANNES CASIMIRUS, Comitis LINARÆI filius. Hunc omni gratia [meminimus enim] complectebatur VII.*vir* JOACHIMUS II. Princeps & disertus & sapi-

sapiens, & per quam studiosius omnibus rebus ornandæ patriæ, Patris VII. *viri* JOACHIMI I. in omnibus æmulus: adsciverat in primos familiares Comitem LINARÆUM, cujus consilio uteretur in architectonicis potissimum. Architectonice autem Politices imago est, ut hanc illius nomine donare summus sapientiæ magister non dubitaverit. E quam plurimis primam esse cæterarum artium facilè apparet. Nam & ipsa difficultas, & architectorum præstantium raritas magis ipsam nobilitant, vix ut pluribus annis unus emergat aut etiam alter. Florentiæ cum primarium templum, divæ Virglni postea dicatum, quàm magnificentissimum Germanus animo jam designasset, tale ipsum quoque condidit usq; ad summam testudinem, quod ex illo seculo in hunc usque diem admirationi fuit, tunc autem cum recens esset, magis obstupefecit & Etruscos, ingeniosissimos in Europa mortalium, & hospites, qui quotidiè Romam transirent. Roma enim fuit & est Christianis,

nis, quod Judæis fuerat Hierosolyma. Illic in omnium ore est, ipsis centum annis non inventum, qui tantum in illa divina arte ingenio profecisset, ut augusto illi templo desideratum, quod dixi, fastigium imponeret: ausus certè fuit nemo temporis intervallo. Quod etiam operum est durabilius? Multa ante mille annos condita, etiam hodie neque vetustate, quæ tandem omnia absumit, corruunt. Romæ stant etiamnum, Panthèon, stupendum Amphitheatrum, moles aliæ: adhuc nubes tangunt Pyramides in Ægypto, de quibus mira ex iis audivimus, qui in Palæstinam religionis ergò iter susceperant. Dicam quod, quæcunque in hanc sententiam dici cogitarique possint, omnia superat: universi architectus, artis majestatem, hac sua ęde, quam ornatissimam mortalibus incolendam dedit, demonstrat omnium evidentissimè. Denique omnium artium nulla est, quam quis ullam in partem cum hac comparet. Et socer autem ille majoris filiæ tuæ,

non

non solum propter dignitatem ordinis, sed & hanc ob caussam DISTELMARIUS & affinibus ornamento est. Quàm præstans architectus Etruscus ille LINARÆUS fuerit, tùm alia monumenta testantur, tùm Spandova loquetur multis porrò seculis. Jussit pater, ut vir prudens & magnanimus, filios etiam alteri architectonicæ sese à primis annis dedere, quæ est gubernatrix gentium. Igitur artibus pacis clarus, Comes, JOAN. CASIMIRUS LINARÆUS apud Marchionem CHRISTIANUM in Franconia princeps senatus est, & summi judicij Presses, quòd ingenuis disciplinis eruditus, instructus peritia plurium linguarum, confirmatus usu rerum, de cujus civili prudentia his de caussis cuiuis facilè constet. Potissimum autem hujus epistolæ caput est, ut tibi de altero genero, Comite EBERSTENIO gratuler: in qua parte lascivire oratione non debeo, neque in ea arte me exercui, neque familiæ historiam memoria ipse teneo: veterem esse, præstitisse arte militari, aliæ quoque nationes prędicant:

dicant : fuiſſe ALBERTI patrem Comitem LUDOVICUM magnæ auctoritatis, celebratum in Imperio, quòd & facundus eſſet & ſapiens. Hæc dum ſcribo, familiares mihi referunt, matre natum Comite Mansfeldica, quæ familia à multis ſeculis illuſtrisſima eſt inter Comites : neque me fugit, præſidem Areopagi imperialis cum laude fuiſſe ALBERTI patruum HENRICUM, ætate grandi, prudentia, quę annis & dignitati reſponderet. Non invidebo poëtis, animi & corporis dotes ſecundi tui illuſtris generi decantantibus : & verſibus exponuntur illa commodiùs: ut Duce CHRISTIANO Anhaltino militaverit in Gallia, ut fortiter ſe geſſerit in Pannonia. Nec votorum congerie complebo epiſtolam, quæ pro Illuſtribus ſponſis hodie iſtic fiunt in omnes partes omnia : facis princeps, Sponſæ pater ; adſpiciens autem iſtum nuptiarum ſplendorem & tuam tuorumque felicitatem, nihilominùs humanis omnibus tecum reputatis, ęquanimitatem, qua ſemper fuiſti, ſeruas. Etenim ab initio ab omini-

mnibus prædicata fuere tua erga omnes humanitatis officia, singularia erga bonos studia, beneficia in miseros, in moribus & universa vita animi moderatio, ut nemo in sermone, actionibusque tuis, insolentiæ signum notarit: quodcunque autem tibi obtigisset boni aut ipse virtute & industria peperisses, id summa modestia Parenti universitatis acceptum refers. Ut autem hæc in te magis suspicio animi bona, quàm res secundas, quibus absque invidia bonorum frueris, ita de illis magis etiam tibi, quàm de alia quavis felicitate gratulabor. Neque verò quid pulchrius censeam, aut beatius, tali modestia atque animi moderatione, quando ea quæ prima putantur, caduca cum sunt & fugacia, inventa & possessa, tenorem vitæ non mutant. Hoc nomine Simonides olim celebravit Archedicen Hippiæ filiam, Æantidæ Lampsaci tyranno nuptam, quod cum esset ipsa illius filia, hujus conjunx, tyrannorum soror, itemque mater, nulla re facta fuerat insolentior, quamvis opibus & potentia Reginis par. Sed

& re-

& reginas à memoria veteri habemus non minore modestia, & ipsi fortè vidimus prelucentes universo sexui sanctimonia. Referam tibi è cultoribus studii sapientiæ, qui in rebus secundis humanitatis erat exemplum, & erga sui ordinis multos perbeneficus. Viennæ contraxi notitiam cum Joanne Cratone, Archiatro Maximiliani II. Is cum abundaret & amicis & opibus, agnoscebat hoc quoque se nomine felicem quòd Archiater fuisset trium Imppp. Ferdinandi I. Maximiliani II. & Rudolphi II. de quibus cum benè mereretur, gratia apud eosdem valebat, & doctos viros apud heros potentissimos in gratia ponebat. Diligebat enim præcipuè Joachimum Camerarium, Joañem Sturmium, Paulum Manutium, Conradum Gesnerum, Obertum Gifanium, & honore afficiebat: illi etiam hoc præconium ego debeo, quem istis minorem tum quoque amplectebatur. Emeritus in patriam se retulit, servitum valetudini, atque ibidem [Vratislavius enim erat] sacra meditabatur & scribebat, inscripta Meletemata

Ipse autem in rebus duris, è quibus eluctari fortè non studui, (agnosco enim veram familiarium reprehensionem) summoperè studui modestiæ, quam σωφροσύνην, sacræ litteræ ταπεινοφροσύνην dicunt, quam si ostendo, non ostento, quo nihil fieri possit insolentius: displiceo mihi, quoties non assequor, ut studeo: quo tamen studio tranquillitatis mihi plusculum concilio. Proximè, cum me moneret Nazianzenus, hoc boni uno versu persequebar: ὑψηλοφροσύνης χθαμαλοφροσύνη μέγ' ἀμείνων. Ignosce, qui de me quoque dicam! feci, ut utriusque virtutis æmulos non absque causa amicitiam colere etiam ab aliis intelligeretur. Habes gratulationem diversi generis, priorem non falsam, sed nitentem potissimùm opinione hominum, quæ quoque invidiam conciliat, irritat maledicentiam; sinceram alteram, neque ita casibus humanis obnoxiam, tui in illa parcior, ne à verò deviarem, hujus dignitatem ob præstantiam assequi non potui. Unde autem initium scribendi feceram, in eo finem facio; nec promissum illud tibi

tibi simul persolvam, sed jubeo, ut si tempora ferent, & ego valebo, aliquando exspectes, quę boni probabunt. Habeo enim à plusquam viginti annis meditata, de quibus moneam, cum, ut evenisse Orpheo Cassius Parmensis canit, risum movi familiaribus. Namque multa sunt, in quibus aberratur, de delectu & concordia docentium, de modo docendi, de doctorum mercede sive præmiis, quæ egent explicatione, auctoritate procerum, magnificentia patronorum: quorum capitum meminero atque etiam plurium, si & hoc vobis placere intelligam. Vale. Helmæstadio ex acad Julia XV. Kal. Jun. die natali meo duodeoctuagesimo. clↃ lↃ cx.

HENRICO RANZOVIO, Vicario in Holsatia &c.

Ep. IV.

QUod me in sermones tuos arcessivisti, per mihi gratum fuit multis nominibus; sed hoc

potissimum, quod ex iisdem tuam erga me vidi singularem benevolentiam. Neque tamen quidquam id novi existimavi. Tu enim omnibus bonis viris, in quibus aliquid sit literarum, faves. Verum dabitur à me opera, ut plus tibi caussæ sit mei amandi. Modo has breves ad te literas hac occasione dedi, ut meæ in te observantiæ aliquod signum, etiam ut tibi gratias agerē sublevanti res adversas boni, ut semper existimavi & eruditi viri, quod tu quoq; eximius ingeniorum censor judicas, Joañis Golichii; nec ausim quid à te amplius rogare. Est namq; ea sum̃a tua bonitas, ut facile antevertat petitionem & exspectationem nostram. In hominē gratum beneficium contuleris & me non minus tibi obstrinxeris. Vale, Vir Amplissime. Rostoch. Non. Sext. A. C. cIↃ IↃ XXLIV.

CASPARO FLOTOVIO.

EPISTOLA V.

UT primum, Caspar Flotovi, ingenium in te perspicax, indolem singu-

singularem, & præclara ad veram solidamque eruditionem atque omnem virtutem principia deprehendi; [nam quibus etiam abundas fortunæ bonis, ea me non moverunt, neque sapientis judico, generis splendorem aut opes cujusquam vel regias per se suspicere] continuo te vehementer amare cœpi, tibique animum, amicitiamque meam, à qua non abhorreres, ultro aperire non dubitavi: non mea quædam commoda secutus: sed eo feci, cum quia ex adolescente singularis exspectationis non parum voluptatis capiebam, tum ut tecum aliqua, quibus adjuvarére, liberaliter communicarem. Nihil enim mihi prius, aut jucundius est, quàm & eruditis bonisque atq; doctrinæ humanitatisq; cultoribus frui, & vel à majoribus de summis rebus doceri, vel inferioribus cura, laboribus & vigiliis meis, meo loco opitulari. Jam tu mihi testis es, quàm ego te á primordiis nostræ notitiæ, quoad simul viximus, fideliter & monuerim & hortatus sim, &, si qua daretur occasio, etiam erudierim. His enim viis te faci-

facilimè in officio retineri videbam: neque umquam ab hoc meo instituto, quo te volentem non levi beneficio mihi afficere viderer, ulla parte discessi: tibique meum in te animum, & quando hoc itinere suscepto amicis valedixi, & datis ex itinere ante morbum gravissimum litteris confirmavi. Etsi autem non dubito, quin & ego tibi nostroque amori satisfecerim: & tu meorum sermonum perpetuo memineris, ut hæ litteræ quasi supervacaneæ sint futuræ: tamen feci tanto libentius, quod Joachimus Bassevitius, adolescens mihi carissimus, ob morum probitatem & reconditas litteras, me quàm amicissimè urgeret. Mirificè enim te ipse quoq; probat, & mecum in te complectendo certat, & sibi de te omnia maxima, ut & ego, pollicetur. Neque nos hæc unquam frustrabitur opinio, si quà cœpisti, perges magnis passibus progredi, & ea, quæ tibi fideli consilio præscripsi, sequeris: in quibus ego reversus, si voles, porro quoque auctorem me & ducem tibi præbere non gravabor. Vide vero interea, ne te
ex

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ex hoc honeſtiſſimo ſpacio voluptatum illecebræ avocent, vel inde magnitudo laboris deterreat. Sed ſi te bene novi, non ita molli animo es, ut te umquam luxui, cum viderim te continentiſſimum, dedas: ſed ita forti potius, ut omnes, quæ flagranti ſtudio doctrinæ atque vitę politioris ſubeundæ ſunt, moleſtias ultro ſis ſubiturus, & nullo negotio ſuperaturus: ſi hæ moleſtiæ dicendę ſunt, in quibus, non ſolum in ipſo rei exitu, ſed etiam ſimul ſine reprehenſione plurimum dulcedinis, atq; ſuaviſſimorum fructuum percipimus. Vides vero tamen, etiam me fateri multa nobis adverſa ſubeunda, multa difficilia ſuperanda eſſe: ſed hæc, & vitæ perfectio ſive expolitio, qua nulli umquam ſano quidquam exſtitit optabilius, & ſalus reipublicæ, cui natos eſſe nos exiſtimare, ſanctiſſimum eſt, gloria, quæ nunquam non huic excellentiæ comitatur, abunde compenſat. De utroque præclarè te monebit Orpheus Casſii: cujus Orphei huc Roma miſſi, proxime fecit mihi copiam Vir clariſſimus: ex eo hos verſus accipe & memineris:

Non levis adscensus, si quis petit ardua: sudor
Plurimus hunc tollit: nocturno exsomnis olivo
Immoritur: delet quod mox laudaverat ipse,
Qui cupit æterna donari frondis honore.

Et quidem hæc satis; ne si nimiam de te sollicitudinem præ me feram, de tuo animo nobilissimisque studiis dubitare aut sinistrè suspicari videar. Vale. Florentia. VI. Id. Jan. Anno cIɔ. Iɔ LXVI.

NICOLAO CASIO
Regni Danici Cancellario.

EPISTOLA VI.

CUm hic juvenis & in re sua, & videndi regni florentissimi gratia istuc proficisceretur, iterum aliquid scribere ausus fui: etiamsi ad te superioribus diebus litteras penè inanes dedissem: nisi pro tua sapientia sic statues, quæ gratum & memorem animum aperiant, non penitus vacuas esse omni re, & ferre deniq; illud boni, quo carere maxima pars mortaliũ existimatur.

Ego

Ego vero, poſtquam tu me, Nicolae Caſi, in tuis habere cœpiſti, & non ſuſpicantem beneficio affeciſti, jampridem cogitavi, quodnam illuſtrius argumentum mei grati animi & obſervantiæ inte ederem, neque aliud vidi, quam ut aliquid vigiliarum mearum ad te mitterem, ſi quid poſſem te dignum elaborare, cum ſciam te iis delectari, quæ aliquid ſpirent veræ politæque doctrinæ veterum: neque tamen id hactenus ipſemet mihi imperare poſſum. Valde enim vereor, ne hanc rationem ſecutus, non tam pro vetere beneficio gratias agere, quam novum petere videri poſſim: quod minus tamen vererer, ſi me noviſſes familiarius. quod ſine alicujus temporis conſvetudine fieri non poteſt. Tamen loco illuſtri, [occaſio enim ſe mihi certè offeret, quam etiam ſtudioſe aucupabor] virtutem tuam prædicabo verè, ſineq; tua moleſtia. Hoc etſi non negligam; tamen & alii erunt præcones tuarum laudum, me haud inferiores, neq; hodie deſunt: quem honorem tibi gratulor. Eſt enim profectò honor, à bonis iiſdemq; acribus vitæ humanæ exi-

existimatoribus, non à quivis, aut ab assentatoribus celebrari. De Nathane Chytræo homine doctissimo & viro gravi affirmare non dubito, quas tibi ille laudes, quod verecundè facit tamen, cum quid se dignum sit non nesciat, tribuit; idipsum tuæ humanitatis, quæ cæterarum virtutum familiam facilè ducit, & sapientiæ prædicatione impulsum facere, & facere omninò tum ex animo, tum sincero judicio. Judicium enim de te non solum facit judicium aliorum, sed ex iis, quæ ab omnibus à te divinitus consuli gerique intelligit. Librum autem quod una mittit, non possum non probare. Neque autem te docebo, quam bonus, quam elegans sit, cùm ipse tuo judicio stare malim, quam meum tibi de hoc genere ostendere: hoc silentio præterire nequeo, me libellum, ea, qua scriptus est lingua, à multis jam annis legendo contrivisse. Quam autem feliciter Nathan operam suam collocarit in eo interpretando, quantumque valeat in carmine pangendo, res nimirum ipsa loquitur: & quoniam cœpi,

Digitized by Google

cœpi, ut verè, ita liberè pro amico loqui, dignus est nobilissimorum hominum, Principum, Regum denique gratia, hoc est, qui foveatur ab optimis & potentissimis. Sed proh dolor ita fit hodie, ut in tanta multitudine eruditorum, quando hoc perverso seculo, qui Latinam linguam vix dum balbutire inceperint, [linguæ enim unius alteriusve haud satis felix cognitio hodie est instar illius apud veteres pallii ad talos demissi, & barbæ promissæ, quæ venditabant vulgo philosophum] bonas autem litteras nunquam viderint, nobis si Diis placet, libros cudunt quam plurimos, audacissimi quique quos necesse est esse pessimos, emergant. negligantur doctissimi: aut illorum importunitate, & sive ambitione, sive avaritia, illi precio, quo sanè, indigni sunt, hi præmio, quod debetur veræ eruditioni, utrique gratia Principum excidant. Sed apud vos futurum auguror, ut præstantes viri perpetuò suum locum teneant. Vidi enim ex tuis ad socerum meum litteris, vos acres esse censores omnis generis sci-

scriptorum, & Regi vestro commendare, quibus ornandis laudes & ipsius Majest. & vestræ amplificentur. Inde conjecturam hanc facio, aliam esse conditionem communis generis scriptorum, quo tamen neque eos nomine appellarem, si aliud occurreret. Hæc venerunt in mentem, cum amici res mihi curæ esset, de qua etiam magis auderem laborare, quam de mea, hominis præsertim omni laude digni. Censuram autem tuam non injuria, neque tibi adulans prædico, qua, quia semper uteris neque Rex munificentissimus minus unquam erit erga dignos liberalis, & consuletur dignitati tuæ, tum utilitati publicæ. Quod si vero existimes, esse hanc veluti admonitionem, eamque supervacaneam veniam mihi ut des, rogo, daresque eam ultrò si cogitationum mearum rationem tibi exponerem pluribus. Verum ad sapientem longiore oratione minime opus est. Vale vir Nobilissime. Rostochio. IV. Non. Majas. Año M. D. LXXVIII.

LÆ-

LÆVINO BULOVIO, Ducis Borussorum Consiliario.

Epist. VII.

EX iis sermonibus, quos tecum olim primos habui, unum te memoria tenere existimo, ut studium tuum peradolescentis erga bonas litteras, quo te flagrare facilè animadvertebam, magnopere collaudaverim; jamque divinum illud ad sapientiam iter ingressi animum confirmare conatus fuerim, neque paucis & bonis argumentis. Simul tibi accidit, neq; ferè aliter fieri solet aut potest, ut tu me statim plurimi faceres, & ego te non minus amarem. Ipse enim videbam tuos ad summa quæque pręclaros impetus: tu meam in te benevolentiam: hæc non potuit non te, illi me itidem permovere, si homines essemus: vel potius, quoniam eramus homines, permoverunt. Diu deinde nos non vidimus, etsi tu me tecum quasi abstuleras, ego te in animo servabam meo.

Sed

Sed ut redeuntem excepi juvenem, tum disciplina juris, tum facultate dicendi, quorum utrum dicam esse majus, ita subito non queo apud me constituere, etsi illam hodie esse hac, olim vero hanc illa, majore in precio fuisse, nos minime fugit, ibi tum uter nostrum plus ex altero voluptatis ceperit, non facilè dixero, cum & ego lætarer, te eum esse, qui, ut prędixeram, honori nobilissimæ tuæ genti, usui esse reipubl. posses & tu non minus lętarere, nos de tua virtute & doctrinæ præstantia præclarè sentire. Sic igitur cum profundiores egisset radices hæc nostrorum animorum conjunctio, vel amicitia, jam ut tibi de mea in te benevolentia persvaseras, ita mihi esse minimè metuendum putabam, ne aliquando ex animo tuo elaberer, quemadmodum in vulgus fieri videmus, fierique prorsus necesse est inter eos, qui quovis potius moventur, quàm virtutis aut sapientiæ specie. Non certò me fefellit, neque initio augurium meum, neque deinceps judicium. Tu enim non conquiesti, nisi & re & litteris declarasses tui

tui in me animi ſenſus intimos. Perge vero me amare: ſed tu hoc facere deſines, cum, quem nunc tenes, curſum deſeres: deſeret autem nullo umquam tempore tum monitus exemplis gentis tuę, ex qua antiſtites habuit Megapolitana regio aliquot: tum eruditus iis litteris, quæ nos vetum decus numquam oblivisci patiuntur. Mihi etiam viſum fuit, denuo meum in te animum tibi teſtatum hoc loco facere, cum iterum ederem librum hunc de laudibus Alberti, Ducis Boruſſorum. Videbis, forte jam ante videris, voluiſſe me optimè de litteris merito Principi gratias agere publico nomine. Vitæ ipſius hiſtoriam de induſtria perſequendam reliqui aliis: eò potiſſimum, quia id illius loci non erat: etſi hoc quoque me movebat, quòd cum hæc ſcriberem, quoniam multa me fugiebant, ut nunc quoque inquirere omnia ita ſubito non poteram, tangere autem, perſequi non poſſem, non libebat; neque etiam debebam: ne lectorem earum rerum cognoſcendi avidum fallerem, neve meæ exiſtimationi minus conſuluiſſe videvide.

deret. Fuit autem Dux ille Borussorum, neque litterarum rudis, ut illa tempora ferebant, & plus quam educatio Principum, uti vulgo administratur, polliceri videbatur, & præclarè de iisdem mereri nunquam dubitavit. Nunquam fere illæ patronos multos habent: sed hodie cum habeant paucissimos, immo à fortunatis, uti à reliquo vulgo superbé dispiciantur; puta, Levine Bulovi, eas à te præsidium exspectare & petere, tamquam ἀντιπελάργησιν, quam jure etiam flagitarent ab alumnis suis: sed non flagitant. Sciunt enim, quos ipsæ educaverint ingratos esse minimè: si secus sint, dicto non audientes fuisse autumant, & proinde ejusmodi in suis non habent. Eris igitur auctor Principi tuo, ut hac in re exemplum patris imitetur, atque etiam soceri Ducis Clevensium Guilielmi, qui cum esset à puero ab homine doctissimo præclarè in litteris educatus, sapienter rexit, regitque etiamnum suos populos, ut in mediis fluctibus extra periculum sint, fortunæ bonis abundent, in omnibus jus & æ-

Digitized by Google

& æquum colant: confirmabis etiam collegas, ut tecum ſentiant, vel quoniam à te non diſſentiunt, junctis animis & ſtudiis illud publicæ gubernatiotionis munus feliciter gerite: in quo non eſt curarum ultima de educatione naſcentis ætatis, neque ab illa cura divelli poteſt altera de ſtudiis litterarum, ſiquidem verum eſt, quod ſapientiſſimi aſſeverare non dubitant, ſtudiis ſapientiæ privatam vitam benè regi & publicam, & illis proculcatis jacere omnem ſpem beatæ vitæ, vel ſaltem commodæ & hominibus dignæ, contra omne genus calamitatum ingruere. Etſi autem ob improba potiſſimæ partis mortalium judicia, & perverſas voluntates, ut de aliis caſibus & ærumnis nihil dicam, quæ natura comitantur noſtro generi, res mortalium tuto loco, velutique in portu conſtitui non poſſunt: tamen & quod eſt bonorum, quæ ſunt quàm plurima, comparare & conſervare, quod malorum depellere conari debent ſapientes, & vos hoc magis, quibus cura civitatum populorum credita eſt, quanto eſt veſtra

major dignitas, fulta opibus & potentia. In hac sententia cum fuerit, ut de uno dicam, quo poteram de plurimis. Eteocles Æschyli, qui ut suæ civitatis saluti consuleret, perire etiam ipse maluit; tu profecto tuique collegæ, nobilissimi & clarissimi viri, non minus intelligitis, & omnia, ut viros animi magni decet, postponitis utilitati publicæ. In iis esse intelligo, qui me ament: hos amabo confirma, & ceteros mihi amicos redde. Ut enim bonos unicè veneror, ita non nisi bonis esse carus cupio, & mori esse duco satius, quam non diligi à bonis, quibus qui se non probet, merito putetur esse nihili. Vale. Rostochio Non. Jun. Anno cIↄ Iↄ xxc.

FRIDERICO BILÆ.

Epist. VIII.

SI brevi extemporanea epistola tibi satisfieri pateris, FRIDERICE [vix mihi

Digitized by Google

mihi jam licet per hunc hominem fasciculum componere, ita properat Jeccam tibi. Tuam in me benevolentiam amo, qua meam mereris, si tui amandi caussa non esset: hæc est singularis, istæ tuæ non vulgares litteræ; non dico studium, quo maximè inflammatus es, ut intelligas, præclarè me existimare de profectu tuo. Ea enim scribis, quæ adolescentem nobilem meditari æquum est, & ita scribis, ut ab eo exspectari possit, qui totus sit in litteris, & cum primis eloquentiæ studeat. Perge verò, & sæpè scribe: ut sæpe recognoscam tuum in me animum benevolentissimum, & animadvertam, te majoribus in studio hoc tuo passibus currere. Ex utroque mirificam semper capiam voluptatem: in uno tibi respondebo, in altero te confirmabo, vel, quoniam non opus esse video, collaudabo. Vale. Rostochio IV. Kal. Sext. Año M.D. LXXXI.

JULIO à GROEBIN.

Ep. IX.

ORdiar à re ipsa, JULI: nec commemorabo, quàm mihi carus sis, & quibus de caussis, quàm tui similes amem, quàm vobis consultum cupiam. Quid enim attinet? cum nihil horum te fugiat. Videor autem rem ipsam non explicaturus rectius, quam si tibi sive consilium & voluntatem, sive exemplum Nicolai patris tui proponam. Hic enim te pro sua sapientia, quem unicum haberet, non putavit in deliciis habendum, quod vulgus parentum, sinistra profecto in liberos indulgentia, facit, neque laboravit hoc unum, quod item plerisque curæ esse animadvertimus, ut tibi quàm lautissimum patrimonium relinqueret: quod neutrum ex usu tuo: illud autem tibi statim exitiosum, & sibi, quam ex te caperet voluptatem, brevi aboliturum, judicares. Longe igitur

igitur aliud, & rarum, divinumque consilium secutus fuit, cujus neque te unquam pœniteat. Ingenium enim tuum à puero & informare cœpit ipse, & quoniam ei à repub. otium nullum erat, informandum dabat aliis, eruditis & probis viris, nec imperitis hujus neglectæ à plurimis, sed artis tamen ut raræ & difficilis, ita sane primariæ educandi pueritiam ad virtutem & litteras. Est enim hujus dignitas tanto major, quanto ceteris & animantibus & rebus longius homo anteit. Sed hujus artis præstantia hinc etiam apparet: quò plures mala, quam neglecta educatione perire cernimus. Nam qui & paulo fortunatior est, & aliquid mentis habet, erudiri suos ad rectam vitam velit: nec diligentiæ parcit, & sumptum aliquem in hanc faciendum judicat: sed plerique non intelligunt, quos huic negotio præficiant. Itaque vel quosque obvios, vel non bona ratione delectos præficiunt: ut rem in qua cujusque salus vertitur, sæpius casus, quàm ratio gubernet. Sed pater tuus hoc felicitatis tuæ solidum funda-

Digitized by Google

mentum ipse jecit, cumque perspiceret acumen ingenii tui; te plenius erudiendum ingenuis disciplinis curavit: imo cum sponte jam hoc spacium curreres, collaudatum te juvit & consilio. Cum enim inflammatus amore ingenuarum artium, domo abiisses, plura visum loca, fecit tibi potestatem etiamnum puero, apud nos manendi, quod velles maxime, teque iis hominibus tradidit, quorum exemplis fieres melior, institutione doctior. Ita autem apud nos vixisti hactenus, ut & pater indies majorem ex te voluptatem capiat, & nos te amore complectamur singulari. Neque enim mihi solum carus es, sed etiam viris doctissimis Brucæo & Flacio: quorum de te judicium maximi debes facere; nec nostrum aspernari: sed facies cupide, quod volumus, & quod instituisti, in quo tantos progressus fecisti ordine, in eo manebis: nec doctrinam sine virtute aucupaberis, & virtutem cum litteris copulabis. Non utar iis argumentis, quorum nulla tamen penuria est: nec exempla tibi proponam alia, quorum in prom-

Digitized by Google

promptu & veterum & novorum copia: pro utrisq; tibi sit, quem dixi toties, ille idem pater tuus, summæ doctrinę & spectatæ virtutis homo. Ab eo habes primum, & honestum inter mortales locum, cum sitis vetustæ stirpis Grœbiniæ, ex qua cum pręfuissent majorum aliqui reip., Schulzios quoq; vos cognominatos intelligo, & opum quantum ad bene vivendum beneq; de plurimis merendum satis est, quas ille contra fortunæ fluctus & conservavit & amplificavit, ut ipsam etiam dignitatem. Hoc autem est alterum, quod pręterire nolim, non solum eruditus idem fuit cum aliis literis, tum multiplici historia, & disciplina legum, rebus in civitate summe necessariis, sed etiam in publico & in privato officio ita se constanter gessit, ut calumniam, quę ex insidiis omnes præclara molientes adoriri perpetuò solet, commoverit: irruentem clypeo innocentiæ exceperit, & in calamitate a se pessundatam vicerit. Quem enim de virtute sibi calumnia superbe pollicetur, hunc de calumnia triumphũ agit ex adversis emersa virtus. Sed tanti viri laudes hoc

loco decantare, neque mihi fuit propositum, neque brevi epistola fieri potest. Tua caussa hæc scripsi, quibus te confirmares. Putabam enim quod pater fecit, multis esse rationibus ad ad persvadendum aptius: cumque hic tibi pro omnibus esse tuto possit, rectè me fecisse judico, tu feceris rectissimè, & bono filio dignum, si minime deflectas ab optimi patris vestigiis: quin cum Diomede & Sthenelo sentias: cujus quoq; vocem gloriosam vide ut usurpare honeste aliquando possis: ἡμεῖς τοι πατέρων μέγ' ἀμείνονες εὐχόμεθ' εἶναι. Vale. Rostochii X. Kalend. Novemb. Anno cIↃ IↃ XXCIII.

ERNESTO ab HONRODA.

EPISTOLA X.

ET amo Hupæum, & magni facio, & eo utor familiariter, quod tu non ignoras. Nec vero aliter erga eos affectus esse, debeo, qui cum omnni genere liberalis doctrinæ dele-

delectentur, tum supra omnia virtutem colunt. Præter autem hoc utrumque studium, in quibus ille semper mihi serio versari visus fuit, amplector in eo fidem, qua est in disciplinę suæ alumnos perpetua & singulari. Nihil enim omnium omittit, quæ ad vos erudiendos facere intelligit: at te, Erneste, inprimis amat, suique in te amoris causas mihi exposuit ante, quam te vidisse; multaque de ingenio tuo, de probitate, de profectu in literis, de diligentia addidit, quibus ad te amandum facile optimus quisque incitaretur. Mihi autem tui amandi aliam præterea, quasi quandam necessitatem imposuit', cum mihi tuum nostræ consvetudinis desiderium exposuit accuratius, cum multa tuæ erga me observantiæ comemoratione. Illa autem omnia, quæ ita de te prædicarat, re ipsa quoque nobis confirmasti, jamq; te illis causis de omnibus in longe carissimis habeo; quod etsi non ita multis signis tot mensibus, quibus me morbi omni pene svavitate exuerunt. & aliæ curæ non paulo, quam natura

mea fert, morosiorem reddiderunt, tamen de mea erga te benevolentia te dubitare non existimo. Ne aliquid tibi dubii relinquerem, hoc consilium cepi, ut per epistolam animum meum tibi testatum facerem, etiam si argumentum scribendi necessarium nullum haberem. Nec enim falsum esse censeo, ut sæpe sermone familiari, sic & interdum uti literis. In quotidianis enim congressibus non semper de negotiis agimus, sed multum quoque verborum facimus, è quibus humanitas nostra erga plures, suavitas erga familiares, eluceat: aliquando suademus, hortamur, docemus, quæ supervacanea esse & ipsi agnoscimus, & elegantes homines recte tamen accipiant. Nihil vetat, idem fieri per literas; nec exempla desint, si proferenda censeam: præsertim autem à me ad te fieri. Ipse enim forte habeam, quæ depromam in usum ætatis vestræ, nec tu, quæ hujus generis sunt, asperneris, sed me potius flagites. Initio autem facere non possum, quin te & fratres tuos beatos prædicem, quos pater à teneris

ad

ad modeſtiam educari, & bonis literis imbui juſſerit. Intelligebat enim vir ſapiens, & ſine dubio ſæpe animadverterat, quorum animi educatione & doctrina non emolliantur tempore, pleroſq; inſolentiores fieri, & tum aliis eſſe exitio vel oneri, tum ipſos perire tum certe periclitari graviter. Certos & incredibiles fructus ſuis cultoribus ferunt literę, & iis etiam aliquos nec aſpernandos, qui eas ſaltem brevi, & ſuboſcitanter tractarint. Hic eſt ille Muſarum hortus herbis florentibus ſapientiæ longe fragrantiſſimis conſitus, quem qui ingreſſus ſit, quantum velit, florum aufferat: nec quis facile ſibi imperet, ut nihil omnium decerpat in uſus ſuos perpetuos: id tamē ſi quis negligat, ubi oculos paverit, & nares fragrantiā impleverit, neutrius memoriam abiiceret, quam diu vivet. Te vero cum pauciſſimis non poſſum non laudare plurimum, qui, cum literarum cultor acer extiteris, unde ingenii opum tibi jam comparaſti acervum optabilem; earundem te polliceris cultorem perpetuū: nec ſane aliter fieri poteſt, quin, in quo plurimū progreſſus fueris in eo ulterius

rius progredi semper, atque indies magis magisque desideret; & in eo præstare aliquid eximium conetur; ἵν᾽ ἀυτὸς ἀυτῶν τυγχάνει βέλτιςος ὤν, ut ait Euripides. Illo igitur desiderio tu modo inflammatus es, & alterum urgebis & perficies, quamdiu vives, quod ego mihi, atque etiam aliis de te polliceor, quasi multo ante, quis quantusque futurus sis, prospiciens: nec sane me hæc conjectura fallet. Ea enim jecisti fundamenta in hunc diem, & jacis etiamnum, sive magno studio confirmas, quibus adeo nobile ædificium debeatur, quæq; id sustinere facille possint, quo etiam usque in altum eduxeris, & honestum cumprimis fastigium imposueris Inprimis enim elegantiæ morum & virtuti studes, & coërcitis jam maturæ cupiditatibus, & fracto animi impetu, te isto loco natus, & in ista fortuna adolescens, moderate geris. Deinde in iis literis es, in quibus esse debet, qui contendat ad arcem sapientię, & eo prorsus modo, quo idem debet. Veteres enim scriptores optimos quosque omnis

omnis generis, in manibus habes & lectione Græcorum delectaris maxime, quos, ut vidi, recte quoque cœpisti intelligere; non de verbis loquor, in quibus acquiescunt imi subsellii quidam inter doctos â plebe habiti, homines. Non tanti tibi cortices sunt: de nucleo curæ est, & sententiam facile eruis, unde tibi ornamenta sermonis paras & consilii divitias coacervas. In hoc igitur instituto perge, quod te ultro facturum, ut mihi penitus persvasi, ita & aliis affirmare non dubitavi: forte idem tibi videar hâc epistola asseverare, quod minime opus erat. Tu efficies, ne falsus aliquando vates extiterim; quod si quid etiam penes me esse, quod in rem tuam sit, aut fore, suspiceris, id me posce quasi jure tuo. Cum enim nemini tuorum equalium deesse soleam, tibi, quem tantopere amem, nihil debene in isto genere velim, sed ut de pecunia loqui solemus, sic præsenti vel consilio, vel opera solvam. Vale. Helmæstadio ex acad. Jul. 9. Kal. Jan. cIↃ IↃ XCIII.

EIDEM.

EPISTOLA XI.

E Silentio aliquot dierum tuo, Erneste Honroda, & non satis dissimmulata tristitia, conjecturam feci, animi te pendere, quid de te studijsque tuis porrò statueres, cum te & verbis, & auctoritate alij aliò impellerent. Ibi tùm ego, quod amici erat, pati non potui, ut tecum diutius luctarére. Etsi enim illa te parum moverent, huic tamen adversari, subimpudens fortè credidisti. Paucis igitur tibi ea de re sententiam meam liberè exposui, ut soleo, nihil præter salutem tuam respiciens. Hanc enim in ijs, quorum fundamenta adolescens jaceres, & ego sitam duxi, & tu satis intelligis. Postquam domestica disciplina, & nostra consvetudine, nec sine adminiculo tamen litterarum, animum ad vitæ integritatem conformasti, quod in vita primum est; quid potius te facere juberem, quàm ut in ea te ante omnia confirma-

firmares, in quo perseveraturus esses omni vita, & ex quo salutem & tibi & alijs haurires quotidie? De altero, quod ab illo non alienum, vel arctissimè cum eodem potius conjunctum, cum quibus te litteris ad remp. parares, non de plebe aliquis, sed patriæ natus, ijsdem te quoque quodam modo perficeres; jussi te à te nequaquam discedere, qui recta via à puero insisteres, in eaque jam non pœnitendum spacium confecisses: tantumque adeò, ut te prima juventa, exemplo tuorum aliquot æqualium, qui nobiscum hisce annis vixissent, metam proximè accessurum, non dubitaremus. Non reprehendo aliorum studia, quæ etsi plurimum ad rempub. conferunt, non tamen aliam ejus partem proprie, quàm forum spectant, licet in consultationibus & ipsa serviant, ubi potiora dominantur: tua laudo, quę priora sunt, vel regia, vel certè à regijs proxima: quę cum laudo, ab illis ego te neque avoco, neq; deterreo: immò turpe ducam, illa penitus ignorare, quæ tantopere frequentantur, & ad quę aditus patet mediocribus etiam ingenijs.

Laudo

Laudo te & sodales tuos magni ingenii, qui cum in lectione bonorum scriptorum, è quibus fructus ad vos inde redit uberrimus, annis aliquot versemini, vetustissimum illorum omnium, exemplo Græcæ Latinæque juventutis, manibus teratis: è quo vel solo ad vitam & satis intelligendam, & recte colendam vestram ætatem erudiri posse, certum, & priscorum seculorum exemplis confirmatum est, quando & regum filii ad eum modum educabantur, atque ii cum ingeniosè confictis narrationibus, sive cum ipsis poëtarum fabulis, veritatem & virtutem tàm civilem, quàm militarem discere jubebantur, & ne hoc ambiguum relinquam, non tam molesto studio discebant, quàm jucunda aviditate imbibebant, nacti sapientes interpretes. Cum enim sapiens fuerit ille poëta, & universæ vitæ mortalium intelligens, non aliquis leviter litteris tinctus, aut nominum rimator, tanto muneri satisfaciet: quod vobis sæpe ostendi. πάνυ γὰρ δεῖ, ἀφιλόσοφον εἶναι, ὅυτε τὸν τοὺς τῶν γενναίων ἀνδρῶν υἱοὺς καλῶς παιδαγωγήσοντα,

τα, ἀνδραποδόντι· ὅτε τὸν Ὅμηρον ὠφελίμως ἐξηγησόμενον, καὶ μηδαμῶς ἀσιώνετόν τινα γραμματιστήν. Neque nunc querar, utrumque ſive avaritia, ſive imperitia, ſive exemplis aliorum, turpiter cum incommodo ſingulorum non levi, ſed publico maximo negligi: tibi potius gratulabor & paucis, quibus ea felicitas contigit, qua in perpetuum gaudeatis. Ad id ſtudium domeſticum, nec late patens, nec à multis deſideratum, ab aliis contemptum, nec intellectum, rectè adjunxiſti orationis cultum. In hoc te itidem geſſiſti, ut etſi linguam diſceres, nihil tamen ſcriberes ante, quàm ſaperes. Miſſis item frivolis quibusdam loquacitatis præceptis, artem dicendi, me monſtrante, accepiſti, vel ejus maximam partem. Qui enim initium rei fecerit feliciter, eum ajunt ad medium perveniſſe, ego ultra medium progreſſum contenderim: ut qui ſemper veræ viæ inſiſtit, veſtigium è veſtigio facit, ſemper curioſus, ne ſiniſtram dextramve verſus declinet, ſed recta procedat. Illi autem magiſtri verborum & audaciæ, in-

felices alumnos suos ante ante annos non eloquentiæ solum, sed sapientię inani persvasione imbuunt. Ni enim faciant, & in contemptu sint, & omnium egeant, honore indigni, malam mercedem meriti. Cum autem nullam partem liberalium artium neglexeris, &, quando omnes unus non facile percolit, ex omnibus tamen aliquid fructuum decerpere labores; probo, quod ad Geographiam te magis applicuisti, amore historiæ. Namq; & hæc est informatrix vitæ, sive altera magistra sapientię. In ea habuisti ducem Duncanum, omni liberali disciplina pereruditum, sed Mathematicum eximium: qui quando auditoribus è cœlestibus terrestria monstrat, historias omnium gentium, quas ad unguem tenet, eâdem vos opera docet. Ubicunq; nobili & fortunato adolescenti hæc tria studia, in quibus hîc esses eodem tempore, colendi facultas esset eò extrudendum putarem, ut ad quendamt sodalium tuorum his diebus scripsi. Id igitur esse mei judicii cum ex me accepisses, neque ipse aliô te movere decreveras: quod non consilii mei,

mei ſed tua cauſa valdè equidem probabam, tantùm ne unum eorum aut ſe poneres, aut negligentius tractares. Nunc verò non improbo, cujus ipſe auctor exſtiti, quòd occaſione tam commoda & optata, diſcedis à nobis ad gentem humaniſſimam & cultiſſimam omnium gentium à multis jam ſeculis, quam ego ex una parte etiam Græciæ, non tamen veteri illi, ſed inferioris ætatis minusque jam liberæ, antepono. Etſi autem litteras deinceps quoque, non tamen virtutem & gravitatem majòrum conſervabant. Tu verò videbis Italiam, florentem omni genere diſciplinarum, non minus, quàm olim floruerint ipſæ Athenæ, & humanitate præ omnibus populis, à qua non abſit animorum moſrumque gravitas. Nihil dicam ipſe durius in ullam gentem, univerſæ, ſi ſapient, genuinum ſuum genio Italiæ æquo animo ſubmittent, cum in aliis deſiderentur alia, nec tamen in ea ipſa nulla. Sed ut in hortis non decerpimus, niſi pulchros, fragrantes & ſalutares floſculos, ita peregrinanti-

 bus

bus faciendum est, ut gentis vitia silentio detestati, ex eorum animi bonis optima domum referamus. Quod & illuc à me biennio abhinc proficiscentem filium Joan. Ulricum, ut pater, monui, etiam tum intelligentem, nunc itidem te moneo, quando non minus intelligis. Et si opus sit, habes Theodorum Hupæum, à quo litteras accepisti à puero, & maximarum insuper virtutum semina. Non solum autem locus fecit, ut iter tuum probarem, sed multò magis Hupæus, qui te consilio, cum in aliis rebus, tum in cursu litterarum fideliter juvabit. Absque hoc enim si foret, à priore sententia hoc tempore non discederem. Quare cum in ejus consvetudine sis, proficiscere feliciter: nihil erit periculi in eam partem: intelligis, & cætera, & de quibus initio dixi: atque invenies ibi, & duces præstantes, & socios plures tui istius minimè vulgaris, immò generosi instituti. Excellentiæ enim & veræ dignitatis ante omnia rationem habent, & divitias facultatesque suas omnes eò convertunt: quod me de vulgo

go nequaquam dicere intelligis. Idem & tu magno animo facies: cumque didiceris, quæ re ipſa magna ſint, illa vel ſola vel primo loco ſectaberis, ſpretis voluptatibus corporis, non aucupator famæ, paternis opibus & perfruens & contentus. Crede mihi, olim tibi & plus honorum & plus opum, etiam ſic affluet, quàm ſi, ut vulgus, eorum deſiderio æſtuans, ad fines ſpecie honeſtos, re ipſa viles, omnia ſtudia tua, omnesque ingenii tui nervos, intenderis. Cæterùm etſi aliis quoq; ſtudiis, qualium non unius generis tibi erit occaſio, quantum voles, temporis dabis & operæ, tamen, quæ nunc in animo habes nunquam de manibus depones, & prima eſſe memineris. Non exponam tibi, ut multi ſe ad artes non ſe quidem indignas, quòd & ipſæ liberales & pernobiles, aliæque privatim oblectamento, aliæ & publicè utiles, ſed tamen illis multo inferiores, totos conferant. Earum tu quoque quas voles aliquousque attinges, ſicut & à puero, ſed non niſi aliud agens, ſtuduiſti Muſicæ: quam ra-

rationem servabis & in cæteris. De aliis vos non moneo. Etenim ipsi sapitis, atque ubi Patavium veneritis, parata vobis erunt consilia familiarium, sed cum primis apprime nobilis Sebast. Rhumrodæ, cujus singularis erga me benevolentia & aliis, filio, generoque hodie meo, multum profuit: quod tamen non minus recte officio viri acceptum referemus. Quotquot enim inde ad nos veniunt, multi officii & consilii hominem, uno ore mihi confirmant: quo nomine cum longinquum amicum ipse ex animo colam, vos exemplo magis, quàm monitu meo præsentem coletis. Censeo, ut in litteris Antonium Riccobonum potissimum audias. Ille enim vel solus vel princeps hodie trans Alpes litteras humaniores docendo & eruditissimis ingenii monumentis illustrat: quo in genere principes ante annos triginta Petrum Victorium, Carolum Sigonium, Paulum Manutium & M. Antonium Muretum, sedulo colui, & ab unoquoque eorum, quibus maxime præstaret, aliquid, ni fallor, accepi, in meosne,

an

an potius in familiarium usus? non forte nihil in meos, quo mihi in hunc usque diem fruor: sed in aliorum amplius, ex quo aliis gratificari, tamquam ex alieno non desinam. Quæ enim ipse, vel per ingenium, vel per ætatem, vel der diversa studia assequi non potuerim, ad ea multis & absque invidia auctor exstiti: & dux sive magister cum benevolentia, gavisus fui, quoties me anteirent iis artibus, ad quas eos ego consilio, quasique manu duxissem. Quo in conatu non infeliciter versatus, deprehendi & in hoc genere verum esse, quod in aliis fieri sensus docet. Non est enim nullus viæ monstrator, quam ipsemet vel inire non ausit, vel conficere non valeat. Dabo quoque tibi litteras ad illustrem virum Jo. Vincentium Pinellum, animi & summi judicii, qui quandam Pomponii Attici à strepitu remotam cum Musis vitam agere maluit: olim ille me, cum ad eum & ad Donatum Jannoctium à Victorio litteras ferrem, amantissime domi complexus fuit, & nuper humanissime, uti scis, accepit. Mittam & vobis litteras

Digitized by Google

ad familiares in Hetruriam, ad quos, quando vobis videbitur, excurretis, ut eandem eorum vos quoque fidem experiamini, quam svavi consvetudine, bono consilio, & reipsa meis, ut abeuntibus futurum receperam, prolixe probarunt. Finem epistolæ, sive hujus mei ad te sermonis faciam, ne sarcinas colligenti ulterius in mora sim. Vale. Helmæstadii in acad. Jul. VII. Kelend. Majas. cIↄ Iↄ ɪvc.

EIDEM.

EPISTOLA XII.

SÆpè moneo familiares, ERNESTE, neque te hoc fugit, & idem passim loquuntur lucubrationes meæ: sæpè, inquam, vos moneo, ut dum colitis litteras, eodem tempore ,eadem tempore, eadem opera, & quidem illis ipsis, animum vestrum, & vitam, & mores excolatis. Etenim sine animi integritate & rectitudine, & præ iis, nihil esse duco cæteras,

quamvis egregias disciplinas, nec admirabilem dicendi facultatem, ac ne subtilissimas quidem scientias, quarum investigatione, cognitione & perpetua meditatione cœlestium geniorum similes fieri, non sine caussa existimemur. Nec tamen facilè fieri posse putem, ut in talem, qui quicquid in rebus humanis in vulgus singulare & primum habetur prę veritate, ne flocci quidem faciat, scelus aut aut grave animi vitium cadat. Illud igitur non meum verbum, sed vetus prçceptum sapientiæ, apud eos facilè locum invenit, qui boni ingenii sunt: eodem denique flectitur, qui non totus ab humanitatis cultu abhorreat. Fatendum enim, esse, quos nulla ratio, nulla educatio emendet, nedum ipsi virtute præstantes evadant. Ut autem hujus generis natura plures sint; illi suut sanè paucissimi, qui omni ratione quasi exuti nullam rationem, si seriò & quotidiè interpellentur, audiant. Sed eos ipsos missos facio: magno ingenio, & mediocri etiam prçditos amo, & in expoliendis quibuscunque aliquid, in fami-

liaribus multum operæ, si sit opus, pono. In quibusdam vel ob naturæ præstantiam, cujus primas esse partes haud negarim, vel educationem mediocrem, cujus vis ab illa altera plurimùm etiam etiam valet, nihil ejusmodi aut parum requiritur: unicum dictum, verbumve, vel nutus pro magisterio est. Tu, quæ tua est indoles, hoc sive ex me, sive ex ingeniorum vestrorum solerte admodum informatore [eum enim esse Theodorum Hupæum sentio] semel acceptum mordicus tenes, & sic amplecteris & sequeris, ut æquales monere, si tuum putes, possis, iis certè exemplo esse non desinas. Laudo, quòd quæ ad te tum confirmandum, tum erudiendum faciunt, non solum audis cupide, sed etiam sedulò, quæ in promptu habes, legis, quæ desideras, simili cura conquiris. Quæ principes sapientiæ tradiderunt, de sapienter instituendæ vitæ cursu, habes in pretio: non ut plerique, qui quidvis potius magnifaciunt, quàm ea, quæ sunt prima, & si rem rectè definiamus, maxima. Itaque non miror, cum de tabula Cebetis

tis inter nos sermo fuisset, te eam expetitivisse, tum oculis, tum animo spectandam: nec quiesti antè, quàm eam ut videres & meditarere, & cum pluribus communicares. In quo ego, neque tibi, neque juventuti negare operam debui, nèque potui. Neque verò tu nescis, quid sit consvetudinis hac in re, sive animi mei: neque ego obliviscor, quid officii: nempe, ut omnia faciam, quæ à me in usus publicos, etiam longinquorum hominum & posteritatis, præstari possint. Nec enim mihi satisfacio, cum aliis satisfacio, vel satisfacere videor benevolè existimãtibus. Nulla enim re à quiquam malevolentiæ satisfieri potest. Sunt enim qui ad reprehendendum facti, cum caussæ nihil habent, nimium in iis studium calumniantur, ubi nimium rectè non statuitur: in quibus & illud, quòd à lacunis ad fontes juventutem deducere annos jam plus triginta, publico bono, nec honorem meum, nec commodum spectans, quantum in me fuit, laboravi, & effeci, quantum per iniquos censores potui. De eo igitur instituto, quoad

quoad in vivis ero, & valebo, nihil remittam. Ad rem revertar: ipse non minus atque ego, hoc expositionis modo mrrificè delectaris: nec mirum, qui à puero & ames & colas Musicen, Poësin, & Pictoriam. Eæ sunt profectò τέχναι οὐ τυχοῦσαι, ἀλλὰ ὅτι μάλιστα ἐλευθέριοι, καὶ ὡς εἰπεῖν, βασιλικαὶ, προοδοποιητικαὶ πρὸς τὴν ἀληθινὴν παιδείαν. Cum autem hîc habeamus & poëma & picturam; neque Musicam desiderabimus, illam dico principem. Meministi enim, priscos sapientes ipsam sapientiam eo nomine appellare solitos. Verùm de hac tabula, quæ suæ ætatis artificum tabulas ætate superavit omnes, & hodiè primùm ex officina prodiisse tamen videri possit, duratura multis deinceps seculis. Quod neque nobis dubium esse potest: & domi & publicè & ad te & ad alios propediem plus verborum faciam, & quæ ille monstrat virgula, & paucis verbis attingit, uberiore oratione persequar. Multa enim mihi in mentem venient, vel ex monumentis veterum eruam, quæ eodem pertinere, & plurimum conferre ad ve-

veram veſtræ ætatis informationem judicabo. Nec verò ejusmodi magno mihi labore conquirenda ſunt: quæ in promptu habeo: ſive poëtas audire malitis, ſive auctores longè graviſſimos. Etenim multa mihi in memoria hærent, quæ ab eodem magiſtro accepit divinus ille Plato: multa item, quæ ſive à veteribus accepta, ſive ex perenni fonte illibatæ rationis hauſta nobis reliquit Ariſtoteles, idem acerrimus veritatis vindex, & vitæ rectè colendæ magiſtrorum facilè princeps, nec doctore ſuo inferior, & par Socrati. Non enim utroque ſuperiorem dixerim: quod tamen qui aſſerat, cum eo mihi ad contendendum non ſatis eſſe cauſſæ, lubens fatebor.

Vale. Helmæſtadii in academia Julia XV. Cal. Jun. Anno cIↃ IↃ XCIV.

RÆMARO à LEISTEN Nobil. Equiti Megapolit.

Epist. XIII.

LEntum hoc est, REMARE, negotium, fateor: id ut factum sit, audi quæso, ne me in culpa esse, fortè suspiceris. Ut primum accepi de obitu fratris tui, Joannis Georgii, quid deberem, mihi statim in mentem venit: sed in medio dolore, non nisi de hujus moderatione cogitavi: tuus, ut fratris, primus haud dubiè fuit: secundus, fraternoque proximus, meus. Fuit mihi quidem cum utroque vestrum amicitia, quæ non sola notitia contineretur, sed cum illo quoque plurium annorum quotidiana & domestica consvetudo, & multa officia inter nos intercesserant. Ex intervallo demum ad scriptionem animum adjeci: neque autem hic dicam de occupationibus necessariis: morbus me

me interpellavit, immò dejecit, qui tantum non mihi finem vitæ attulit: ex eo non levi cum jactura emersus, quæ delinearam, cœpi pertexere, & jampridem absolvi: eam orationem tibi, aliisque item amicis censendam misi: inde etiam moræ accessit pluſculum. Sed de tempore quid me purgo? modo rei satis utcunque factum sit: sic tarda laudatio videri minus possit: nec tamen video, cur tardam quis nominet, quæ non omnino fallat! Non fallo autem, quando & præstiti, quod in me recepi ultrò & vera explorataq; refero: nisi quis splendorem desideret. Sed ego de hoc idcirco in ejusmodi materia minus laboro, quòd per se satis splendida & grata est: quamvis ipsa simplex, veritas: qua qui non placet, ut ille placeat, & frustra nec merito placet ornamentis dicendi fallacibus.

Vale. Helmæstadio ex ac. Julia.

NON. DECEMB.

cIↃIↃVC.

ABRA-

ABRAHAMO à VVINTERFELDT Nob. Equiti Marchico.

Epist. XIV.

JAm inde usque ab adolescentia cum multis generosæ gentis tuæ, tum in academiis, tum in aula aliquis, nec ille injucundus amicitię mihi usus fuit: interior cum quibusdam animorum conjunctio è studiis, quæ prima virtutis & doctrinæ existimamus: singularis autem & domestica consvetudo cum DETLEVO, patruo tuo, magno viro, qui ab annis triginta VIIviris, JOACHIMO II. & JOANNI GEORGIO, & patriæ, cujus illi Principes, boni consilii copia præstò fuit. Nec enim de ipsius honoribus & bonis fortunæ dicam, quę ille optimis artibus & singularibus meritis adeptus fuit, quòd ejusmodi etiam alii sæpè consequuntur, quibus, ut pręstarent cæteris, aut benè de aliis merentur

rentur, in mentem nunquam venit. Illud, quod dixi, verè magnum, sive primum est, quod in hisce terris homines hominibus præstent. Fuerunt & alii, quibus ipse ad primas & ipsas regias litteras dux exstiti. Hinc igitur factum fuit, ut cum te hîc primum viderem ea modestia & diligentia, tibi quoque animi in te mei indicium facerem. Deinde cum præesses apud nos aulæ & educationi Principis JULII AUGUSTI, familiares facti, amicitiam colere cœpimus. Tum & ego rebus secundis tuis, in quibus & nuptias numero, favebam, & quantum me amares, multis rebus ostendisti. Accidit, ut cujus affinitatem ipse tibi gratulatus fueras, JOANNES GEORGIUS LÆSTIUS in Italia febri extingueretur: ejus amicissimi hominis mors & mihi dolori fuit, non tam quòd me amico perliberali, quàm quòd patriam cive egregio privatam judicavi. Nam quod ad alterum, tuam quoque benevolentiam re ipsa expertus fui: qua te in me meosque deinces quoq; futurum non dubito. Auctor meis i-

pse sum, ut te tuosque contrà colant: nec animus qui erga vos meus sit, ignoras. Ejus iterum testandi gratia has ad te litteras dedi: orationem funebrem fratri uxoris tuæ à me scriptam antè & tibi & aliis legendam censendamque miseram. Nec enim dubitabam, quin meum erga vos studium probaretis, quod & alij cognoscerent, & cum fructu aliqui. Habent hic adolescentes Nobiles, quæ discant, quæ imitentur: neque nunc tamen ego doceo, quod non sit hujus loci: sed iis exemplum propono, qui frugi esse velint, & cogitationem de bonis suis & salute patriæ suscipiant. Prorsus autem ita sunt, quæ refero, ut ex familiaribus acceperis: neque ipse tam laboravi, ut laudationem conscriberem, quàm ut de egregij juvenis virtute & studijs testimonium dicerem: in quo me non vobis solum, sed multis aliis, qui eum noverint, vel etiam virtutem ament, gratum fecisse arbitror. Vale.

Helmæstadio ex academia
Julia Id. Decembris.
cIↃ IↃ vc.

CAS-

Digitized by Google

CASPARI GOTISLOBI F. ROTERMUNDIO.

EPIST. XV.

QUod ad nos ultrò rediisti, CASPAR ROTERMUNDI, equidem gavisus admodum fui, & eo nomine te cariorem habere cœpi. Gaudebam, quod meæ benevolentiæ in te singularis debitæ tibi ex amicitia, quæ mihi cum patre tuo fuit penè ab adolescentia, tamen gustum aliquem acceperas. Certè quibus mensibus nobiscum eras haud ita multis, hoc egi sedulò, ut videres, & quanti mihi esset Pater tuus, quamque te ex ea, quæ mihi cum eo semper fuit, necessitudine diligerem. Non enim dubitabam, si utrumque animadverteres, te mihi dicto audientem futurum, si quid te monerem, ubi monito opus esset. Verum tu, quo ingenio optimi

pse sum, ut te tuosque contrà colant: nec animus qui erga vos meus sit, ignoras. Ejus iterum testandi gratia has ad te litteras dedi; orationem funebrem fratri uxoris tuæ à me scriptam antè & tibi & aliis legendam censendamque miseram. Nec enim dubitabam, quin meum erga vos studium probaretis, quod & alij cognoscerent, & cum fructu aliqui. Habent hic adolescentes Nobiles, quæ discant, quæ imitentur: neque nunc tamen ego doceo, quod non sit hujus loci: sed iis exemplum propono, qui frugi esse velint, & cogitationem de bonis suis & salute patriæ suscipiant. Prorsus autem ita sunt, quæ refero, ut ex familiaribus acceperis: neque ipse tam laboravi, ut laudationem conscriberem, quàm ut de egregij juvenis virtute & studijs testimonium dicerem: in quo me non vobis solum, sed multis aliis, qui eum noverint, vel etiam virtutem ament, gratum fecisse arbitror. Vale.

Helmæstadio ex academia
Julia Id. Decembris.
cIↄ Iↄ vc.

CAS.

Digitized by Google

CASPARI GOTISLOBI F. ROTERMUNDIO.

EPIST. XV.

QUod ad nos ultrò rediisti, CASPAR ROTERMUNDI, equidem gavisus admodum fui, & eo nomine te cariorem habere cœpi. Gaudebam, quod meæ benevolentiæ in te singularis debitæ tibi ex amicitia, quæ mihi cum patre tuo fuit penè ab adolescentia, tamen gustum aliquem acceperas. Certè quibus mensibus nobiscum eras haud ita multis, hoc egi sedulò, ut videres, & quanti mihi esset Pater tuus, quamque te ex ea, quæ mihi cum eo semper fuit, necessitudine diligerem. Non enim dubitabam, si utrumque animadverteres, te mihi dicto audientem futurum, si quid te monerem, ubi monito opus esset. Verum tu, quo ingenio optimi

quique sunt, semper officium fecisti, & deinceps facies sponte. Namque & modestiam in moribus & diligentiam in litteris mihi facile probabas: atque utinam eum cursum non interrupisset gravis ille morbus, in quem, cum ipse in necessariis rebus abessem, incideras. Vidisti opinor, & recordaris dolorem meum, quando cum meis domum redii: tum tamen discrimen effugeras. Vix te collegeras, quando tibi domum redeundum fuit: ego verò te invitus è sinu meo dimisi. Verebar enim ut satis amorem perspexisses meum novus hospes, nec diuturnus. Ægrè etiam animo meo est, quoties quis non paulo cultior & eruditior à nobis abit, & ferè antè, quâm vel nos ipse noverit, aut ingenii sui cognoscendi nobis copiam fecerit. Nec semper enim nobis facies recludit ingenium cujusque; nec ego ingrata animadversione initiò à mea consvetudine adolescentes deterreo: nec probo, quibus in more positum video. Tu tamen neque benevolentiæ æqualium, neque curę de te męç obli-

tus

tus te ad nos recepisti, cum etiam explorasses, quid alibi ageretur. Vidisti nimirum, & fortè alia, & hoc potissimum, consilia nostra congruere cum paternis. Voluit enim ille te, & vult hac ætate iis litteris erudiri, quas ipse demum juvenis accepit à Victorio, quarumque idem tum imprimis mihi auctor fuit. Eo sanè nomine me ipsi plurimum debere semper ostendi, & quoniam illi nihil, aut certè alia ratione referre non possem, tibi aliquid gratię meditatus fui: nec ejus te hactenus omnino expertem fuisse arbitror. Statim enim tecum de litteris agebam, non tam more meo, quàm veteri. Namque & easdem ferè multi colunt, sive tractant: in ipsum verò finem pauciores respiciunt. Fortè enim iisdem studiis incumbant, quibus quasi instrumentis avaritiæ, honorum, potentiæ utantur. Sed tu audisti à puero, quod & ego docebam, quod nec adolescens, nec umquam deinceps oblivioni dabis, primam oportere cuique curam esse de animo ad virtutem, & nequaquam ad ejus vanam imaginem, ut

alii faciendum putant, alii à nobis fieri falso existimant, per litteras informando: alteram neque nobili loco nato, neque nullam gesturo partem reipublicæ, negligendam, de studio Eloquentiæ: nec tertium contemno, quod plerique unum & solum in pretio habent: neque post illa neglexit pater tuus, quod legum cognitione in omni vita opus est, potissimum versanti in repub. Nec alterum oblivisceris, si primum, quod dixi, cum cæteris conjunxeris, illorum, quæ plærique captant, adeptionem nec difficilem & justam esse: ac tantum non rei natura est, ut virtuti vera dignitas & auctoritas comitetur. Divitiis autem sive opibus, quibus opus est, non caret virtus, nec eas ambit, & si ambiat, ut munificentior sit, non maximo negotio, & absque invidia, & honestiores, & forte ampliores consequitur. Sedneque dum tu illa cogitas, nec te ad secunda primo loco instigat pater: quin de iis te hodiè securum esse vult, & agere, quod ætatis & conditionis tuæ est. Parare namque te jubet, quibus ipse

prę-

præclarè instructus accessit ad remp. Nec votis autem illa, nec vi, ut spolia, sed labore magno, & vigiliis diuturnis parantur. Tu verò in eo es, ut pater vult, & filio expedit: denique ut oportet, quando neque socordiæ te das, & recta via incedis. Probat hoc in te non minus, quàm in filiis, & vos confirmat & excitat patris tui ferè à puero sodalis, OTHO HOEMIUS: cujus imperium apud filios, auctoritas apud te plurimum valere debet. Ego igitur non probem? Quin rectè abs te factum judico, quod illius hortatu [id quod cum meo consilio prorsus congruit] adscivisti tibi juvenem pereruditum, quo pręeunte spacium sapientiæ initum facilius conficias & celerius. Et potest tibi gratificari, & cupit Rudolphus Depholdius, cum totus sit in litteris & in officio. Equidem ejusmodi studiorum conjunctionis auctor multis fui, in quo ad alterum à locupletiore rediret fructus aliquis, alter ac eruditiore ingenii longe uberiores caperet. Simul etiam fortunatus usum pecuniæ discit, eruditior

tior rei necessariæ inveniendę rationem. Nec enim illius verior, quàm si benè de se merentium quis tenuitatem sublevet: nec hæc certior, quàm si meritis alios tibi devincias: In quo si labor ponendus, scire oportet, nihil omnium parari absque labore. Taceo fieri secus non posse, quàm ut ex mutua rerum quamlibet diversarum comunicatione, animi in amicitiam conglutinentur singularem, adeòque primam illam cæterarumque principem, quod & utrique vestrum à me prædictum olim memineritis. Nec enim id dubito, cum ambo virtuti ante omnia studeatis, & in quibus quotidiè estis, ea studia ad illum finem potissimum referatis. Sive enim poëtas legitis, quorum principem vos modò in manibus habere, ejusque singula non vulgatem in modum, quem multi, qui sapere videri volunt, non transeunt, sed in usum vitæ, ut prisci faciebant, rimari intelligo: quod equidem ita probo, ut nihil aliud. Tua est enim ad ea nec pueriliter cognoscenda ætas. Nam minutissima illa devorasti puer.

Quæ

Quæ cum tibi molesta amplius esse non possunt, nihil video, quod te ab instituto deterreat. Nec enim te movebunt exempla plurium, qui quæ assequi non possunt, relinquunt, nec judicia pravè sentientium, qui, quæ non didicerunt, & ipsi statim improbant. Nisi judicium tuum nossem, animique tui constantiam, non solum te multis bonisque rationibus in eo quod agis confirmarem, sed & exempla optimorum seculorum ante conspectum tuum collocarem. Verùm tibi neutro opus est: & si quid velis aut dubites, mihi voluptati esse non ignoras, si juventus in ejusmodi rebus mihi facessat aliquid negotii. Sive igitur poëtas, sive oratores, sive historiam legitis, sive aliquid in philosophis, neque sermonis cultum non persequimini, quod plures solùm tangunt, & nonnulli adsequuntur haud ita magno negotio, sed alterum præcipuè agitis & cura perpetua, ut quæ hærent in cujusque animo, maculas eluatis, & animos vestros ad rectè agendum salutaris consilii copia instruatis. In eo igitur tantisper eris,

dum te ita confirmaris, ut quemadmodum qui postquam se in fidibus rectè exercuit, & omnes novit rectè tendere, & à nulla aberat uspiam, sic tu sine gravi vitio omnes officii partes expleas. Vix enim ut toties excoctum aurum purum putum ad indicem appareat, ita mortalium aliquem omnibus numeris absolutum, quasiq; ad rationem factum uspiam gentium, ullo seculo invenias. Hoc primum studium nemini non mortalium maximè necessarium est, sed idem unicuiq; longè difficillimum, nisi quis divinitus ad eximia quæq; factus sit. Itaque nemini antè relinquendum, quam veram vitę rationem ita prehenderit, ut jam è manibus elabi non possit: tum denique nihil facilius, nihil beatius. Neque tamen ego is sum, qui ad virtutem parandam, non aliis & quidem majoribus adminiculis opus esse adseram: neque te fugit, quæ bona illa sint. Primùm in te natura omnia abundè contulit: accessit domestica educatio: officio in omnibus vitæ partibus in dies singulos

gulos utimur: quæ agimus, vel intelligentes, vel litteræ rectissimè dirigunt. Tu vero, cum & te moneri velis, quod est ad eximiam virtutem indolis argumentum, & in studiis doctrinæ ita verseris, ut volumus, & ut oportet, non falles expectationem patris. Patrem autem fallere cum omni filio turpe sit, tum unico filio turpissimum est. Quod tamen durum verbum ad quemvis, potius, quàm ad te pertinet. Facit enim hactenus omnia, quæ pater in filio desideret, téque nobis cùm in vitæ consvetudine, tum in cultu litterarum mirificè probas: quod proximè ad patrem tuum scripsi asseverantius. Cum verò scias me in hoc genere parciorem sæpè esse, quàm familiaribus probem, & meam & tuam fidem eadem opera tueberis: quod feceris, si tui deinceps eris similis. Eris autem, qualem esse volumus, & omninò tui simillimus, si quotidiè te ipso doctrina & virtute melior esse contendas. Prȩter autem, quàm quod nihil tibi ad hanc rem negat pater, suppetunt & cætera, optata ad discendum occasio,

con-

consilium à patre, & à me rectum, æqualium litterata consuetudo, uterq; Musarum sermo, principia bonæ variæ doctrinæ, ætas, vires corporis, vigor ingenii. Vides, quantus se denuò mihi campus ad scribendum aperiat: sed modum ponam huic scriptioni, vel hac de causa, ne, quam de te spem animo concepi, eam cum dubitatione fovere tibi videar. Si quid autem præterea velim, aut ipse deinceps velis, & tu me facile feres, & ego te libenter audiam. Vale. Helmstadio. Ex academia Julia, V. Id. Febr.

BENEDICTO POGVISCIO.

EPIST. XVI.

Agam tecum hac epistola, BENEDICTE POGVISCI, de ijs, quę etiam ad fratres tuos pertinent, quæque cum iisis recte commnices. Ordiar autem paulo

paulo altius. Putatur illa esse, & est reverà magna felicitas, à quibus vitam acceperis, eos diu habere superstites, non tam, ut rem familiarem diligentiùs custodiant, & ipsi magis augeant, quam ut rectissime ad vitam liberos educent. Miserum sane omnibus de causis, parentibus orbari in prima pueritia; si altero carendum sit, utro minore incommodo careas, affirmatu difficile arbitror. Quod si alteruter omnem curam in se derivarit, & diligenter gesserit, fuerit pro utroque. Is pater magnam laudem merebitur, qui, quas potest, matris etiam partes expleat: ea vero mater longe maximam, quæ supra conditionem sexus videat, & præstet ex se natis omnia, tum quæ â materna cura, tum quæ â paterna prudentia proficisci possint. Non illa prima, sed secunda vobis obvenit felicitas, ut, postquam patre orbati estis, mater sit materno affectu, consilio minime muliebri: id quod res ipsa loquitur. Nec enim solum domi recte administrat omnia, sed & filiorum educationem solicite

pro-

Digitized by Google

vidissemus, nec apud nos alia nisi in grandi volumine scriptoris monumentorum essent, ederem sumptu tuo: unde nonnisi ad studiosam juventutem aliqua, ac ni fallor, magna utilitas rediret. Nihil enim aliud spectavimus. Relinquam enim in medio, hocné tu mihi, an ego tibi, an amici utrique persvaserint, hujus lectionis æquè, uti nos, percupidi. Mos certè & his, & tibi & mihi gestus est. Velim persvasum juventuti, operæ precium facturos, qui Turnebi scripta accuratè legant, optimè de re litteraria meriti, si hoc beneficio utamur. Longus sim, & supervacaneam operam ponere videar, si præconia Turnebi ex aliis proferam. Hæc autem eòdem tendunt, nihil eo homine fuisse integrius, eruditius, disertius. In vita moribusque caruisse omni macula, cum omnes testantur, quibuscum vixit, tum scripta viri in omnibus partibus loquuntur. Quin cum acerbitatem res postulabat, nihil neque ibi humanitatis desideres: etsi quæ, quos pungunt, iis gravia sunt, nec aliter fieri potest, neque debet.

Objur-

Objurgatio autem absque maledictis & convicijs non solum potest, sed & probari debet, quibus veritas doctrinæ & scientiarum curæ est. Sed alia erant prius dicenda. Ille excellenti ingenio, exquisito judicio, & incredibili memoria præditus, linguas primarias, quas ipsius sapientiæ dixeris, calluit, materna non minus, aut etiam melius: ut qui nunquam abiret à studio sapientiæ, quidquid diceret aut scriberet. Sive Turnebi Latina legas sive Græca, utraque nativa esse intelligas: nec credas eum aliunde quidquam acquisivisse. Nec minus fuit in versu tersus & facilis, & purus, quàm in oratione soluta: in numerato habuisse crediderim, quæcunq; apud scriptores legisset: unde depromeret cum delectu, quacunque de re vellet. Cum autem omnem præterea antiquitatem nosset, fretus præstantia ingenij in emendandis scriptis veterum, præ plerisque, qui critici audirent, præstitit plurimum, cum tamen hoc ille non profiteretur, ut neque Scaligeri, neque Petrus Victorius, neque quisquam φιλοσοφέντων. Neque hi

tior rei necessariæ inveniendę rationem. Nec enim illius verior, quàm si benè de se merentium quis tenuitatem sublevet: nec hæc certior, quàm si meritis alios tibi devincias: In quo si labor ponendus, scire oportet, nihil omnium parari absque labore. Taceo fieri secus non posse, quàm ut ex mutua rerum quamlibet diversarum cōmunicatione, animi in amicitiam conglutinentur singularem, adeòque primam illam cæterarumque principem, quod & utrique vestrum à me prædictum olim memineritis. Nec enim id dubito, cum ambo virtuti ante omnia studeatis, & in quibus quotidiè estis, ea studia ad illum finem potissimum referatis. Sive enim poëtas legitis, quorum principem vos modò in manibus habere, ejusque singula non vulgatem in modum, quem multi, qui sapere videri volunt, non transeunt, sed in usum vitæ, ut prisci faciebant, rimari intelligo: quod equidem ita probo, ut nihil aliud. Tua est enim ad ea nec pueriliter cognoscenda ætas. Nam minutissima illa devorasti puer.

Quæ

Quæ cum tibi molesta amplius esse non possunt, nihil video, quod te ab instituto deterreat. Nec enim te movebunt exempla plurium, qui quæ assequi non possunt, relinquunt, nec judicia pravè sentientium, qui, quæ non didicerunt, & ipsi statim improbant. Nisi judicium tuum nossem, animique tui constantiam, non solum te multis bonisque rationibus in eo quod agis confirmarem, sed & exempla optimorum seculorum ante conspectum tuum collocarem. Verùm tibi neutro opus est: & si quid velis aut dubites, mihi voluptati esse non ignoras, si juventus in ejusmodi rebus mihi facessat aliquid negotii. Sive igitur poëtas, sive oratores, sive historiam legitis, sive aliquid in philosophis, neque sermonis cultum non persequimini, quod plures solùm tangunt, & nonnulli adsequuntur haud ita magno negotio, sed alterum præcipuè agitis & cura perpetua, ut quæ hærent in cujusque animo, maculas eluatis, & animos vestros ad rectè agendum salutaris consilii copia instruatis. In eo igitur tantisper eris,

dum te ita confirmaris, ut quemadmodum qui postquam se in fidibus rectè exercuit, & omnes novit rectè tendere, & à nulla aberat uspiam, sic tu sine gravi vitio omnes officii partes expleas. Vix enim ut toties excoctum aurum purum putum ad indicem appareat, ita mortalium aliquem omnibus numeris absolutum, quasiq; ad rationem factum uspiam gentium, ullo seculo invenias. Hoc primum studium nemini non mortalium maximè necessarium est, sed idem unicuiq; longè difficillimum, nisi quis divinitus ad eximia quæq; factus sit. Itaque nemini antè relinquendum, quam veram vitę rationem ita prehenderit, ut jam è manibus elabi non possit: tum denique nihil facilius, nihil beatius. Neque tamen ego is sum, qui ad virtutem parandam, non aliis & quidem majoribus adminiculis opus esse adseram: neque te fugit, quæ bona illa sint. Primùm in te natura omnia abundè contulit: accessit domestica educatio: officio in omnibus vitæ partibus in dies singulos

gulos utimur: quæ agimus, vel intelligentes, vel litteræ rectissimè dirigunt. Tu vero, cum & te moneri velis, quod est ad eximiam virtutem indolis argumentum, & in studiis doctrinæ ita versceris, ut volumus, & ut oportet, non falles expectationem patris. Patrem autem fallere cum omni filio turpe sit, tum unico filio turpissimum est. Quod tamen durum verbum ad quemvis, potius, quàm ad te pertinet. Facit enim hactenus omnia, quæ pater in filio desideret, téque nobis cùm in vitæ consvetudine, tum in cultu litterarum mirificè probas: quod proximè ad patrem tuum scripsi asseverantius. Cum verò scias me in hoc genere parciorem sæpè esse, quàm familiaribus probem, & meam & tuam fidem eadem opera tueberis: quod feceris, si tui deinceps eris similis. Eris autem, qualem esse volumus, & omninò tui simillimus, si quotidiè te ipso doctrina & virtute melior esse contendas. Preter autem, quàm quod nihil tibi ad hanc rem negat pater, suppetunt & cætera, optata ad discendum occasio,

con-

consilium à patre, & à me rectum, æqualium litterata consuetudo, uterq; Musarum sermo, principia bonæ variæ doctrinæ, ætas, vires corporis, vigor ingenii. Vides, quantus se denuò mihi campus ad scribendum aperiat: sed modum ponam huic scriptioni, vel hac de causa, ne, quam de te spem animo concepi, eam cum dubitatione fovere tibi videar. Si quid autem præterea velim, aut ipse deinceps velis, & tu me facile feres, & ego te libenter audiam. Vale. Helmstadio. Ex academia Julia, V. Id. Febr.

BENEDICTO POGVISCIO.

Epist. XVI.

Agam tecum hac epistola, BENEDICTE POGVISCI, de ijs, quę etiam ad fratres tuos pertinent, quæque cum ipsis recte commnices. Ordiar autem paulo

paulo altius. Putatur illa esse, & est reverà magna felicitas, à quibus vitam acceperis, eos diu habere superstites, non tam, ut rem familiarem diligentiùs custodiant, & ipsi magis augeant, quam ut rectissime ad vitam liberos educent. Miserum sane omnibus de causis, parentibus orbari in prima pueritia; si altero carendum sit, utro minore incommodo careas, affirmatu difficile arbitror. Quod si alteruter omnem curam in se derivarit, & diligenter gesserit, fuerit pro utroque. Is pater magnam laudem merebitur, qui, quas potest, matris etiam partes expleat: ea vero mater longe maximam, quæ supra conditionem sexus videat, & præstet ex se natis omnia, tum quæ à materna cura, tum quæ à paterna prudentia proficisci possint. Non illa prima, sed secunda vobis obvenit felicitas, ut, postquam patre orbati estis, mater sit materno affectu, consilio minime muliebri: id quod res ipsa loquitur. Nec enim solum domi recte administrat omnia, sed & filiorum educationem solicite

pro-

procurat & egregie: quod te primum natu intelligere cumprimis & animadvertere oportet. Cum jubeo animadvertere, volo, ut tam probam & omnino ſapienter inſtitutam à matre educationem non ſolum ipſe probes, ſed, quemadmodum facis hactenus, exemplo porro facies. Namq; , ut illa inſtituit & vult, tum modeſtiæ cęterisq; virtutibus, tum bonis literis diligenter ſtudes, & utroque nomine in diem te nobis cariorem facis. Certe adoleſcentes, qui ab uſitatis iſti ætati & magnæ fortunæ moribus, ratione deflectunt, valde amo; neque non de modeſtis & moderatis, & ipſis, & eorum conſanguineis, & patriæ ſingularia ſemper polliceor: præſertim ſi ipſi quoque ſtudia & litteras humanitatis non negligenter colant. Tu vero, cum in utroque ſis quotidie, et à nobis ſæpe confirmeris; non vulgarem tui expectationem commoves, tuum erit operam dare, ne eam fallas, cum habeas omnia, quibus ei opus ſit, qui ad virtutem & ſapientiam & veram dignitatem aſpires: ingenium, opes,

opes, genus, ducem in hoc ſpatio, denique exempla, quæ tibi proponas, & præ aliis avunculos tuos, quos imitari te quoque mater jubet. Vale. Helmæſtadio ex Acad. JUL. 10. Kal. Jan. cIↄ Iↄ XCVIII.

THEODORO, THEODORI F. FARNSBACH.

EPIST. XVII.

ADriani Turnebi V. CL. mi, THEODORE FARNSBACHE, libellum DE VINO, cujus lectione te mirificè delectatum fuiſſe intellexeram, ad te mitto, ſive remitto, pluribus exemplis multiplicatum, tibi relegendum, ſi ita videatur, & pluribus aliis legendum, non ſolum exemplo, ſed etiam beneficio tuo. Probabas enim, ut hanc lucubrationem ante annos quinque editam Lutetiæ, cujus unum exemplum

vidis-

vidissemus, nec apud nos alia nisi in grandi volumine scriptoris monumentorum essent, ederem sumptu tuo: unde nonnisi ad studiosam juventutem aliqua, ac ni fallor, magna utilitas rediret. Nihil enim aliud spectavimus. Relinquam enim in medio, hocné tu mihi, an ego tibi, an amici utrique persvaserint, hujus lectionis æquè, uti nos, percupidi. Mos certè & his, & tibi & mihi gestus est. Velim persvasum juventuti, operæ precium facturos, qui Turnebi scripta accuratè legant, optimè de re litteraria meriti, si hoc beneficio utamur. Longus sim, & supervacaneam operam ponere videar, si præconia Turnebi ex aliis proferam. Hæc autem eôdem tendunt, nihil eo homine fuisse integrius, eruditius, disertius. In vita moribusque caruisse omni macula, cum omnes testantur, quibuscum vixit, tum scripta viri in omnibus partibus loquuntur. Quin cum acerbitatem res postulabat, nihil neque ibi humanitatis desideres; etsi quæ, quos pungunt, iis gravia sunt, nec aliter fieri potest, neque debet.

Objur-

Objurgatio autem abſque maledictis & convicijs non ſolum poteſt, ſed & probari debet, quibus veritas doctrinæ & ſcientiarum curæ eſt. Sed alia erant prius dicenda. Ille excellenti ingenio, exquiſito judicio, & incredibili memoria præditus, linguas primarias, quas ipſius ſapientiæ dixeris, calluit, materna non minus, aut etiam melius: ut qui nunquam abiret à ſtudio ſapientiæ, quidquid diceret aut ſcriberet. Sive Turnebi Latina legas ſive Græca, utraque nativa eſſe intelligas: nec credas eum aliunde quidquam acquiſiviſſe. Nec minus fuit in verſu terſus & facilis, & purus, quàm in oratione ſoluta: in numerato habuiſſe crediderim, quæcunq; apud ſcriptores legiſſet: unde depromeret cum delectu, quacunque de re vellet. Cum autem omnem præterea antiquitatem noſſet, fretus præſtantia ingenij in emendandis ſcriptis veterum, præ plerisque, qui critici audirent, præſtitit plurimum, cum tamen hoc ille non profiteretur, ut neque Scaligeri, neque Petrus Victorius, neque quisquam φιλοσοφούντων. Neque hi

tamen alterum munus, etsi multò humilius, despiciunt, quòd neque ipsum neglexisse Aristotelem accepimus, ut intelligatur nihil in litteris tam esse minutum, cujus investigatio ingeniosissimo & doctissimo quoque indigna sit: nec refert, etiamsi nonnulli, non solum minuta, sed etiam omnia prima superbè despiciant, & horum cultores ludibrio habeant, nisi ipsorum commodis & institutis serviant. Eos autem miror, & penè odi, qui tantos viros in talibus aberrantes cum contumelia adoriuntur, quos corrigere cum benevolentia liceret: neque ipsi hoc nollent, qui ipsi quoque, ut in maximis, sic in minimis, veritati religiosè consulunt. Quod autem gravius multò est, ex Græcis Latina utcunque facere, quod ipsis populis florentibus cum laude pauci præstare potuerint; Turnebus difficillima quæque & à librariis passim corrupta, non solum ita reddidit, ut sententiam satis repræsentaret, sed etiam purè, propriè, luculentè: admiratione dignum est, quemadmodum hoc in desperatis etiam locis feliciter asse-

assecutus sit. In nulla non ejus lucubrationum lector multum proficiat. Quæ autem pars est philosophiæ, quam ille non ita penetrârit acie ingenii, ut de quacunque re cum eruditis loquatur, nos non augeat singulari doctrina? Ego ad illa monumenta numquam accedo, quin abeam doctior in multis, in cæteris confirmatior: spondeo, eventurum idem cunctis attentioribus. Tantus autem ille vir, in quo nemo æquus quidquam desideraret, non caruit invidia, cujus ille calumnias & scientia retudit & innocentia: neque nunquam patientia, qua cùm & ego utor, fortitudinem eam nomino: neq; non fortissimos aliquando imperatores in rebus dubiis affectasse patientiam, quæ esset instar sacræ ancoræ, multis exemplis demonstrari posse existimem. Invidos verò potius contemnebat, quàm cum iis contenderet, qui sibi hac ratione honorē haberi rati, sese magis efferunt: contaminantes autem rem litterariam, minimè amabat, sed refutabat veris rationibus, ut sophistas, tam salutis publicæ, quā veritatis malo, in castris Musarum tumultuantes.

Digitized by Google

Illud enim erat tempus, quo novatores quidam non tam ingenio, quàm temeraria animi confidentia, priscorum divina scripta è manibus juventutis excutere conabantur, & quæ nova, & frivola & falsa & noxia excogitâssent, adolescentibus obtruderent. Famam enim aucupabantur apud imperitos: neque non incredibili & impudentia & pertinacia infame nomen consecuti primum sunt in academia terrarum omnium celeberrima: ubi tamen statim quotidie à multis hominibus doctissimis refellerentur. Hæc autem pestis cum etiamnum serpat, jubeam bonarum litterarum cultores ex hujus doctissimis commentarijs medicinam petere, ne illa infecti opinioni potius studeant, quàm solidam laudem sapientiç sectentur. Non potui facere, quin prædicarem ad te & tuos æquales Turnebum, tùm quòd nihil rectius, quàm quemque propriis laudibus ornare, tùm ut ad talium scriptorum, quç ad veteres aditum faciunt, & ad ea proximè accedunt, lectionem ingenia invitarem, quæ vel situ perire, vel in nugis teneri, nefas

nefas judicem. Absque fructu autem hanc de vino commentatiunculam nemo, opinor, leget. Etiam de iis, quæ cumprimis intelligo, censuram mihi sumo cum modestia, ut aliis nihil derogem: de hac autem disputatione pronunciare jubeam acutissimos quosque rerum naturalium indagatores: vel si ita videatur, disquirere sinam ulterius; donec aliquid certi determinetur, & cum bono mortalium emersa cunctis innotescat veritas. Nihilominus verò ex hac lectione una certa redundat utilitas, modò non prorsus abhorreamus à studio sapientiæ, ut temperantiam pluris faciamus, ut temperantiæ ac vitæ sobriæ nos omnibus de caussis devoveamus, ob vitæ, valetudinis, ingenii, rationis atque modestiæ custodiam. Qui enim contrariis institutis vivunt, eos & morbis obnoxios, vitam in discrimen coniicere, & mente ut plurimum vacillare, & à petulantia ad ὕβριν & ad infortunium videmus, alios alias pedetentim progredi, alios repente precipitare. Cum autem prefari aliquid constitutissem, & ea, quam

 initio

initio dixi, de caussa, & propterea quoque te alloqui visum fuit, quòd te juvenem sobrium & modestum cognoscerem, qualem familiares & in patria tua & in academia Zamoscia ab adolescentulo fuisse dicerent. Hoc enim erga te studium, tanto tibi fore gratius providebam, quanto tu vitæ moderationi in omnibus magis studeres, quo te & natura invitaret & educatio traheret. Namque utriusq; ad formandos mores & comparandam virtutem magna vis est: atq; omnia hæc bona quis facilè invenerit, si & ingenuas disciplinas colat, & usum vitæ addat. In his autem totus es. Namque & propterea longum iter emensus, venisti in has oras sylvæ Herciniæ, excitatus fama academiæ JULIÆ: & vides ita se rem habere, nullam hic bonarnm artium, quibus ingenium, mores & vita excolitur, apud nos negligi: immo reluctantibus ventis inter tempestates & imbres intempestivos, ut ita loquar, studiorum sapientiæ, omnes partes verè & luculentè & publicè & privatim explicari. Nec ego in me, quod tam gravi

gravi ætate præſtare poſſim, quidquam deſiderari patiar. Nam quod opera minus queam, id conſilio facio, & ſcribendo: quæ & ipſa opera eſt, & haud ſcio, an non & nobilior & utilior, quàm ſi quotidie tot horis doceam, quot firmis viribus olim ſolebam; hoc eſt, una atque altera. Nam quod rectè in hoc genere facere decrêeris, in eo totos dies eſſe non poſſumus: aut ego certè non potui in hac imbecillitate virium potius, quàm mediocritate. Nec nihil agit, qui vel digito rectam viam monſtrat, vel in lubrico vacillantem à lapſu retinet, vel per ſe veſtigia firmantem confirmat. Nec aliter accipi velim, quod nunc ago. Ad ultimum enim pertinet, quòd in hac epiſtola porro faciam: quod ſi non putes tibi uſui futurum, quod erit fortè aliquando, fraudi autem numquam, honorificum eſſe, & intelliges, nec negabis. Veniſti ad me ipſo vere è Comitiis regni Poloniæ Varſavienſibus à magno Zamoſcio, cum litteris Davidis Hilchenii; quæ teſtarentur, quàm illi carus eſſes, qui neminem non amavit juventutis primũ

populatium, deinde sociorum, in quo signa elucerent modestiæ, & constantiæ & prudentiæ, præsertim si quis litteras simul coleret. Hæc omnia cum habeas, [habere, certè signa sunt plurima] nihil attinet in te cohortando operæ aliquid ponere: quod tamen ego hic faciam. Namque, ut mea oratione tibi opus non sit, cognosces tamen benevolentiam in te meam, & expectationi non tam meæ, quàm illorum, quos dixi, & patriæ, quæ afflictissima jam implorat vestram opem, respondebis ardentius. Satis fortè sit, si jubeam te, qua cœpisti progredi, & te porro ipsum imitari: sed paullò ordiar altius: nec repetam tamen à seculis, quæ majores tui, viri fortissimi gesserint: tantùm attingam, quæ sunt in recentissima memoria, & ipsi oculis tantum non vidimus. Nec verò in uno multus ero, quanti sit, è generosa familia procreatum: quod etsi non solum quidam dissimulant, sed parum momenti habere falsò asserunt: tamen vix aliquem reperias, quin sibi talem ortum obtigisse, quàm se humili aut inferio-

re

re loco natum, malit, & tacitè optet: ſed hi quoque opinionem potius, quàm rem ipſam fortè reſpiciant, non rationem ſecuti, ſed vulgi conſuetudinem. Ego & ex aliis ſic didici, & ab uſu vitæ in hoc confirmatus fui, è populo rarò aliquem ad ſumma felteiter emergere, & vix tandem longo tempore & incredibili labore, virtutis & ſapientiæ fieri compotem, ut de periculo & invidia nihil dicam. Tu verò generoſæ propaginis palmes, quod genuini honi habes, cuſtodi & auge, quo cœpiſti ſtudio: & cum alia majorum exempla intuere, uti facis, quæ exprimas: unum autem maximè, quem præ omnibus illuſtrarunt, factáne dicam, fortia, an res adverſæ? GEORGIUM FARESBACHUM, THEODORI, patris tui, patruelem, VOLMARI filium. Multa quæ huc pertinere intelligam, hic omittenda ſunt ſcribenti epiſtolam, neq; non tamen migranti leges epiſtolæ. Erat fatale illud tempus, quo Moſchus Livoniam invadebat, ut illos populos in perpetuam ſervitutem redigeret; tanto hoſti cum im-

pares essent, ab iis atq; haberentur. Ibi tum ad Pont. Max. & Imperatorem his legatione functus est VOLMARUS FARESBACHUS. Ut autem nihilominus omnia in pejus ruerint, & amplissima imperii provincia in plurium potestatem venerit, narrant historiæ. In tanta tempestate non omne decus extingi potuit. Virtus enim semper contrà nititur in generosis præsertim familiis, & interdum in ipsa calamitate attollit caput. Audio VOLMARUM reliquisse plures filios, quorum tres cum annos pubertatis attingerent, se ad militiam conferebant. Horum GUILIELMUS in Finnonia legatus bellicus à Duce CAROLO tres annos detentus narratur: nec elabi voluit, ne quidquam contra constantis viri dignitatem committeret. Non erat humiliore animo CONRADUS, non nisi se digna & illo tempore necessaria cogitans. Itaq; in comitatu CHRISTOPHORI CIERZOCHI non Galliam solum & Italiam, sed Turciam quoque perlustravit, ut ad rem militatem & magnas deliberationes de salute patriæ

triæ instructior accederet: evenit, ut sunt res humanæ, ut domum reversus morte, patriæ magis, quàm sibi immatura, tolleretur. Heroicæ autem indolis adolescens GEORGIUS, neque ipse nisi magna spirabat, neque se deserebat, etiamsi à fortuna desertus videretur. Non mihi perinde constat, quando in Gallia, Belgio, Suecia militaverit, quibus præliis interfuerit. Undeviginti annos natus cum auspiciis Imperat. Maximilian. II. militaret in Ungaria, quo tempore Turca Sigetum oppugnabat, tribunus militum factus, in omnibus fortiter se gerens, majorem de se exspectationem concitabat: neque hanc fefellit: cum multa posteà gereret fortiter & feliciter in bellis intestinis patriæ. Moscho etiam ipsi adversus Tartaros juvenis operam egregiam navavit, ducens turmam Germanorum equitum in Moscoviam. Ibi cùm Tartari Russos subinde ad singulare certamen provocarent, Faresbachus, inspectante utroque exercitu, aliquoties cum hoste congressus, palmam, unaque laudem magni

magni animi reportavit. Moschus verò victoriam adversus Tartaros partam ad flumen Occam Faresbacho potissimum acceptam tulisse fertur. Fama hac perlata in Daniam, ipsum quoque Regi FRIDERICO II. cariorem fecit. Erat enim hic Rex Daniæ unus ex optimis & humanissimis Europę Regibus: qui & suos in alta pace, & perpetua felicitatis fruitione tueretur, & præsidio esset non solùm suorum, sed exterorum etiam virtuti: habebant eum pro patrono exules: denique etiam Musæ. Cum enim intelligeret, quantum conferrent ad rectam felicemque administrationem litteræ, nec solum academiam Hafniensem florentem conservabat, nec patiebatur quemquam in universo regno eruditorum egere turpiter, cum plerique etiam abundarent, quod & ejus patri, CHRISTIANO, sancto Regi, curæ fuerat; sed multos præterea, non minus atque cives suos, præmiis afficiebat: cujus rei exempla, si locus fineret, proferrem plura: nec me expertem tanti Regis munificentiæ profiterer. Nec erat

rat virtutis hoc Rege Regum quisquam censor acrior, qui quorum nosse vellet animos, non per alios, sed ipsemet exploraret. Cum gratia sua Faresbachum dignum censuisset, in familiam adscitum, aulæ Marscalcum fecit, & pluribus beneficiis affecit: denique ipsi insulam Osiliam tuendam fruendamq; dedit. Dum Regi operam dat, fidemque suam in omnibus probat, Rex Poloniæ STEPHANUS Dantiscum obsidet: quæ urbs freta privilegiis, nescio quæ mandata neglexerat. Non dissimulabo, quod omnibus innotuit: erat FARENSBACHUS Dantiscanæ reip. tribunus militum: civitate regi conciliata, cum per Pomeraniam Rostochium veniret, ubi apud me Ducari exules equites Livonii erant, neque populares præteribat, & ab his accipiebatur domi meæ: qua re factum est, ut & me noverit, & ex eo dilexerit, non magis miles fortissimus, quàm vir humanissimus: & cultor, quas in te suspicio, temperantiæ & modestiæ. In eo viro vidi, quàm rectè Plato comparârit fortissimum quemque civium cum

cane,

cane, qui blandus domesticis, hostes adoriatur acriter. Hoc sanè mihi laudi duco, cujus laudes prædico, quòd neque deinceps me dimisit ex animo, sed ad summos honores evectus ad me litteras dedit, quibus sibi caros mihi commendat. Cùm autem sapientissimus Rex STEPHANUS non minus nosset Faresbachi virtutem, quàm Rex FRIDERICUS, ejus, de qua dixi, militiæ non recordatus, qua in perpetuum alienatus videri poterat, cogitabat ipso etiam pro patria uti, bellum in Moschos moliens, ut à tyranni crudelitate Livoniam vindicaret. Accitus Faresbaccus à STEPHANO, concedente & collaudante FRIDERICO, cum ornatissima fortissimorum equitum turma advolans, fidelem & felicem operam patriæ quoque navare, & gratiam STEPHANI demereri cœpit. Habet enim hoc eximia virtus, ut Regum animos permoveat, & benevolentiam, bonis gratulantibus, aliis invidentibus, obtineat. Hoc nisi sit, omnis virtus in fumum abeat brevi, & omnes orbis partes simul occupet calamitas:

mitas; nunc tamen ſunt viciſſitudines. De ornando Faresbacho cogitaverat etiam STEPHANUS: ad quam rem tanto Regi erant viæ multæ & faciles; nec ille beneficia oblata repudiare poterat. Ibi tum duorum potentiſſimorum Regum gratiam æquè tuerine potuerit, & erratum ne alicubi, & quomodo ſit, ab aliis diſputatum ſcio, à quo determinatum, neſcio. Agnoſcebat exul, ſe novam inveniſſe in Dania patriam, ibidem patrem alterum, nec eſſe hunc offendendum: contra nec oblatos honores & ſumma beneficia è manibus dimittenda ſtatuebat: quod vix aliquis ſvaderet, perſvaderet nemo. Senator regni Poloniæ factus, & deſignatus Princeps Wendenſis, quem Palatinum nominant; quę quanta ſit dignitas, neq; hic quiſquam ignorat. In gerenda rep. & patria adverſus hoſtiles impetus tuenda, ut ſeſe geſſerit, longum erat narrare, & tu vidiſti à parvo puero. Te enim ex amplexu parentum, non vi, ſed benevolentia ereptum pro filio habuit, cum filiis educavit, donec in occupatione Felini lethali vulnere accepto,

ut tanto duce dignum erat, fortiter occubuit, cum animi magnitudine penè incredibili. Nam neque dolori, neque periculo cedens, in ipso quasi mortis articulo, alia coràm mandavit, alia etiam ad Regem SIGISMUNDUM & aliquot regni proceres consignavit litteris. Rectè igitur, Theodore, & cęteros majores tuos, & hunc alterum parentem imitaberis, & quò magis possis, coles porro litteras, ut ille, absque litteris tantum decus adeptus, voluerat. Intelligunt enim viri magni, quanto adminiculo ad res gerendas doctrina sit, si quis eam, ut rei natura postulat, ad virtutem convertat: eo proinde omnibus, quos ipsi caros habent, ac præcipuè filiis magistros quærunt magna diligentia & illis præcipiunt, ut inventis dicto audientes sint, & discendi molestias non omni teneræ ętati gratas, devorent: fore enim, ut quę habent bona tueantur facilius, & alia multoque ampliora consequantur: multò denique sint honoratiores & beatiores. Itaque utrumque filium educavit in litteris, teque tertium, quem item

item ut filium, certè ſecundum illos amore prorſus paterno proſecutus fuit, quod cum antè inaudiſſem, tu quoque mihi prædicaſti, ut decet hominem gratum, cujus te primariæ virtutis animadverti ſtudioſiſſimum. In eadem commemoratione ſimul oſtendiſti, ut, poſtquam ille rebus humanis exemptus eſt, magnus ille Zamoſcius, conſanguineos illos tuos atque te in academia Zamoſcia rectè & ordine erudiri juſſerit. Quod Faresbachus uſu didicerat, tardo admodum magiſtro, id maturè rationibus cognoverat Zamoſcius, qui iccircò non ludum aliquem puerilem, ſed in hunc finem academiam condiderat, ut ne deeſſet in illis quoque nationibus occaſio ad excolenda ingenia & acuendos animos, neque natis ex ordine equeſtri, neque cæteris de populo. Fuit verò ipſius etiam aula, ut Chironis, qui in monte Pelio in re equeſtri & omni virtute exercuiſſe Principum Græcorum filios à poëtis canitur: unde prodibant illi Nobiles & invicti Argonautæ. Perges verò, Theodore, quas cœpiſti, & uti cœpiſti, lit-

teras colere, quantum earum ingenium tuum capere potest, & excolere primariis virtutibus animum tuum: ego in harum possessionem te venturum auguror, neque non bonæ doctrinæ, quod ad rectum vitæ humanæ cultum, obtinebis: quod satis est, proxime etiam re ab utroque abesse judico: quam ego hinc conjecturam facio, quòd quę ad te non attinent, cognoscis quidem, sed in ea te non ingeris, quodq; æqualibus studes neutiquam temerè, ut adverseris studio nemini, familiariter iis utaris, quorum vitam animosq; perspexeris. Quod autem adveniens veterem tuum sodalem Mauricium Cannium, cujus erga te animum & integritatem fidemque à prima vestra adolescentia perspexeris, habes studiorum consiliorumque socium; in eo & constantiam tuam, immo utriusque laudo, & judicium prætereea tuum. Cùm enim summo ingenio præditus sit Cannius, nec ullum diem vacuum relinquat ab hoc labore sive voluptate discendi, cognoscendæq; sapientiæ, se unà tecum trahit, quò tu quoque progredi expe-

expetis. Itaque uterque non tantum illam, quæ in admirationem hominum cadit, loquendi facultatem, sed etiam & humanitatem, qua fit, ut benè agendo & cedendo, & bonos omnes, & non malos, nobis devinciamus, & prudentiam omnis officij magistram & condam promam rectorum feliciumque consiliorum consequemini. Hæc enim est illa palma & esse debet, ad quam contendere nobilem juventutem fas & sanctum est. Qua de re uti scis, vel aliud agens, ferè quotidiè verba facio ad familiares, nemini vestrûm placere studens, sed singulorum bono sincerè consulens. Videor autem mihi ex hoc meo erga vos studio satis uberem fructum capere; etiamsi in præsentia nonnullis minus placeam (fieri enim secus non potest) ex intervallo sine caussa displicuisse videar. Utrique autem vestrûm interpellationes meas semper gratas & jucundas fuisse sensi: quibus accensebis & hanc epistolam longiusculam. Addidi lucubratiunculam pusillam meam, sive hæc est querela de neglecto sermone latino, sive

ad eum discendum majore cum cura ad juventutem cohortatio. Vale, & ut utrumque simul compellem: ἀλκιμοί ἐσθ', ἵν' ὑμᾶς τις κ' ὀψιγόνων εὖ εἴπῃ. Helmæstadio ex acad. JUL. VII. id. Sept. cIɔ Iɔ cv.

DAVIDI HILCHENIO, Regiæ Majestati in Polonia à Secretis.

EPIST. XVIII.

CUm de obitu magni Zamoscii ex fama primum, ac deinceps ex aliis amicis accepissemus, etiam antequam vestræ literæ adferrentur; statim dedimus operam, ut erga ipsum è rebus mortalium sublatum aliquid extaret nostri studii. Id & Herois illius filio Thomæ, & amicis & cum primis tibi tuisque familiaribus gratum fuisse confidimus. Ejus enim nomen venerari te sciebam, qui te singulari benevolentia semper fuisset complexus, nec ornasset solum, sed etiam con-

contra malevolos defendiſſet. Eget enim etiam innocentia potentiæ patrocinio adverſus invidiæ calumnias. Poſtquam autem tuas legi, Generoſe Vir, quibus me excitas ad attingendas laudes Zamoſcii, non nihil hac in re conari conſtitui, ſed rectè invenimus novum conſilium, quà tibi & Zamoſciani nominis cultoribus magis ſatis fieret. Namque unum atque alterum, qui ſcribendo valerent, monui, ut in tantis rebus ornandis temporis aliquid & ſtudii ponerent. Hanc meam ſollicitudinem ſive curioſitatem, non admodum, ut opinor, reprehendendam ex mea ad Rhodomanum epiſtola perſpexeris, aut videbis, quando hæc leges. Eam cum legendam his quoque familiaribus darem, non fuit nemo, qui illam gratè, & erga ſummam virtutem ſtudioſè, ſcriptam diceret. Fortè & apud nos erant alii, qui mihi morem gerent, voluntatem autem meam ſecutus eſt modò Rudolphus Diepholdius, vir & doctrina multiplici præditus & humanæ vitæ intelligens. Hoſce tu verſus ſi probabis, reddes, quibus

videbitur amicis Zamoscii, quibus usus ille fuit inter proceres primariis: sed præcipuè commendabis studium nostrum sapientissimo Principi, Nicolao Zeber Zidovio, Palatino Cracoviensi, novo ἐυεργέτῃ tuo, eique de mea erga ipsum quanta maxima observantia affirmabis: quam qua potero ratione testatam quoque faciam, ne temerè verbum de me dixisse videaris. Vale. Helm. ex ac. Jul. Id. Novemb. cIↄ Iↄ cv.

JOACHIMO GOETZIO ab Olenhusen.

EPISTOLA XIX.

DEbui potius ad te aliquid dare, quam potui, multa simul habens in manibus: volui vero etiam. Neque enim ex ista juventute mei quisquam est observantior, neque te mihi carior. Ita enim statim probavi indolem tuam, omniaque adolescentiæ tuæ studia

studiis, quæ cum semper direxeris ad humanitatem & constantiam, collaudare te non desii, ac sæpe ad eadem exhortatus sum, quanquam cura hęc de eo, qui sponte officium faciat, supervacanea videatur. Quicquid autem tibi de hoc in mentem veniet, ne dubites hæc omnia proficisci ex animo tibi benevolentissimo. Ut autem erga te etiam absentem affectus sim, non solum ex meis ad te literis cognoveris, sed & ex æqualibus tuis, quibuscum de te sermonem institui. Perge hac ætate exemplo esse Nobili juventuti: futurum est, ut nulla re inferior sis adultior viris tui ordinis, quibuscum aliquam partem geres reip. Nisi sciam Jagemannum & Lappium tibi caros esse, utrumque ad te laudem: eosque porro amabis, cum per se, tum quod hoc mihi gratum intelligis. Vale.

Helmæstadio ex academia
Julia Id. Jun. 1606.

HENNINGO V. D. SCHULENBURG.

EPIST. XX.

FAsciculum vestrum cum unâ horâ accepissem, alterâ advenit frater tuus, & tuas ad me legit, nec minus probavit, quam ego. Cum autem valde probem scriptionem; in quo genere te porro exercebis, maxime probo animum quo es, & erga studia sapientiæ, & erga ingenii tui fide præstantem informatorem. Huic, secundum Deum, acceptum feres, quodcunque virtutis singularis & solidæ eruditionis consequeris. Ad utramque te duxit â puero, in utraque te retinet & ducit porro, & in utraq; te, cum sponte sequaris, interdum etiam præcurras, perficiet. Hæc nostra, hæc est matris, patris, mea de te perpetua exspectatio, quam nequaquam falles. Nolis namque fallere ipse te. Jam capite rectum & felix consilium, * * * quid mihi videatur, exposui

posui Ioachimo: idem si vobis videbitur, nemo erit, qui voluntati vestræ refragabitur. Vale. Helmæstad. VII. Kal. Septemb. 1606.

JACOBO SCHENK in Flechtingen.

EPISTOLA XXI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PEculiare scribendi argumentum mihi nullum erat, neque quicquam me ad scribendum invitat, nisi mittendi commoditas. Utar igitur illo veteri, quo simul mihi imperem, quid facto opus sit. Mihi hæc necessitas incumbit, ut habeam perpetuam rationem valetudinis: ni faciam, hac ætate me è vestigio præcipitem. Tibi autem ante tot annos, considerans naturam tuam, idem primo ac ultimo loco præcipiebam. Tu vero, & in aliis, & in hoc, te mascule gessisti, ut & quæ inciderint, quæ plura fuisse intelligo, pulchre superaveris, & multo firmior ad nos redieris,

quam abieris. Quo nomine tibi valde gratulor, & valde etiam te rogo, ut de hac cura neque hodie aliquid remittas, nec eo solum, ut fortunis tuis amplissimis quam diutissime utaris, sed etiam, ut cum tuis patriæque plurimum servias, tum nomen tuum & gentis vestræ beneficia & aliis meritis magis illustres. Sed meditatus jam sum ad te plura, quorum lectionem non aspernaberis, tum quia à me proficiscuntur, tum quia erunt in rem tuam omnia. Hoc enim semper egi potissimum, & agam deinceps. Vale. Helm. ex acad. Julia prid. Kalend. Novemb. M DC VII.

THODORO à SENDEN.

Epist. XXII.

Literas tuas celeriter, ut scribis, exaratas, at meditatas accurate, libenter legi, & modo rescripturus relegi. Benevolentia tibi facile

cile respondebo, quam velim esse, qua re testatam faciam. Cujusmodi à me expectas, in iis quidem sum, quæ accepi è scriniis sapientum, neque non cum aliis communicem, si hoc in tempore præstare valeam. In hoc omnia plurimum, imo omnia sita arbitrer. Etenim servuli quoque in comœdiis fundunt verba sapientiæ, sine fructu. Neque tamen non, à quocunque, ubicunque sint, pulchra, ut Græci loquuntur, sive divina sunt: aliquando enim juvent, cujus gratia deprompta esse, jam videantur. In quo genere tutissimum est, ea scribere, quæ & omnium judiciis & usibus exponantur: ita ut sapientes judicent: alii utantur, quibus opus est. Felices ait ille ad Ascram, eos qui per se sapiant, & officium faciant: quo nomine & Principes tuos & te suspicio: illos, quod tuo consilio porro utuntur: te, quod eos pergis & consiliis instruere & multiplici bona doctrina erudire in ipsis negociis. Est enim, Principum ætas, & res gerendi, & ad-

& adhuc discendi, quod avum ipsorum, & sensisse, & fecisse, sæpe ex aliis audierint. Conviviis autem ille non nisi necessariis aliquid temporis tribuebat, venationi quantum valetudini, voluptati & dignitati, satis esse statuebat. Quod me apud utrumque in gratia ponis, id perge facere: hoc gratius officium præstare mihi istic nullum potes. Vale. Helm. ex ac. Jul. Kal. April. cIↄ Iↄ CIIX.

JACOBO SCHENCKIO in Flechtingen.

EPISTOLA XXIII.

QUod te salvo domum redeunte in animo habebam, ut tibi, tuoque fidelissimo comiti de salute vestra gratularer, id negotium alteri dabam, minus tum, quàm tenuiter valens: functurus eodem tamen munere, cum mihi esset commodius. Cum esse autem tibi Theod. Surlandii studium gratum intelligerem, meum

meum & debitum pro amicitia, atque verbis pridem destinatum præstare etiam cogitabam, meditatus quæ in eam epistolam præterea conjicerem. Agenti autem mihi jam hoc ipsum, heri tristis admodum nuncius calamum excussit è manibus, cogitationes meas non leviter conturbans & aliô pertrahens. Hoc tu quoque graviter afficieris. Desiderabimus enim deinceps amicissimum nobis virum, Adamum Crusium de Borchfelda. Cum enim ex aula Principum Megapol. sub Kal. April. in prædia sua secessisset, nec opinato in gravem morbum incidit, eaq; febri id. April. extinctus est, quem nos vivere optaremus, & expediret patriæ, de qua ut bene commodius, mereretur, à nobis se altero abhinc anno in patriam contulit. Ibi etsi privatam vitam agere constituerat, ut, quibus vellet, serviret, & reliquum tempus exemplo patris studiis sapientiæ impenderet; tamen cum ab Ill.*ma* Megap. Vidua ad remp. expeteretur, quid faceret, nisi quod deberet? Non enim patriæ operam negaret, cui se natum à

puero

puero didicerat, & omnino sentiebat: Nec erat jam, qui ipsi dignitatem invideret, quod etiam præstantes ibi viri, quorum non est penuria in Megap. ipsi ultro cederent, & omnes agnoscerent, qua fide & diligentia publica, itemque privata negotia gereret. Itaque etiam Duces fratres, qui aliquot ante mensibus ex longinquis regnis domum redierant, ipsum magni faciebant, sibique de tali Consiliario jam gratulabantur. Videbant enim eo esse prorsus animo, qui nil sibi, suisque quæsiturus esset, cum Principum incommodo, aut præter universæ patriæ salutem: contra quàm plerique faciunt. Si mihi libeat, multos ipse nominem, qui sibi quærerent utilitates cum incommodo Principum, neque absque malo publico. Utinam hujusmodi neque sit hodie aliquis, neque futurus sit. Quantum boni huic provinciæ conciliarit in præsenti, & plurimum in futurum, illud scio, hoc prædico. Cum enim esset in Senatu aulico: quem locum ob potentiam potius, quam vera ratione priorem perperam existimant, ille duabus de causis

ſis aliud ſibi perſvaderi paſſus fuit, quod intelligebat ſe quoque debere Principi matri, Regis Daniæ filiæ, Ducis ſui Megapolitani, nepti: hujus, inquam, ſive voluntati ceſſit, ſive imperio paruit libentius: imo libentiſſime, ut hoc, quod quæreretur, quæſiviſſe videretur, factus aulæmagiſter Principis. Namque [referam, quæ ipſe mihi retulit, ac niſi retuliſſet, vera ſine dubitatione ſcriberem] ſentiebat, qui futuræ ætati Principem recte educaret, eum tam magnam rem gerere & neceſſariam, atq; ipſe in conſilio cum pluribus gereret. Alterum, quoq flagrans deſiderio ſciendi propter virtutem, ſperabat ſe quotidie daturum aliquot horas ſtudio ſapientiæ, illud nequaquam falſum eſt, in hoc ipſo minime fallſus fuit, neque falli potuit: quod non his literis, ſed ſuo loco explicabo. De viri erga me benevolentia nihil dicam, quæ quanta fuerit neque tu ignoras, & ſuſpicetur qui noverit, quanti veritatis & virtutis propagationem fecerit, cujus ſciebat & prædicabat, & mihi in os, vere omninò, dicebat,
me

me esse cum paucis admodum studiosissimum. Te autem non solum amavit plurimùm, ut sui ordinis, sed multo magis, ut natum, factum & educatum ad summa. Itaque etiam de te bene mereri non dubitavit: nec iis tamen, quibus tu abundas, & illum nullius egentem augere posses; sed optimo consilio; non tamen alio, quam quod à me accepisses, & quotidie acciperes. Nec vero solum te confirmabat, sed etiam docebat, quid quomodo ageres, discendo necessaria & optima quæque; sed agendo maximè. Namque cum sapientissimis sentiebat, qui detestarentur astutiam, prudentiam suspicerent, solamque in administratione rerum repræsentarent: cum his & posthæc, sive præ omnibus coluit, & à te coli voluit ipsam sapientiam. Hæc potius scripsi, quam ipsius obitum deplorarem. Alia leges à me de ipso brevi: alia ad te, cujusmodi meditatus fuerim, & porro meditabor. Vale. Helmæstadio ex academia Julia VII. Kalend. Maj.

1608.

JOACHIMO GOEZIO, ANDREÆ CLUDIO, & HILDEBR. GISLERO RHUMANNO,

Juris Conſultis & Oratoribus clariſſimis, Sereniſſimo Duci Brunſvig. ab intimis Conſiliis.

EPISTOLA XXIV.

PErneceſſarium eſt in omni republ. & in vita admodum honorificum tutelæ munus, niſi idem etiam ſupra nodum laborioſum ſit, quod ego vos non doceo, qui humanæ vitæ rationes, cum ex ipſa doctrina, tum ex perpetuo uſu didiciſtis optimè: ſed ita ordior, ut commodè ad id tranſeam, quò volo. Etiam verò hæc alii legent, qui ipſa non æquè intelligunt. Itaque pergam proloqui, quod inſtitui. Simul enim meas ſuper hac re cogitationes, & curam cognoſcetis. Quid enim ſit magis

neceſſarium , quam ſervari in civitate præſtantium civium filios, & eorum patrimonia cum illis ipſis, tum patriæ? quid honorificentius, quam primi ordinis liberis eſſe pro parentibus? Laborioſius autem nihil ferè eſſe poteſt, cum cæteris, quod hæc aliquot annorum cura perpetua, & earum rerum bonis tam cordi eſt, quam domeſticarum procuratio, tum iis maximè, quibus à republ. feriari unum diem non licet, ac ne libeat quidem. Hoc enim ipſe quoque de veſtra virtute ſentio: neque minus bene ſemper ipſe affectus fui erga laborem, cui me à puero mancipavi. Otium ſibi ignavum habeant, & delicatas voluptates, quibus vivere non placet: neque enim in illis vita hominis eſt, neque, quæ vulgò vita dicitur, diuturna. Vos autem, Viri Clariſſimi, hanc quoque Jagmannorum tutelam æquo animo fertis, & ab illo initio in hunc diem, qua veſtrum quiſque res ſuas, diligentia, hoc eſt, optima fide, conſentiente in omnibus conſilio, procuratis pari, vel etiam majore, diligentia: atque adeo non tam quod à patre, magno viro Joanne Jagmanno, vobis impoſita,

ſita, & legibus deſtinata, quam ſponte veſtra ſuſcepta ſit: neque mirum ſane, ob animorum conjunctionem arctiſſimam & affinitatem proximam, quæ inter vos & maturè nata, & ſemper ſanctè conſervata fuerunt. Id quoq; cauſæ erat, quod ille ex hoc vitæ campo abiturus vobis potiſſimum paternas partes delegavit. Harum cum neque minimam negligatis, primam verò paterna ſolicitudine geritis. Ut autem quidquid eſt fortunæ bonorum, præ ipſa vita in nihilo ponimus: ita præſtant pupilli lautiſſimo quoque patrimonio. Quò enim, aut quæ divitiæ, quæ dominum neſciant, aut cujusmodi illæ, quæ habeant neminem, qui ipſis rectè uti poſſit? Statim igitur de veſtræ fidei creditorum educatione ſoliciti, tertium natu, Henricum Julium Jagmannum, acris ingenii adoleſcentem, cum plurium dierum itinere abeſſet, ut ipſius mores & profectum videretis, in reſpectum veſtrum revocandum cenſuiſtis. Miſſum poſtea à vobis domum meam libenter accepi: in quo cum judicio paterno vos congruiſſe, neque hoc miror: cujus etiam olim tu quoque

eras Joachime Gœzi. Etenim & tu ipse duos filios ad nos misisti, & ille item duos, educandos domi meæ. Primum advenerant adolescentuli, quando hanc nobilem militiæ litterariæ manum dissipavit contagium pestilens: ejecit etiam tum, qui & ipse recens advenerat, Principem Joannem, Ducem Norvegiæ, Friderici II. Regis Daniæ filium. Hi jam sunt anni duodecim, quod vos quoque recordari arbitror. Cæterum ut initia educationis Henrici Julii sese apud nos habeant, partim litteris, partim coram vos docui: nec potest fieri, quin pleraque probetis. Ipsum autem cum vidissem, & alloquio meo & brevi quadam epistola delectatum, etiam de aliis justa lucubratiuncula erudiendum putavi: hæc verò ipsa & legit cupidè, & descripsit ipse, ut eadem relecta consideraret accuratiùs. Hæc autem ipsa neque reliquæ juventuti invideo, cum ad plerosque pertinerent, quæ potissimum persequenda mihi putavi, de modestia & obedientia. In hujus generis ξυγγραμματίοις videri possim Epicharmi æmulus, cui sentiebant jam olim magnam gra-

gratiam deberi, qui in medium attuliſſet multa utilia pueris ad vitæ cultum: proſunt omninò eadem iiſdem adultioribus, neque non, opinor, viris, qui hæc prima ætate non didiciſſent. Legent autem hæc & veſtri filii, & majores natu ſibi de his jam partis gratulabuntur, minores, illos imitandos, & hæc ſequenda, de veſtro etiam imperio putabunt: qui veſtris filiis abundè ſemper omnia, præbetis ante omnia, quæ hujus generis ſunt, potiora omni reliquo ſumptu: neque pupillis deeſtis; ſi qua re ipſis opus eſſe animadvertitis, & hi veſtram auctoritatem ſequuntur, ut paternam. Faciam & ipſe porrò, quod in me erit: neque quemadmodum hæc procedant, vos ignorare patiar. Joannes etiam Iſenbergius, juvenis eruditus & humanus, quem adoleſcenti *συμβιώτην καὶ ἐπιςάτην* addidiſtis, omni benevolentia alumnum complectitur, & ipſe, neque neſcius, neque negligens officii, & me de his rebus diſſerentem libenter audit, & conſilium prætereà meum, ſi opus eſſe putet, requirit. Valete. Helm. ex. ac. Jul. id. Mart. clↃ IↃ cIx.

ERNESTO à STEINBERG.

EPISTOLA XXV.

GRatulabar equidem tibi, ERNESTE STEINBERGI, & BURCHARDO, fratri tuo germano, qui ista ætatis maturitate, bona doctrina satis instructi, tanta animorum conjunctione & contentione, ad ipsam virtutem adspirantes, de adeundis longinquis regionibus consilium caperetis, & vobis adjungeretis in peregrinatione HENNINGUM ARNISÆUM, virum vitæ jam usu præditum, eruditione excellentem, maximè æqualibus, neque minus laborum patientem, quàm ipsimet essetis, virorum fortium filii. Neque enim negligendum hoc vobis arbitrabamini, quod prudentiores & fortunatiores vestri ordinis facere animadverteretis. Neque verò vos tam exempla, quæ tum ex antiquitate, tum ex hoc seculo caperetis, excitarunt, aut confirmavit principum & sapientum auctoritas, quàm evidens ratio permovit. Credebatis enim, fieri non

non posse, quin qui plura vidissent in rebus humanis, plura quoq; intelligerent, & prudentius faciliusque negotia, quamvis ardua, tractarent. Neque hoc institutum parvi faciunt, nisi qui domi desides, limen vix unquam transierint, rati sibi injuriam fieri, nisi cum præstantioribus æquiparentur, quibus hac re, & fortè aliis, tamen essent impares. Non inficior autem, multa, eaque periculosa itinera, ab aliquibus frustrà suscipi; idque necesse est plerisque evenire, qui vel nimis adolescentes tantam rem aggrediuntur, vel litteris se non satis munivetunt, vel de fine suarum actionum nihil constituerunt. Quibus enim ætas est infirmior, cum ubicunque sint, tum foris, ubi maximè sunt in lubrico, facilè labuntur: ut pro bonis exemplis pessima, pro salutaribus consiliis noxia, colligant: uti mercatores imperiti pro bonis mercibus corruptas domum reportant, quando, quas non probè intelligunt, has ab illis, quod erat cumprimis videndum, non dirimunt. Errare autem eos, qui literis carent, in omnibus, perpetuum est. Duplo namq; plus videre preditos literis,

è quodam Menandri dicto discimus: quem tamen non loqui puto de præcipuo, sive singulari studio sapientię. Hujus enim major vis est, & ea, quam homines ingenio assequi possumus, perfectio. Qui deniq; de fine, id est virtutis & prudentiæ adeptione, nihil constituunt, iis maximos sumptus cum laboribus perire, mirum videri non potest. Horum etiam studiis mercatorum studia prætulerim, qui dum peregrinantur, dum multa maria navigant, rem faciunt; videas, qui aliquid prudentię simul invenerint: neq; fuêre nulli inter ipsos negotiatores, qui, cum & litteras magna diligentia didicissent, ejusmodi præterea nobiles peregrinationes susceperint. Uterq; verò vobis prospexistis, quem dixi virum: cujus, quando foris minus omnia tuta sunt, simul consilio niteremini. Qua fide pręsto vobis semper fuerit, ipsi prędicabitis: ego, quod in se susceperat, ipsi cordi fuisse, litteris ipsius facile confirmem, quas ubicunq; subsisteretis, accuratè scriptas ad me dedit: feci quoq; ut & meas legeretis: cum quando fortè ubi futuri essetis, fuissem pręmonitus, sæpè item familiaribus narravi, quando in Gallia, in Britannia, in Belgio,

Belgio, vos eſſe ſuſpicarer: & verus, ut poſtea cognovi, interdum fui; etſi citius vos exſpectaveram. Verè enim ad futuros putabamus, quos media domum æſtas ſalvos retulit. Ut autem ille à vobis in hanc viciniam venit ad ſuos, neq; hanc alteram patriam, ſiquidem ita docti rectè academiam ſalutant, præteriit. Fuit hoc nobis gratum, quod de peregrinatione iſta pauculis horis multa docuit, quæ ſciſcitarentur familiares. Expoſuit etiam mihi mandatum tuum: ego abeuntem dimiſi, non niſi cum perbrevi ad te epiſtola, pollicens tamen, quæ à me præſtari arbitrer opus. Quod enim ex me quæris, id aut ipſe pridem tenes, aut ex illo non minus accipias, quàm ex quiquam alio, quod ſtatim affirmavi. Cum enim intimas philoſophiæ partes penetrarit ARNISÆUS, idem quoque & illas, quæ ſenſibus, & maximæ partis mortalium judicio patent, ſibi perſpiciendas putavit: idq; levi opera, quia neceſſe eſt, ut qui ſubtiliſſima quæq; mente videat, altera, populo magis expoſita, in manibus habeat: unde accepimus, cum naturam rerum Pericles accepiſſet ab Anaxagora,

Digitized by Google

ad res gerendas accessisse paratissimum. Has tamen ad te dedi, non ut vos aliquid docerem, sed ostenderem, me esse ejusdem, cujus vos estis, sententiæ, mirificè denique probare, quæ facis. De exquisitioribus disciplinis, quæ scientiæ appellantur, singulorum mentes perficere creditæ, non est, ut hîc verbum faciam: alterius generis sunt, quæ cultum vitæ respiciunt, & salutem publicam procurant. Cum eo loco natus sis, & à natura factus, huc te referre debes, & omninò vis. Quid enim viro Nobili dignius, quàm omnia sibi parare, & omnia agere, quæ patriç, id est, quibus cum vitam degimus, & totis gentibus, ex usu sint. Non nego hoc studium dedecere quemquam mortalium: sed cum alia sit aliorum conditio, & fortuna, non quid unumquemque omnium deceat, sed quid quisque possit, id initio animadvertendum est. Quorum nullæ sunt fortunæ, quorumque humilis conditio, in republ. quidem vivunt, & reipublicæ, non perinde, ut homines cum dignitate: satis hoc, si inveniant, unde miseriam propulsent. His convenit, ut rem absque ullius

ullius injuria quærant, etiam augeant, etſi neque primo loco reip. neque pluribus multum commodent. Nobili loco natis, & patrimonio abundantibus, majores, natura & legibus, partes ſunt, neque eorum cuiquam declinandæ: etſi multi in faſtum convertunt opes, neque ſe vivere arbitrantur cum dignitate, niſi in luxu vivant, quæ non ſolùm falſa, ſed impia quoque ſententia eſt. Hoc omnes ſapientiæ & veræ pietati addicti probè intelligunt: nec diverſum ſequuntur: in quibus vos eſſe, veſtra felicitas & primus honor eſt. Qui enim genus & divitias jactant, ipſi inanes dotium ingenii, eos nos ſinamus in populo primos eſſe, & ipſe ſuſpiciam, ſi boni & benefici ſint, aut eſſe velint: talibus non adulor, ut multi utilitatis ſuę gratia faciunt: hoc potius ago, ut illis ipſe uſui ſim & ſerviam, nihil aliud, niſi publicum bonum, &, quod hoc mihi honori eſt, ſpectans. Quotquot autem cujuscunque ordinis & fortunæ in litteris educantur, nec ab iis deficiunt, quo nihil ſit turpius, hi vivunt, vivere certè debent, reip. aut alicui ejus non ultimæ partium. Quod ſi mihi largi-

largiris, & ita sentis, uti professò sentis, non debent iidem inde mercaturam facere, sive ad quæstum omnia referre: Nobili autem eodemq; fortunato viro nihil sit indignius, ortorum autem tenui loco, & primùm emergentium, alia est conditio. Namq; his debetur, postquam litteris & opinione virtutis, aut etiam virtute non simulata, adscenderunt in altiorem locum, tum honor, tum commodum: adde præmium: neq; non rectum est, ut hæc accipiant, & non delata bonis rationibus postulent, quod in foro & senatu perpetuas & graves operas præstant. Quod hęc legenti in mentem venit absque dubio, id detestabile est, quod quidam ignari, oblitive *veri finis, id est, salutis publicæ*, ad rem faciendam se potissimum applicant, & ditati auro, ne prædiis quidem expleri nequeunt. Hoc verbo attigi, ut me rectè sentire, *illasq; pestes reip.* non amare noveris: cui tamen se servire falsò prædicant, & astutè simulant. Tales CL. VALENTINUS FORSTERUS, vetus hospes tuus, dissimilis talium, & ego, multos, eorumq; fata novimus. Dixi de oneribus jurisconsultorum; quibus debentur

tur præmia, & quidem ſingularia. Fortunatorum ordinis equeſtris longè alia ratio eſt. Nobiliorum enim pauci admodum perpetuitatem illiuſmodi operarum in ſe ſuſcipiunt: rectè tamen, & neceſſariò, ſi ſalvi eſſe debeamus, in ſenatum leguntur, qui cum poſſideant à republ. ſua, eî minus deeſſe poſſunt, neque unquam debent: præterquam quod ipſis primi honores, uti par eſt, tribuuntur in regiis: iis, inquam, qui ſe ad illos paraverint. Quod vos feciſſe à primis annis ſedulò, & novit academia Julia, & omnis hæc ad Hercyniam natio. Etenim & CONRADUS STEINBERGIUS, frater item veſter germanus, utroque annis major, nec ipſe litterarum expers, & mathematicarum diſciplinarum amans, longè lateq; peregrinatus, plurium linguarum cognitionem ſibi maturè paravit, ad utrumque uſum, tum ad lectionem, tum ad ſermonē, ſi hoſpes longinquus adveniat, aut ipſe ad Reges ablegetur, iterve habeat: acceſſit (ſic enim magis vitæ ratio perficitur) quod in Belgicis caſtris militavit biennium. Tria namq. potiſſimum juventutē ad vitā præter educationem

nem domesticam erudiunt, quod à pluribus disputatum audivi, quibus assensus fui lubens: *Littera, Regia, & Militia.* Porrò verò, ERNESTE, à tot annis in instituto tibi tuo perseverandum judicas: certo argumento est, quod ita pertinaciter tibi in proposito perseverandum censes. Hanc constantiam pro palma habeas: cumque te confirmari à me non dedigneris, ecce facio officium. Unum relinquitur, quod perpetuum sit, ut agas totos dies, in quo totus es. In deliberatione opus est oratione, ut instrumento: quo semoto, nusquam appareat: neque innotescat satis, si quid sit boni consilii. Cum autem eloquentia, à rebus inanis, præter loquacitatem nihil habeat; illarum naturæ prima ratio ab optimis dicendi magistris habita fuit: quorum principes habiti, unicus ille magister sapientię, & hujus in præceptis, & in orando Demosthenis æmulus, Latinitatis pater tibi cum paucis tritus. Proinde inepti sunt & absurdi, qui, potiore parte penitus omissa, hanc artem se docere profitentur, etiamsi digitum in artem disserendi intendant: sed hæc illas res

non

non agnoſcit, nedum tradat; largitur argumentandi modos, non principes, neque locos invidet. Parum ad rem, ſive vix aliquid, quod de reliquo nec ipſa, quibus opus eſt, quædam etiam penè infantibus nota, tradunt pro oraculis. Ineptiis & abſurditate ſe ipſos vincunt, qui pueros in arenam diſputantium, vel quaſi in roſtra ad orandum producunt. Pueris enim ætas etiam negavit rerum in oculos incurrentium cognitionem: ſed ejuſmodi tamen litterarum depravatores in populo, & apud imperitos in pretio ſunt: quibus oſtentatione & pollicitationibus facilè perſvadent, umbras anteponere rebus, cum illarum ne ſomnia quidem dormientes viderint. Tu vera ſecutus, & his annis vitę hominum intelligens, & ſciens omnium gentium & temporum hiſtoriæ, non abibis ab iis, quæ tractaſti hactenus. Quoniam verò *de Scriptorum lectione* præcipuè ex me quærebas, Latinæ linguæ proprietatis, puritatis, perſpicuitatis, elegantiæ, copię denique eſſe nobis rationem perpetuam & ſingularem curam habendam, & ipſe ſentio. Has orationis virtutes, quando

Latium

Latium in Latio multis jam seculis nusquam fuit, à populo, aut etiam ex vivis dicendi magistris, aut oratoribus petere non possumus, ad monumenta cultissimi seculi eundum nobis est: in iis diu multumque immorandum, & fortè consenescendum, sive adultioribus & confirmatis, ad ea sæpè respiciendum: quod florentibus adhuc rebus omnibus, à Græcis & Latinis factitatum fuisse accepimus, ut idem nobis faciendum, dubitare minus debeamus. Sed quæris, quos ego scriptores, quibus præponam, sive primos esse velim? etsi, quid mihi videatur, ex aliis audieris, vel ex iis, quibus aliud non videtur, nisi quod tumidam orationem, quàm moratam malunt, & aliénam novam, sive prorsus obsoletam, quàm veterem usitatam redoleat. Itaq; pro nihilo ducunt, si quis de Terentio verbum faciat, aut epistolas familiariorum Tullii in manibus habere juventutem primum jubeat. Hic autem cum illum triverit, exemplo suo, quid nos facere velit, docet. Ratio ipsum hæc movit, quæ nos impellere quoque debet, quod nihil esset cultius, sive sententiam,

sive

ſive verba ſpectares: non, quod Afer illa ſcriberet, ſed quod cum hoc ſive pro hoc ſapientiſſimi in urbe ſcriberent: quod ipſe non inficiatur, & ſibi laudi ducit. Hoc igitur adoleſcens ipſe, in Græcis tamen tum potiſſimum verſatus, cum vidiſſem ſvadere Manutium, ſequebar: in quo fortè non aberraverim, etſi, quod volui, aſſecutus non fui, ipſe non niſi aliquo ingenio, & veniens ad eam rem tardius. Neque me tamen operæ laborumque pœnitet: unde, quis miretur? id quod mihi non ceſſiſſet infeliciter, ſvadere me familiaribus, quod & hodie faciendum dixerim, ſi quis me conſulat, & audiat. Malevoli ſive alieni ab hoc ſtudio, calumnientur, ac ſi quis unicam cantilenam canat: neque hanc barbaram tamen, ſi paullò elegantiores judicent. Neque tamen ibi ſubſtiti, qui & ob ſermonem ipſum, & meliore de cauſſa, quosque lectiſſimos ſimul præterea legerim, ac ipſos inſuper poëtas Romanos. Homerum enim didiceram à pueritia. Nec aliud conſulã, hujus, de quo agim9, ſtudii cultoribus: laudo omnes omnibus, commendo aliis alios, ingeniorum ha-

bita ratione. Reprehendi, qui Plautum non legerent: dixi & quare, & quomodo rectè legatur: neque ſi quem ex hiſtoricis nominatim non commendarim, negligi velim: legendos cenſeam, cum hac de cauſſa, tum ob hiſtoriam: Salluſtio nihil exquiſitius: quia ſublimior eſt, Thucydidem ſapit, neque cuivis ſtatim obvius. Multum quoque confert perpetua, ſive multa poëtarum lectio, ſi quis, quibus, quando utatur, intelligat: intelligit autem, qui præcepta artis dicendi, non illa vulgaria, ſed ſincera atque plena, didicerit: optimi quoque oratores in eo genere ſe ſemper exercuerunt, atque ita orationem, & copioſiorem fecerunt, & luculentiorem, & hoc rectè ſequantur, qui velint & poſſint. Neque enim hoc omnium eſt, in tanta ingeniorum differentia: quę de poëtis conſulimus, ad primos pertinent. Hujus ſtudii auctores fuerunt multi ante me, qui & hoc fecerint & ſvaſerint: de uno ante memini: etiam Joannes Chryſoſtomus refertur Ariſtophanem triviſſe quotidie, qui Atticè ſcripſiſſet præ omnibus: Dion autem Chryſoſtomus, etiam

ab

Digitized by Google

ab aliis conſultus, docet his conſentanea: neque id uno loco. Referam præterea tibi quoddam adoleſcentiæ meæ, neque id inane, ſomnium; quod hodie parum abeſt, quin pro re ipſa habeam: certè non prorſus repudio, neque ignarus tamen omnium, quę magiſtri artis proferunt, qui ad hanc, non alio, reſpiciunt: ut quis pulchra ſcribat, non poſſe fieri rectius, quàm ſi vir bonus ipſe ſit, aut, quod huic proximum eſt, eſſe ſtudeat. Hæc autem cogitatio me à vitæ multis erroribus avertit, ab omnibus non potuit, tum quod illò nemo pervenit, quod quiſquam noſtrum intellexerit; tum quod nullâ diligentiâ me in omnibus corrigere potuerim: in quo cum non fruſtrà laboretur, fruſtrà tamen laboret, qui perfectionem adfectet, mortalium generi negatam. Habes à me litteras, ERNESTE, ſive lucubratiunculam, qua expoſui, non quæ poſceres, ſed quæ depromere ipſe poſſem, ſive deberem. Nec enim debui aut volui ſcribere, quæ cognoviſſes ante, aut à viro, quem quotquot noverint, magnifaciunt, accepiſſes, aut acciperes, quando velles. Hæc au-

tem ſcripſi meæ erga te, iſtumque ordinem declarandæ voluntatis gratia: nec eſt, quod quoſdam ſuſurrare audio, ut placere ſtudeam equeſtri loco natis: qui ad Principes quoque ſemper ſcripſerim liberè, neque coram alio genere orationis uſus: hodie ſi ſecus faciam, uſura vitæ ad horulam me dignum quis me æſtimet? nec ipſemet ego faciam, indies fato obnoxius. Vale Helm. ex Acad. Jul. V. Kal. Sept. clↄ Iↄ cix.

ANTONIO VVITTERSHÆMIO.

Epiſt. XXVI.

AD Academiam hanc veniſſe tres filios Ducis Franciſci, te non fugit. Et quia comes Julius exſpectatur, cur non ſperem, te unà adventurum, adducturumque tuos filios? præſertim cum de tuis huc mittendis quidem conſilium te cepiſſe cognove-

gnoverim. Libenter te hîc videbo. Tu cogita, & fac, ut vos videamus: id quod in poteſtate tua maximam partem eſſe non dubito. Quod de Nobili Viro, Erneſto ab Honroda ſcribit D. Parcovius, id velim apud nos ponderis plurimum habeat, niſi jam proſpectum eſt Comiti de aulę Præfecto. Eſt enim Honroda noſter *eo genere, ea ætate, ea doctrina, eo uſu rerum, ea linguarum peritia, iis moribus, ea probitate & integritate*, ut non aberraturi ſitis iu ipſo deligendo: quod verò ad eam rem minimè pertinet, & hominem tamen commendat ſingulariter, *pereleganter canit fidibus.* Cætera rejicio in ſermones noſtros, quos mihi polliceor. Vale. Helmſt. ex Acad. Jul. pr. N. April. Tuis ſalutem dico.

ERNESTO JULIO, Antonii V. Cl. Cancellarii Schomburg. F. WITTERSHÆMIO Nobiliſſimam Virginem ELISABETHAM à LIPPA domum ducenti.

EPISTOLA XXVII.

UNa mihi nunc eſt anſa ad ſcribendum potiſſima, cauſæ ad te diligendum diverſæ & plures fuere: illa hodie ut tibi de nuptiis gratuler: quod dum facio, ſic faciendum cenſeo, ut pleraſque meæ in te benevolentiæ cauſas intelligas, quas ut amicitiæ ſingularis cultor libenter colligo: habeo autem eas, tum à WITTERSHÆMIIS, tum à ſponſæ tuę majoribus. De vobis non te fugit: audiviſti enim ſæpius ex Cl. viro, Patre tuo, Antonio Wittershæmio: ut noſtitiam primùm in Bo-

Bononienſi Gymnaſio juvenes contraxerimus: amicitiam coluimus Roſtochii, urbe Megapolitana, ubi ille Civitati, ego operam dabam Academiæ. In eo ſincero amicitiæ cultu perſeveravimus, cum ille primum migraret Hamburgum, poſtea ſe ad Comitem Schomburgicum in patriam multùm expetitus converteret, ipſe tum eſſem in eadem Academia, & ante annos XX. in hanc veniſſem, item accitu Ducis Henrici Julii. Verum tu ex uberiore mea ad patrem tuum epiſtola, hęc ipſa fortè plenius & maximam partem ipſius vitæ cognoveris. Erat ſecundum, ut vobis quoque vellem. Nam ſic ſecundum vetus verbum, *amicorum amicis amici ſumus, quanto amiciores eſſe debemus amicorum liberis?* In te autem amando confirmaſti me, tum paternarum virtutum æmulatione, tum mei obſervantiâ ſingulari. Acceperam enim à familiaribus, fratres in iiſdem ſtudiis educatos à pueris, magnam de vobis apud omnes commoviſſe exſpectationem. Quanti tu autem me faceres, declaraſti mihi domi meæ paucis ante menſibus, cum huc clariſſimi juvenes,

& tu, & Joachimus Gotzius filius, ex hac vicinia me ſalutatum veniſſetis. Te puerum videram, illum ab adoleſcentia habebam penitus cognitum: & me ab utroque coli & vos inter vos amicitiam colere gaudebam veterum amicorum filios. Namque & ipſi inter ſe pluribus annis amici ſunt, & inter Patrem Gotzium & me, ut æquales, fuerat familiaritas ab utriuſque adoleſcentia, quæ item in perpetuam amicitiam ex illo principio coaluerat. Alterum quoque ſcire te volo: quod notitia mihi cum Sponſæ tuæ Majoribus fuerit. Novere multi & prædicant humanitatem, doctrinam & integritatem Cl. V. Chriſtophori Strubii, quicum notitia mihi in condiſcipulatu fuit, cum in ludo litterario Gandershemenſi pereruditо Magiſtro, Chriſtophoro Norico Quedlinburgio operam dedimus, infantiæ proximi. Eſt autem & Noricus his in locis notus pluribus, cum poſtea, & quidem etiam pauculis annis ante, vixerit in hac vicinia, ubi nos poſt annos quinquaginta iterum gratulabundi, quantum utriuſque ſenectus ferebat, vidimus, ego à ſeptuageſimo

geſimo digreſſus, ille, ut conjicio, à nonageſimo non procul aberat. Cum Chriſtophoro autem Strubio in notitiam iterum redii, in aula Guelfia, imò in amicitiam, quod neque illius ego, neque ille me unquam fuiſſet oblitus: *quam eſſe naturam condiſcipulorum & commilitonum vulgò prædicant*, ut exempla virorum doctorum & fortium multa docent, niſi in genus vitæ prorſus diſcrepans tranſiiſſent. Quâ ſim ipſe conditione, neminem hîc fugit: ille dum vixit, à conſiliis fuit Patri patriæ, nec ultimo inter judices provinciales loco. Neque ignoras humaniſſimum virum Georgium Burcardum à Lippa, & à nobis coli, & mihi peramicum eſſe. In cujus rebus ſecundis & hoc ego numero, quod & litteris præditos in pretio habet, & Academiæ Juliæ vult, ut quiſ maximè. Hæc tibi commemoratio, HENRICE JULI WITERSHÆMI, amicitiæ non fucatis coloribus aſperſa, ſit pro priore parte gratulationis. Alteram expleant in iſta ſolennitate Nobiles convivæ precati vobis fauſta omnia, quæ

Digitized by Google

Sponſis novis lectiſſimis, & omni laude digniſſimis ſolemus. Adjeci verſibus, ab inſulano viſurgis veſtro honori ſcriptis, meos veteres, & Græcos, quibus de te primum in lucem edito Patri, & Latinos, quibus ex intervallo Socero tuo, tum Sponſo, hinc item gratulabar. Utrobique divinum me fuiſſe, amici dixerint, qui interſint hodie veſtris nuptiis. Vale. Helmſt. ex Acad. Jul. IIX. K. Octobr. cIↄ Iↄ CIX.

ERICO à VVALTHAUSEN in Munzel.

EPISTOLA XXVIII.

Mitto igitur ad te, Erice Walthuſi, ut juſſiſti, tuo bono, quod certò ſcio, & publico, quod neuter dubitare poſſumus, optimæ notæ carmina Joannis Caſæ: præterea ab eodem in latinam linguam converſas orationes hiſtoricorum principis. Hęc duo, quamvis diverſa, cur conjunxerim, etſi ſuſpicari ipſe potes, tamen

men tibi diligenter exponam, neque non quid utrinque expectes, expectent item alii, declarabo, neſcio, brevibusne opus ſit, an pluribus: agam, quomodo mihi videbitur, & uti potero. Ultra hoc namque nihil requires, atque ita tibi ſatisfactum putabis. Dicam de priore prius: feres, ut nota referam: nonnulla item, tum quę fortè alibi explicavi, tum, quæ attigerim, ut puto, & reliquerim. Prius non minus ipſe intelligis, quem litteris paullò profundius imbui decantant. Ajunt, nihil dulcius poëtica, eſſe ſolatium temporis, informationem morum, prudentiæ magiſtram, nec minus eloquentiæ. Sic & ipſe loqui ſoleo, proferens non mea, ſed deprompta è ſapientum ſuffragiis: ipſe huic ſententiæ ſubſcribo: addam vulgo minus cognitum: è doctrina, quæ eſt poëticæ, diſci, quam ſermonis cultores nominant orationem numeroſam. Qui namque quid inter hos & illos ſit differentiæ neſciunt, neque vitia vitare, neque concinnitatem invenire poterunt. Hoc ego nonnihil referre ipſe quoque dixerim, ſed alia magis eſſe præcipua aſſeverem, & demon-

monſtrem, ſi opus ſit. Etenim quod eſt omnium primum, argumentorum copiam poëtæ ſuppeditant: ſed & hoc relinquo, quando ex medio ſtudio ſapientiæ & hiſtoria ipſa, uti è Perſarum gaza peti poſſunt, & quare peti debeant, in promptu eſt. Exempla enim rectè docent, & ratio confirmat, illinc accepta omnia, quàm firmiſſimè. Itaque non inculcabo ex hoc genere ſcriptorum peti cognitionem omnium rerum incredibilem: dicam ex poëtarum lectione, magis etiam, ſi quis ſimul ſe ibi exerceat, parari verborum copiam, qua cultori eloquentiæ maximè opus eſt. Nam qui verſum pangit, neceſſe habet, omnia ſcrinia dictionum animo perluſtrare: inde ſeligat, quæ concinna ſint, & præſenti ſcriptioni conveniant, ut omnia ſint perſpicua, comta, quaſique poſita ante oculos. Hoc ſtudium id præſtat maximè, quod tibi non impero, tamen interdum colere ſuſpicor, ut in omnibus vitæ partibus elegantem juvenem. Ipſa autem accurata lectio multum item ad rem facit. Qui enim plurima legerit, multa etiam memoria comprehendit: quorum pleraque

que inter ſcribendum & orandum ultro ſeſe offerunt. De ſpectatiſſimis poëtis loquor, qui ſunt veteres, neque tamen omnes, quod è priſcis aliqui viles, & in optimis aliquando quid deſideres. Illi autem ſunt lectiſſimi, quos anni quidem, ſed commendat cumprimis ipſa bonitas: quibus recentium unum fortè atq; alterum annumerare non dubitem. Nam niſi hic, ut ſolemus homines, nimis me amo, hujuſmodi rerum cenſuram mihi non injuria arrogem. Talia ſunt, quæ Scaligeri, pater & filius, nobis reliquerunt: talia, quæ ad te mitto, ut fratres legatis, & veſtro beneficio alii magni ingenii & moribus politi juvenes. Caſæ ſcripta non laudabo impenſiùs, quę redolent vetuſtatem ſapientum: nihil in iis uſpiam infantiæ, nihil ſordium, nihil loquacitatis, quæ inſulſa congeries verborum eſt, nulla ſubjecta nobili ſententia. Exempla autem ſunt in his carminibus puræ & luculentæ orationis: ex uno epigrammate diſcas, quo ſcribendi ſtudio nihil ſit probius neq; præſtantius: ex oda quapiam, ut ſint inſectanda vitia, & carpendi etiam mali, citra contumeliam &

male-

maledicentiam: ex alia, ut virtus in cœlum tollenda, ut neque cuiquam aduleris, neque nugas agere videaris. Ex re litteraria ſit, ab eodem perfecta extare multò plura publicè: non legi hæc, quin relegerim: non legi, & relegi, quin & admirarer, & diſcerem, & viderem, quod me fugiſſet antea. Cæterum cum præter poëtas & oratores in manibus etiam hiſtorias te habere intellexerim, non ſolum hoc inſtitutum tuum mihi prædicandum ad te putavi, ſed depromendum ſimul aliquid, quo valde juvari te exiſtimem, fortè & ipſe & vos, & alios non parum juvero, vel magis excitaro. Fui in ea ſententia ferè ab initio, quam à doctiſſimis & vitæ peritiſſimis ſenibus maturè acceperam, principes eſſe hiſtoriæ præ aliis, quotquot eſſent, Thucydidem & Polybium, qui cum res geſtas, quas ſcribendas ſuſcepiſſent, veras exploratasque nos doceant, & omnibus ferè veſtigiis ſimul lectorem non ſomnolentum, excitent, ut alia deteſtemur, & procul fugiamus, alia admiremur & uſurpemus, quiſque ſibi, quo loco & tempore conveniat. In hac ſententia cum me per-

perpetua lectione & accurata inter legendum conſideratione confirmaſſem, ita ut ejuſdem auctor ſæpè fuerim optimis ingeniis, ecce hanc ipſam luculento ſcripto illuſtratam ab Iſaaco Caſaubono ſuperioribus diebus accepi, qua de re paullò poſt agam tecum hac epiſtola denuò. Prius te ſcire volo de interpretatione Caſæ, eam mihi commodam & bene Latinam item videri: certè palmam in iis in Latinum ſermonem convertendis præripuit aliis: idque fuit, cur ſubjungendas putaverim, nihil dubitans, earum lectionem vobis perutilem, & hoc erga vos veſtrique ſimiles officium, tibi cumprimis, gratum futurum. Caſaubonus autem, quem dixi, edidit Polybium, qui ante in multis minimè intelligebatur: ita ipſum Latinè reddidit, ut cum aliis omnibus, tum equeſtris ordinis juventuti, qui tantum ſcriptorem prius adſpicere non poterant, ſit obvius & facilis. Facile enim & hoc, à quo potiſſima difficultas ſemota eſt, ut in iis locis lux, à quibus craſſiores tenebræ depulſæ videantur. Neque enim nego nihilominus alicujus rem negotii futuram,

ram, etiamſi ille ſentes vepreſque exe-cuerit. Quid in univerſum præſtiterit, ex re ipſa videbis, & prius tamen cognoſces ex illuſtri illius ad Regem oratione: cognoſces, inquam, amplius, & quanta lux atque etiam dux vitæ ſit hiſtoria, & quomodo legenda, & quid quantumque conferat reductus in lucem, adeòque redivivus Polybius. Expeditiora tamen etiam erunt omnia legentibus ſimul ejuſdem commentarios, quorum editionem expectamus indies. Cum illis porrò Plutarchum conjungere te jubeam, ſcriptorem graviſſimum. Etenim & in vitis & in aliis monumentis animum accurati lectoris tum ad reliquam virtutem, tum ad prudentiam civilem item informat ſedulò. Ut autem non in uno, ſed ferè in omni genere ſtudiorum omnia tibi eſſent expeditiora, commodius ad hanc rem conſilium capere non poteras, quàm quod Jacobum Scottum in nobiliſſimi laboris ſocietatem adſciviſti. Quem ego longinquum è Scotia hoſpitem laudo & magni facio, quod cum ingenioſiſſimus juvenis ſingularem è patria eruditionem ſecum attulerit,

ætate

ætate majorum & præſtantium virorum cenſuras non adſpernatus, ab iiſdem conſilium cupidè petit, prorſus abhorrens à δοκησισόφων conſuetudine, qui cum pravè ipſi ſapiant, doctiorum ſententias cum contumelia repudiant. Et verò mihi plura in mentem ſuper utraq; re veniebant, quæ in unum locum neque debent neque poſſint congeri. Vale. Helmæſtadio ex Acad. Jul. Kal. Febr. cIↃ IↃ cx.

JOACHIMO GOETZEN in Ollenhuſen.

EPISTOLA XXIX.

PEr ipſum adoleſcentem Henricum Julium Jageman ad te ſcripſi, quod ſatis eſſe arbitrabar: ſcripſi per eundem ſuperiore menſe & ad collegam in curia tuum, Cl. Rhumannum. Nam Cl. Cludius, quod ad præſentem deliberationem, diſertè dixit, eam ſe nobis relinquere: hodie autem neque ab adoleſcente, neque à me con-

ſuli poteſt, quod non ob incognitum tibi infortunium hinc cum omni familia migravit in patriam, ut opinor. Primum à te, deinde à Rhumanno infecto negocio ad nos Jagemanniades rediit : de quo vellem fuiſſet à vobis tum conſtitum. In litteris ſe geſſit hactenus, ut probem, & habet etiam, à quo erudiatur & doceatur, juvenem, de quo & ante ad utrumque veſtrum ſcripſi, bono loco natum, juſtæ ætatis, pereruditum cum in litteris, tum in legibus, vitæ humanæ ſatis peritum, moderati animi, quem valde probo. Malit verò ſe in ſuperiorem Germaniam conferre. Quod ipſius deſiderium neque reprehendo, ſed potius ut abſque mora ſe in viam det, ſuadeo. Quod enim ex ædibus Cludianis contagium peſtilens irrepſit in viciniam illam, ex eo tempore in alias etiam vias irrepſit. Ut autem aliquamdiu Göttingæ hæreant, id neuter velit, neque expedit Jagemanno vivere in loco alieno à litteris: neque ſcio, ut inter fratres poſſit convenire. Quare rogat & exſpectat, ut quamprimum Altorfium verſus expediantur : quando illum locum probaſtis, quem

quem & ipſe probo, quod ibi & modeſtè vivitur, & diſciplinæ rectè diligenterque traduntur. Accedit, quod illic eſt noſtrâs, Cl. D. Rittershuſius, itemque alii mihi amici, & Norimbergæ Cl. Dn. D. Remus. Sin res differetur, juvenis aliò ibit: nec alium, tali ingenio aptum, facilè inveniemus. Cætera ex Jagemanni epiſtola accipies, qui proptereà miſit hominem, ut de veſtra voluntate fieret per eundem certior. De meis rebus hoc video mihi ſperandum, quod ſenibus, etiam optimè meritis, evenit à memoria hominum. Cum de bonorum benevolentia non dubitem, malevolentiam & ſiniſtra judicia aliorum mihi ſemper nocuiſſe memini; neque aliud futurum ſpero. Hoc fatum feram, utcunque potero. Vale. Helmſt. ex Academia Julia VII. Id. Sept.

HAJONI à NESSA,

JCto, & Oratori clariſſimo, aulici Megapolitani Senatus principi, & Cancellario.

EPISTOLA XXX.

NOtitiæ quam cum doctis, iisq; bonis viris paſſim gentium, tum coram, tum per litteras, ſive paucis compellatis, quos ſuſpicerem, ſive ab aliis ipſe compellatus, qui aliquo loco me haberent, contraxi ab adoleſcentia uſque: illius, inquam, notitiæ, quam neque falsò amicitiam dixerim, recordatione in rebus humanis nihil ferè mihi accidit jucundius, nec ferè alia re, potiore ex parte, mihi vivere viſus fui, atque etiamnum videor. Itaq; non ſolùm ex intervallo amicos libenter video, aut eorum litteras cum voluptate lego, ſed operam etiam do, ne quod hujuſmodi officiorum ſive ſtudiorum in me diu deſideretur. Quibus ipſis ſi hac

si hac ætate & invaletudine minus satisfacio, gratum tamen me facere cum sciam, scribo non quoties amici desiderent, aut ipse velim, tamen quoties per illa, quæ dixi, licet. Denuo tibi debeo, diutius, quàm oportuisse fateor. Ero igitur & hac de caussa paullò longior, & quia hæ publicè etiam legentur, qnod tu quoque æquo animo feres. In amicitiæ porrò cultu sępè respicio ad principium, & quę exinde secuta fuere, mutua studia huic generi amicitiæ convenientia & propria. Relinquimus enim commodis destinatam illis, qui eum potissimum finem colunt. Cum tu annis ante pluribus ex Academia Iulia istuc ad Varnum venires, in ipsis quasi foribus primę notitiæ nostræ multa me ad te diligendum invitabant, in consalutatione comitas, in moribus elegantia, in convictu suavitas, quæ omnia & doctrina m tuam simul repræsentabant, & animi integritatem, virtutum primarum certissimam internunciam, quam neque aberret, qui omnium apicem nominet. Sed mutuæ benevolentię utrinque simul initium datum, haud inficiandum existimem,

cum & tuum in me animum statim viderem, neque meum in te dissimularem: hæc igitur cum illis amicitiam inter nos constituit, quæ rectè coalesceret & firmitatem polliceretur. Itaque cum tu in Megapoli, tam in academia, quàm apud Principes maneres, ego huc migrarem, animis ex eo tempore unà fuimus: ex intervallis nos vidimus, litteris nos consalutavimus, cum sæpius quoque scripseris, quàm perpetuæ occupationes sinere videantur, ego otiosior à te superatus videri possim. Non in nulla re te consului. Memineris, ut olim hac transeunti Cl. Andreæ Mylii, soceri mei, vitam tibi legendam dederim; plerasq; videlicet paginas, quæ typis erant expressæ: edenda enim illa nondum putabam. Qua de re dum cunctantiùs delibero, alia atque alia me ab hac cogitatione & semiperfectis laboribus retinuerunt: calamitates domesticæ plures, aliæ academicæ, neque unius generis: neque leviter perturbarunt nos resque nostras motus in vicinia, quorum neque hodie videmus exitum. Tandem visum mihi fuit, hanc meam narrationem ad eos mittere, quibus deberi

bei potiſſimum ex eo tempore judicamus. Superiorum annorum hiſtoria, quam ego & Principum, & iſtarum nationum Megapol. & Academiæ inſerui, nemini poteſt eſſe gratior, neque aliis potius debetur, quàm Illuſtriſſimis Fratribus, Ducibus Megapol. filiis Joannis, Nepotibus Joannis Alberti. Avi autem eorum ſapientiſſimi ampliſſimas laudes cum nuſquam ſilentio prętererim, hic decantandas mihi ſumpſi, ſimulque plures, quibus Princeps ſapientiſſimus in aula & conſiliis uſus fuit, celebravi. Id conſilium, cum neque tu improbaris, exequor nunc demum: teque rogo, ut mea ſtudia deferas utriq; Principi, & Cl. Collegis tuis, qui illis à conſiliis ſunt: jubeas quoq; lucubrationis meæ exempla reddi & iis ipſis, & viris equeſtris ordinis, quotquot bona doctrina exculti ſunt: iis cumprimis, ad quos vitam Ducis Caroli miſi. Nec enim dubito, quin qualecunque illud munus meum, ab animo beneficiorum memore profectum, gratum quoq; illis fuerit. Et verò, dum iſtic vixi, dunque hic vivo, ſemper ſtudui, & ſtudebo porrò, pietatem mean

Digitized by Google

principibus, ſtudia mea probare Megapolitanis. Quod de meo animo, & Principibus & Proceribus rectè affirmare potes, utque hoc facias, quando in tempore fieri intelligas, te etiam atq; etiam rogo, non nova de me pollicens, ſed quæ ſemper ultrò præſtiti, & præſtare potero. Vale. Helmæſtadio ex Academia Julia. V. id. Sept.

cIↃ IↃ CXI.

IAN.

JO. CASELII EPISTOLARUM LIBER VII.

EPISTOLÆ AD JAGMANNOS.

Magnifico & Nobili Domino JOANNI JAGEMANN in Hardeſſen, Göttingen & Werroda, Cancell. Duc. Br. & Luneb.

EPISTOLA I.

SPes illa, quam nec ſine multa tamen formidine diu foveram, de vita cariſſimi filii, me, proh dolor, fruſtrata fuit. Ea me de cauſſa in incredibili do-

lore esse, non nego: nec potuit secus fieri; homo sum, pater sum; ille erat & filius mihi, & talis, qualem exoptaveram, jam ad virtutem & primarias litteras eruditus, ætate florens. Sed ab initio ab hac cogitatione ad labores me converti, & quibus diebus etiam vacatio datur, docui, interdum iterum insignem de exordio legum Platonis locum absolvi, cujus interpretationem, à me factam, tibi me missurum ad legendum aliquando scripseram: idque faciam, ubi ad finem perduxero. Divinitus scripta pleraq; tu quoque judicabis. In hoc luctu gravi inter sponte susceptos labores, aliæ quoq; curę me adficiunt privatæ & publicæ. Quæ ad Academiam pertinent, de iis unas atque alteras ad Dn. Othonem dedi, quas à te quoque, si paullum otii esset, legi me velle, ostenderam, & á quibus præterea vobis videretur. Jam non minus putidum librum edidit Pfafradius: sed hoc negotium relinquo in pręsentia. Exercent me & curæ domesticæ, nec unius generis: mitto cæteras. Malè me habet initio ita à quibusdam Collegis acceptum meum generum, ut appareat, nec eximiæ doctrinæ, nec mei rationem haberi. Qui autem cum eo contendebat

quaſi de caſſa nuce, ab aliis quoque confirmatus, adoleſcens in legibus verſatus, vitæ imperitior, & per ætatem, & quia litteras humanitatis ſubitò reliquit, ab initio de D. Theodoro hincinde conqueſtus fuit. Sed audi gravius: procum habebat ejus ſoror, Patricium Erfurdienſem, qui domi meæ vixerat; cum ille ex Italia reverſus huc non repentè advolaret, familia illa mihi meisq; cœpit maledicere: quo pacto, longum foret exponere. Tandem ut intellectum fuit à proci propinquo adveniente, me extra culpam eſſe, deſitum fuit: in ſuſpicione relinquebatur gener meus, quaſi de virgine ſcripſiſſet & dixiſſet, quę ne ſomniaſſet quidem. Ut de D. Theodori modeſtia & prudentia non dicam: quis niſi inſanus nuptialibus negotiis ſe ingerat? Non ſatis hoc: in convivio Doctorali, quod fuit pridie Kal. Decemb. Doctor S. potus impotenter maledixit D. Theodoro abſenti, ut gravius non potuerit, nec, monitus ab aliis aliquoties, finẽ maledicendi fecit: id neq; ad me, neq; ad ipſũ à quiquã referebatur. Interea ad juridicam proficiſcitur D. Theod. nihil aliud ſibi eſſe cũ D. S. quã de loco exiſtimans.

Itaque

Itaque à te conditionem propositam amplectebatur, si ille non cederet. Reversus cum de contumelia intellexisset, non statim reddidit litteras tuas Magnifico. Capiebat enim cum D. Cludio & mecum consilium, quid ageret; etsi per se intelligebat vindicandum sibi honorem. Dum ad adversarium mittit, in contumelia perseverantem, & libellum illum conficit; epistolam tuam apud se custodit: hanc demum ante paucos dies Magnifico, unàque accusationem reddidit. Hoc negotium, ut gravius, pendet: de loco, ut conveniret, nudius tertius de professoribus quidam apud Magnificum egerant. Accersitus alter, cum eo actum; negare initio visus fuit: auditus & gener meus; quæsitum ex eo, quid animi haberet: non dissimulavit, quo fuisset, cum à te discederet, nempè si ille cedere negaret, se consilio D. Cancellarii, quod idem & meum fuit, pariturum fuisse: nunc sibi non esse integrum; postquam insigni injuria in publico convivio ab illo esset affectus. Ita domum rediit gener meus. Quid collegæ cum Doctore S. egerint, non quæsivi:

sivi: sed intelligo, qui locus D. Theodoro à Reverendissimo datus & à Consistorio ostensus fuisset, de eo amplius nihil moturum, & cessurum. Has ad te nugas perscribere me piget: quas & te pigebit legere: sed propterea exponenda hæc res tibi fuit, ut gesta est: ut si fortè adversarius, aut qui ei volent, aliter hæc narrent: scias nihil fuisse factum à D. Theodoro contra modestiam, usumque in ea re & D. Cludii & meo consilio. Dolet autem gener magnopere, se pertrahi in litem longè graviorem: sed aliquando alter intelliget, quod fortè jam sentire cœperit, contumeliam in innocentem non impunè dici. Vellem, & auctor sæpè fui Doctore S. ut studia humanitatis simul coleret, aut non ita repentè omitteret. Quanto melius poneretur utrique hora, quam ego scriptioni, tu lectioni hujus epistolæ, impendimus? Sed vos talium negotiorum non estis insolentes: quin pleraque inter homines sunt talia. Quare facilius importunitati huic meæ ignosces. Vale. Helmæstadio ex Academia Julia XIV. Kal. Febr. clɔ Iɔ IIIc.

EIDEM

EIDEM.

EPISTOLA II.

EXemplar illius scidæ, cujus mentionem feci, totum diem in chartis meis frustra quæsivi, etsi non periisse prorsus mihi persvadeo: Soleo enim ejusmodi diligenter servare: sed præ nimia diligentia interdum talia amittimus, sive ita recondimus, ut cum depromere velimus, minus in promptu habeamus. Scripseram autem in hanc sententiam: Cogi me ob tenuitatem rei familiaris ad Reverendissimi & Illustrissimi Ducis nostri benignitatem confugere, ne omnem de liberis curam abjecisse videri possim: esse autem me exhaustum sumptibus, quos fecerim in res necessarias, didicisse tot annorum spatio; hic esse majorem annonæ caritatem, quam ibi sit, ubi ante vixerim: nihil accedere aliundè, de meo mihi fuisse adjiciendum quotannis ad mercedem annuam, quantumvis liberalem: grave inprimis esse, quod magno habitem in domo conductitia, cum illic domum meam

am habuerim, neque eam nunc habeam: nulla re magis mihi opus esse, tum ut hac ætate quasi nidum habeam, tum ne, me decedente, liberi mei uxorque extorres habeantur, sive videantur: permittere me omnia Reverendiss. Illustrissimæque ipsius Celsitudini, nec dubitare, quin mei sive potius meorum, rationem habitura sit. Potius pauciora scripseram, quam plura, è quibus facilè appareret, quid mihi meisq; opus esset. Cum autem, ut dixi, Lippa scripserit, Reverendissimum & Illustrissimum, ubi in istam aulam divertisset, ad petitionem hance meam animi sui sententiam declaratu- um, facies quod te rogavi, tuque mihi eramicè & prolixè promisisti, & Reveendissimam Illustrissimamq; ipsius Cels. nonebis, & ubi quo inclinet, animadvereris, totum negotium promovebis. Sanè neum non est, quidquam præscribere: d quia, cum nihil certi petitur, sæpè res ilatione etiam dilabitur, aperiam tibi, uid optem, sive obtingere mihi, hoc est eis, posse sperem. De ædibus D. Clami agetur commodissimè: atq; is se mi- præbebit æquissimum: immò ejus jam imum exploratum hac de re habeo:

æquas

æquas conditiones nullas recusabit: nec presentes nummos urgebit. Res erit vel magna vel parva, prout Principi videbitur: sanè tanti est, ut ego meo ære eam domum meam facere non possim: non ita sum impudens, ut vel tantum vel certi aliquid in hos usus petam: quidquid proficiscetur in me meosque liberalitatis, gratus accipiam. Non futurum autem nihil, scio, tum quia benignè responsum tum fuit, tum quia hoc loco ita consenui, ut aliò cogitare & absurdum & in patriam impium, & in tam beneficum Principem ingratum sit. Cum hucusque scripsissem, mihi in mentem venit supplices litteras alias, item breves conscribere, atque ita feci, easque ad te mitto, tibique permitto, reddasne, an non. Tu enim ingenium τοῦ Ἀρχοντος, si quisquam alius pernovisti: ego nec flagitare, nec postulare videri debeo. Peto enim: neque hoc facerem, si ulla alia ratione possem emergere: invitum me ad talia accingi octo anni testes sunt: affirmo tibi acerbum animo meo, quod me nunc facere compellit non levis necessitas. Cum viderim Reverendissimum con-

conficere συγγράμματα πολιτικὰ, quæ olim veluti προλεγόμενα compoſueram, erui è chartis meis: relegi hoc menſe, & non quidem perpolivi id opuſculum, ſed in pluribus locis correxi. Conjeci autem exemplum diligenter deſcriptum in hunc faſciculum: quod prout videbitur tibi, ſive ſtatim, ſive ex intervallo, [judicabis enim, quando id rectè fiat] reddes Reverendiſſimo. Contuli in libellum ex Platone & aliis, quæ ad rem faciant: neque non in manibus ſimilia nunc habeo: in quibus eſt, cujus ad te aliquando memini, prooemium Platonis. Locus item quidam itidem illuſtris ex mediis ejuſdem libri de republica, perfectus pridem à me, ſed non deſcriptus. Velim Reverendiſſimam Illuſtriſſimamque ipſius Celſitudinem legere Imperatoris M. Antonini, dicti Philoſophi libros, quos ad ſe ſcripſit. Perdifficiles paſſim ſunt intellectu, de quorum primi declaratione diu cogitavi, & ſi erit otium, tentabo, quid in eo poſſim. Solebam ita longas ad Dn. Othonem dare, nunc ejus valetudini parco magis, quam tuis occupationibus, quas neque interpel-

principibus, studia mea probaro Megapolitanis. Quod de meo animo, & Principibus & Proceribus rectè affirmare potes, utque hoc facias, quando in tempore fieri intelligas, te etiam atque etiam rogo, non nova de me policens, sed quæ semper ultrò præstiti, & præstare potero. Vale. Helmæstadio ex Academia Julia. V. id. Sept. cIↄ Iↄ CXI.

JO. CASELII
EPISTOLARUM
LIBER VII.
EPISTOLÆ
AD
JAGMANNOS,

Magnifico & Nobili Domino
JOANNI IAGEMANN in
Hardeſſen, Göttingen & Werroda, Cancell. Duc.
Br. & Luneb.

EPISTOLA I.

SPes illa, quam nec ſine multa tamen formidine diu foveram, de vita cariſſimi filii, me, proh dolor, fruſtrata fuit. Ea me de cauſſa in incredibili do-

lore esse, non nego: nec potuit secus fieri; homo sum, pater sum; ille erat & filius mihi, & talis, qualem exoptaveram, jam ad virtutem & primarias litteras eruditus, ætate florens. Sed ab initio ab hac cogitatione ad labores me converti, & quibus diebus etiam vacatio datur, docui, interdum iterum insignem de exordio legum Platonis locum absolvi, cujus interpretationem, à me factam, tibi me missurum ad legendum aliquando scripseram: idque faciam, ubi ad finem perduxero. Divinitus scripta pleraq; tu quoque judicabis. In hoc luctu gravi inter sponte susceptos labores, aliæ quoq; curę me adficiunt privatæ & publicæ. Quæ ad Academiam pertinent, de iis unas atque alteras ad Dn. Othonem dedi, quas à te quoque, si paullum otii esset, legi me velle, ostenderam, & á quibus præterea vobis videretur. Jam non minus putidum librum edidit Pfafradius: sed hoc negotium relinquo in pręsentia. Exercent me & curæ domesticæ, nec unius generis: mitto cæteras. Malè me habet initio ita à quibusdam Collegis acceptum meum generum, ut appareat, nec eximiæ doctrinæ, nec mei rationem haberi. Qui autem cum eo contendebat

quaſi de caſſa nuce, ab aliis quoque con-
firmatus, adoleſcens in legibus verſatus,
vitæ imperitior, & per ætatem, & quia
litteras humanitatis ſubitò reliquit, ab
initio de D. Theodoro hincinde con-
queſtus fuit. Sed audi gravius: procum
habebat ejus ſoror, Patricium Erfurdi-
enſem, qui domi meæ vixerat; cum ille
ex Italia reverſus huc non repentè advo-
laret, familia illa mihi meisq; cœpit ma-
ledicere: quo pacto, longum foret expo-
nere. Tandem ut intellectum fuit à proci
propinquo adveniente, me extra cul-
pam eſſe, deſitum fuit: in ſuſpicione re-
linquebatur gener meus, quaſi de virgi-
ne ſcripſiſſet & dixiſſet, quę ne ſomniaſ-
ſet quidem. Ut de D. Theodori mode-
ſtia & prudentia non dicam: quis niſi in-
ſanus nuptialibus negotiis ſe ingerat?
Non ſatis hoc: in convivio Doctorali,
quod fuit pridie Kal. Decemb. Doctor
S. potus impotenter maledixit D. The-
odoro abſenti, ut gravius non potuerit,
nec, monitus ab aliis aliquoties, finē ma-
ledicendi fecit: id neq; ad me, neq; ad ip-
ſū à quiquā referebatur. Interea ad juri-
dicam proficiſcitur D. Theod. nihil aliud
ſibi eſſe cū D. S. quā de loco exiſtimans.
Itaque

Itaque à te conditionem propositam amplectebatur, si ille non cederet. Reversus cum de contumelia intellexisset, non statim reddidit litteras tuas Magnifico. Capiebat enim cum D. Cludio & mecum consilium, quid ageret; etsi per se intelligebat, vindicandum sibi honorem. Dum ad adversarium mittit, in contumelia perseverantem, & libellum illum conficit; epistolam tuam apud se custodit: hanc demum ante paucos dies Magnifico, unàque accusationem reddidit. Hoc negotium, ut gravius, pendet: de loco, ut conveniret, nudius tertius de professoribus quidam apud Magnificum egerant. Accersitus alter, cum eo actum; negare initio visus fuit: auditus & gener meus; quaesitum ex eo, quid animi haberet: non dissimulavit, quo fuisset, cum à te discederet, nempè si ille cedere negaret, se consilio D. Cancellarii, quod idem & meum fuit, pariturum fuisse: nunc sibi non esse integrum; postquam insigni injuria in publico convivio ab illo esset affectus. Ita domum rediit gener meus. Quid collegae cum Doctore S. egerint, non quaesivi:

ounes

sivi: sed intelligo, qui locus D. Theodoro à Reverendissimo datus & à Consistorio ostensus fuisset, de eo amplius nihil moturum, & cessurum. Has ad te nugas perscribere me piget: quas & te pigebit legere: sed propterea exponenda hæc res tibi fuit, ut gesta est: ut si fortè adversarius, aut qui ei volent, aliter hæc narrent: scias nihil fuisse factum à D. Theodoro contra modestiam, usumque in ea re & D. Cludii & meo consilio. Dolet autem gener magnopere, se pertrahi in litem longè graviorem: sed aliquando alter intelliget, quod fortè jam sentire cœperit, contumeliam in innocentem non impunè dici. Vellem, & auctor sæpè fui Doctore S. ut studia humanitatis simul coleret, aut non ita repentè omitteret. Quanto melius poneretur utrique hora, quam ego scriptioni, tu lectioni hujus epistolæ, impendimus? Sed vos talium negotiorum non estis insolentes: quin pleraque inter homines sunt talia. Quare facilius importunitati huic meæ ignosces. Vale. Helmæstadio ex Academia Julia XIV. Kal. Febr. clɔ Iɔ IIIc.

EIDEM

EIDEM.

Epistola II.

EXemplar illius scidæ, cujus mentionem feci, totum diem in chartis meis frustra quæsivi, etsi non periisse prorsus mihi persvadeo: Soleo enim ejusmodi diligenter servare: sed præ nimia diligentia interdum talia amittimus, sive ita recondimus, ut cum depromere velimus, minus in promptu habeamus. Scripseram autem in hanc sententiam: Cogi me ob tenuitatem rei familiaris ad Reverendissimi & Illustrissimi Ducis nostri benignitatem confugere, ne omnem de liberis curam abjecisse videri possim: esse autem me exhaustum sumptibus, quos fecerim in res necessarias, didicisse tot annorum spatio: hic esse majorem annonæ caritatem, quam ibi sit, ubi ante vixerim: nihil accedere aliundè, de meo mihi fuisse adjiciendum quotannis ad mercedem annuam, quantumvis liberalem: grave inprimis esse, quod magno habitem in domo conductitia, cum illic domum meam

am habuerim, neque eam nunc habeam: nulla re magis mihi opus esse, tum ut hac ætate quasi nidum habeam, tum ne, me decedente, liberi mei uaique extorres habeantur, sive videantur: permittere me omnia Reverendis. Illustrissimæque ipsius Celsitudini, nec dubitare, quin mei sive potius meorum, rationem habitura sit. Potius pauciora scripseram, quam plura, è quibus facilè appareret, quid mihi meisq; opus esset. Cum autem, ut dixi, Lippa scripserit, Reverendissimum & Illustrissimum, ubi in istam aulam divertisset, ad petitionem hanc meam animi sui sententiam declaratu-'um, facies quod te rogavi, tuque mihi ›eramicè & prolixè promisisti, & Reve-endissimam Illustrissimamq; ipsius Cels. nonebis, & ubi quo inclinet, animadver-eris, totum negotium promovebis. Sanè ıeum non est, quidquam præscribere: :d quia, cum nihil certi petitur, sæpè res ilatione etiam dilabitur, aperiam tibi, ıid optem, sive obtingere mihi, hoc est eis, posse sperem. De ædibus D. Clam-i agetur commodissimè: atq; is se mi-præbebit æquissimum: immò ejus jam imum exploratum hac de re habeo: æquas

conficere συγγράμματα πολιτικά, quæ olim veluti προλεγόμενα compoſueram, erui è chartis meis: relegi hoc menſe, & non quidem perpolivi id opuſculum, ſed in pluribus locis correxi. Conjeci autem exemplum diligenter deſcriptum in hunc faſciculum: quod prout videbitur tibi, ſive ſtatim, ſive ex intervallo, [judicabis enim, quando id rectè fiat] reddes Reverendiſſimo. Contuli in libellum ex Platone & aliis, quæ ad rem faciant: neque non in manibus ſimilia nunc habeo: in quibus eſt, cujus ad te aliquando memini, prooœmium Platonis. Locus item quidam itidem illuſtris ex mediis ejuſdem libri de republica, perfectus pridem à me, ſed non deſcriptus. Velim Reverendiſſimam Illuſtriſſimamque ipſius Celſitudinem legere Imperatoris M. Antonini, dicti Philoſophi libros, quos ad ſe ſcripſit. Perdifficiles paſſim ſunt intellectu, de quorum primi declaratione diu cogitavi, & ſi erit otium, tentabo, quid in eo poſſim. Solebam ita longas ad Dn. Othonem dare, nunc ejus valetudini parco magis, quam tuis occupationibus, quas neque interpel-

landas putarem, nisi me necessitas quodammodo cogeret. Sed fretus tua integritate & singulari in me benevolentia, proximè in sinum tuum omnia effudi, quæ in mentem veniebant: neque in litteris quidquam dissimulo: ad eam rem si mihi venia petita opus est, omnem ludo operam. Non enim ultrò tantum mihi ignosces, sed etiam efficies, ut tibi de effecto negotio gratias agam, dabitur à me contra sedulo opera, ut intelligas, me de referenda laborasse, nec dubites, quin, quantum debeam, habeam omninò. Vale. Helmst. V. Kal. Jun. cIɔ Iɔ IIIC.

EIDEM.

EPISTOLA III.

Litteras tuas, quibus mihi mandatum Illustrissimi περὶ παιδαγωγοῦ exponis, heri domum meam misit D. Cludius. De negotio autem ipso, nempe de educatione Princi-

pis

pis Fridericij, jam ab aliquot annis cogitaveram: etiam hoc, cui tandem id muneris rectè commendaretur, Filium autem meum, Joannem Ullricum, natu majorem, ita educaveram, & iis moribus, eaque doctrina imbueram, ut aliquando tale munus obiret. Poſtquam autem, quæ huc pertinent, omnia paraverat, (niſi fortè judicio de filio paterna benevolentia labitur) aut certè fundamentum vitæ doctrinæque jecerat: ex hac mortali vita, Deo ita volente, decedens, mihi incredibile & ſempiternum ſui deſiderium reliquit. Latinè ſcribebat commodè, Græca intelligebat, Italicè loquebatur, initia Gallicæ linguæ didicerat, Hiſpanicâ delectabatur, cui etiam in diuturno morbo operam dabat: principia bonarum artium acceperat, in quibuſdam proceſſerat. Animi erat ea, quam volebam, integritas, alienus à voluptatibus, & mulierum conſuetudine, in victu nemini incommodus, & ſine acerbitate urbanus: eâ denique prudentiâ, quam in juvene requireret. Namque de multis rebus, cum ex Italia rediiſſet, cum eo contuli. Verum cum jam ſoli-

dam lætitiam ex tali filio caperem, ipsius obitus me in gravissimum luctum conjecit, cujus reliquias etiamnum concoquo. Erat etiam ea ætatis maturitas. Verum de eo, qui inter mortales non est amplius, frustrà nunc conqueror. Minoris filii (agit autem hodie annum XXIII.) nec ea est ætas, neque dum is profectus: ad tale tamen munus biennio triennio ve maturesceret. Habet enim jam nonnulla , quæ ad eam rem pertinent. Namque ex iis, quos deligerem, morum puritate, suavitate & elegantia cæteros facilè superat: probitate & integritate animi & fide æquat: item modestiâ: à consuetudine multorum ac præsertim luxu perditorum abhorret, paucorum æqualium, in quibus est modestia & amor literarum, fruitur. Incipit igitur sapere, sed hoc tempore isti muneri idoneus non est: de quo tamen quid quantumq; brevi sperandum sit, non velim ignorare Illustrissimum. In Latinis scribendis, Græcis intelligendis, principiis artium discendis exercetur, & pro mediocritate ingenii proficit. Nihil igitur adhuc de re, de qua tamen valde sollicitus

licitus circumſpicio, reſpondeo. Quos ex omni parte probem, non facilè invenero. Idem mihi evenit ſub ver ſuperius: namq; Elector Brandeburgicus per epiſtolam à me flagitabat juvenem, quē alicui ſuorum, fratrumne an filiorū præficeret. Cum nemo eſſet, cui ego tantum negotium crederem, egoq; de perſona qualificata, ut vulgò loquuntur, quærerem, alii obtruſerunt qualeſcunque alios: nullo autem cōmodo Principum, ut amici ad me deinceps ſcripſerunt. Quid enim de hac Pædagogia videat aliquis Medicinæ aut Theologiæ ſtudioſus de vulgo, aut vulgariter eruditus, vitæ communis imperitus? Singulari doctrina & ſingularibus item moribus tales erudiri oportebat: ad quem modum nemo ferè erudiri vult. Domi meæ habeo duos juvenes, litteris eruditos egregiè, quorum noviſti alterum: qui tuos & Dn. Gœzii filios anno ſuperiore erudiebat: ſed non eſt in eo is animus, non ii mores, nec vitæ peritia, nedum prudentia, quantum & in munere & in aula opus eſt: ſed probus tamen & integer, & diligens, & mo-

destus, qui nostra consuetudine magis expolietur. Alter est item Verdensis aliquot illo annis major, Magister Rudolphus Diepholdius, honesti viri filius: ejus enim pater & ipse litteratus à secretis est civitati Verdensi. Rudolphus mihi jam ante annos duodecim Rostochii operam dedit: huc me secutus plurimum profecit. Sunt enim Peparinus, Diepholdius, & Nendorfius Poëtis nostris, ut ego sentio, neutiquam inferiores. Iidem & solutam orationem scribunt probam, & quotidie multum proficiunt in studio eloquentiæ: nec minus Græcos, quam Latinos autores legunt, nec ullam partem Philosophiæ, si modo hujus nomen ferri potest, negligunt, in multis eximiè profecerunt. Verum ut potissimum de M. Diepholdio loquar, integer est & diligens, probis moribus, nec nullius, quod ad docendum, consilii, & spectatus in eo genere. Scire te arbitror, Reverendissimum, Illustrissimum, misisse domum meam [jam annus est tertius] Laurentii Phlugii Præfecti militum filium Julium Phlugium Belgam, quem cum viderem esse magni ingenii, præfeci

præfeci Julio Diepholdium, suffragante Illustrissimo, qui illum fideliter docuit ab eo tempore, jamque adolescens in multis, ac præcipuè in Latinis Græcisque litteris ita profecit, ut suo Marte rectè pergat meum sequens consilium. Verum de Julio brevi ad Illustrissimum mihi seorsim scribendum est. De Magistro vestrum porrò erit judicium: Ejus est matura ætas, humanus sed gravis idem, & quod ad id negotium satis severus: nec in longinquis regionibus, nec in regiis vixit. Intelligis cætera. Ego autem ad te potissimum scripsi. Namque ita loquaces litteræ ad Illustrissimum mittendæ non videbantur. Tui erit judicii, utrum omnia an aliqua referas, an me doceas, quid ex his quomodo ipsius Celsitudini meis litteris narrem. De omni autem Principis Friderici educatione præterea cogitabo sedulò. Vale.

Helmstadii septimo Cal. Febr. anno millesimo undesexcentesimo.

Digitized by Google

EIDEM.

EPISTOL. IV.

MAGNIFICE, Nobilis, Clariſſimeq; Dn. Cancellarie, amice pl. col. poſtridie ejus diei, quo tuæ mihi reddebantur, reſcripſi, & quidem ad te. Neſcio enim qua conjectura ductus, te domi adhuc eſſe credidi. Nec etiam decere arbitrabar, ut litteras tam loquaces ad Principem mitterem. Vix tamen ſuccinctius cogitationes meas exponere potuerim, ſiquidem hoc accuratè faciendum erat. Fuit autem neq; familiarium quiſquam, neque tabellarius intereà, qui iſtuc iret tam tempeſtate adverſa & tam altis nivibus. Nec deinceps apud me deliberare deſii, ſi quid viderem rectius. Nihil invenio aliud, ſive neminem omnium, de quo ita ſentiam, uti de illis ipſis: quos tibi ſic commendo, ut ſapientiſſimo Principi porrò mea fide,

ide, ſi velis, tradas: quod te de primis
luobus facturum fuiſſe ultrò, ſatis certò
cio, cum unus, non meus ſolùm ſit, ſed
go ipſe, ac proinde tuus. Minimum in
o eſt, quod tamen ætatem ornet, tibi
uoque notum, ut puto, ut ad artifices
roximè accedat. Nec enim artem
uamvis ingeniolam & ſuavem, adfectat,
ec eum affectare ipſum velim: propo-
itam enim habet ſibi metam, ad quam
e voluntate ductuque meo major natu
cceſſerat: qui ſi viveret, & ipſe viverem,
c cætera, quæ me hodie alieno tempo-
e exercent, animo non paullò æquiore
errem: quas tamen contumelias, quia
arum falſitas evidenter apparet bonis,
occi, ac ne flocci quidem facio: tantum
oleo, meliores meas operas toto anno
terruptas. Secundus utriuſque eſt, cu-
s litteræ, probitas & fides utrique ex-
lorata ſunt. Tertium non noveris; de
uo mihi credas: ſunt mea, tuq; eſſe
omperies, quæ dixi, quæ prima ſunt: &
ortè cætera ſibi non magno negotio
omparet: neceſſaria illa quidem,
ed multo minora: quæ videlicet

abſque illis, etſi quibuſdam adjumento ſunt, tamen ſæpè fallunt, & interdum, quos altiore loco conſtituunt, de eodem facilè præcipitant. Sed hunc ipſum in Græca epiſtola ad Julium Principis alumnum non falsò laudavi. Nec debeo præterire, quod Geographiæ ſtudioſus eſt, & in hiſtoria multum profecit: adde, quod & memoria & judicio valet. Semel Argentinam ſcripſi. Peparinus ad me quaternas dedit: bis ſcripsêre veſtri filii: reſcribam, cum paullulum habebo otii. Vale. Helmſt. ex Ac. Jul. XII. Kal. Febr. milleſimo undeſexcenteſimo.

EIDEM.

EPISTO. IV.

UT ſalutem à prætereunte, ſic velim accipias meas literas, jam ferè quotidianas, hoc eſt, abſque moleſtia. Ego enim, quibus abundas, augére neque debeam, neque velim. Et ſi faciam, invitus profectò & non

Digitized by Google

non niſi neceſſitate, nec ea qualibet faciam. Nunc autem nulla nova eſt; ſed erat occaſio mittendi. Habebat ante aliquot dies orationem Melanchthonis in officina Cornelius. Prooemium ſcripſit, poſtquam paſquillus allatus eſt. Quod quomodo probaturi ſitis, dubito, quin rectè fecerit, nullus dubito. Nec enim quod prima lex jubet, ut à capite vim, à fama calumniam propulſemus, id rectè vetabit aliqua altera, aut ego incipiam prorſus nihil jam intelligere. Nam illi qui docent nos alteram malam percutienti obvertere debere, rectè quidem docent: ſed ipſi nos primi colaphis cædunt, ut ἀντικολαφίζειν, ſi in cæteris falſum ſit, adverſum hos juſtius nihil inveniri poſſit. Et quidem hæc ridens cum aliqua indignatiuncula. Vale. Helmſt. V. Kal. Maj. cIↄ Iↄ c.

E I D E M.

Epistola VI.

ANte Kal. Jun. jam operæ abſolverant τὸν εὐγενῆ: ego verò exempla non miſi. Scribam enim, te eſſe occupatiſſi-

tiſſimum, & ut plurimum abeſſe in legationibus. Et dederam Typographo aliam meam lucubratiunculam, in qua corrigenda vel recudenda magnam partem dici eram. Quædam enim conſcripſeram προλεγόμενα Politicorum: ea ſub incudem revoco. Hujus autem exempla libelli de Nobilitate prima ad te mitto quinquaginta: nemini hactenus ullum dedi: deinceps & familiaribus impartiam. Nec enim me libelli pudet, nec conſilii pœnitet: nec metuo ſannas calumniatorum, ac ne curo quidem. Sic enim ſcripſi & cætera & de te, ut ſentio: & ſcio, te eundem futurum, qui fueris hactenus, imò te ipſo ſemper præſtantiorem: nec te facio Deum, ſed ut de viro magno loquor: etiam intra leges demonſtrativas ita me continui, ut non tam laudatio, quam teſtimonium ad longinquos & ad poſteritatem videri poſſit & eſſe debeat. Sed ego neque opellam meam, neque curam diligentiamve tibi commendabo. Alteram autem epiſtolam, manu amanuenſis deſcriptam eò confeci, ut, ſi tibi idem videretur, legerent iſtic & alii. Vide-

bunt

bunt nec te expetiſſe tale quippiam, quod ego non prætereundum exiſtimavi, & me meo conſilio uſum, quod rectum eſſe non dubito, & liberum eſſe debuit. Atque hæc hactenus. Tu autem excipies meum ſtudium non aliter, quam ſignum non mei ſolum, ſed etiam μϰσῶν grati in te animi: nec te precibus obtundo, ut meorum, quoad rectè fieri poteſt, rationem, cum erit occaſio, habere pergas. Alia enim conditione nec tu quidquam facies, nec debes, quæ tua eſt integritas, nec ego rogo, nec rogare debeo, ut me quoque in hoc integrum ſervem: quod in omnibus me ſemper feciſſe, locuples mihi ipſe teſtis eris. Et te de alia remuneratione cogitare veto: unum tamen eſt, quod te rogare valde neceſſe habeo. * * Narrabo negocium tibi notum. Es weiß ſich E. Magn. zu erinnern / waß Reverendiſsimus Illuſtriſsimus mir zum Anzug für Begnadung offeriret und verſchrieben / und wie ich alsbald die Helffte darauff empfangen / ſolte die andern tauſend exeunte anno quinto empfangen. Ex eo tempore tot obſtiterunt & priva-

ta &

ta & publica mala, interdum aliquid boni, ut jam summam non acceperim, nec fuerit, per quem peterem. Erat morbus meus tam gravis, acerbissima mors filii, trium annorum pestis & dysenteria, ut silentio premam διαβόλου negocium, quod durat mensem nunc trigesimum. Locutus quidem fui de re mea cum Dn. Othone, cum adhuc valeret, sed leviter: ab eo tempore, nec ejus, nec cujusquam rei ad ipsum mentionem feci: ac ne de istius quidem filiis consilium capere potui, ut volui, plurimumque referebat. Cum viderem tuas occupationes perpetuas, te interpellare non potui: nec debui postea, quia & agebas & transigebas de domo Clampiana. Cogitabam posse mihi & velle commodare Dn. Gœzium. Itaque rem omnem ei narravi, & misi diplomatis exemplum, ferè abhinc biennio, sed cum ex eo tempore mihi videre non contigit. Cum autem procul habitet, & rarò ad Illustrissimum veniat, hoc consilio mihi amplius utendum non putavi. Quem verò alterum convenirem eo nomine? nemo mihi occurrit; nisi tu ipse, etiamsi negociorum tuorum mo-

nolem semper extimescam : sed tandem ipsa necessitas me audacem facit. Aliam mihi modo à te rependi gratiam nolo ; hanc obnixè peto. Ut autem occasionem non levem ad negotium habeas, inscribam ejus Reverendissimæ, Illustrissimæ Celsitudini libellum, quem προπολιτικὸν nominavi : decem quaterniones expressi sunt, quæ est altera lucubratiunculæ pars. Namque erunt fortè xx. aut xiix. minimumque quaterniones. Interea quæso cogitationem de hac petitione suscipe. Si quid obiter possis, ut aliquid facias, aut ad rem viam munias, te moneri aut rogari necessarium non arbitror. Vale vir integerrime. Helmst. ex Acad. Jul. proprid. D. Joannis Baptistæ cIɔ Iɔ c.

EIDEM.

Epistola VII.

IDibus Novembris discessit Princeps JOANNES, revocatus in Daniam à Rege Fratre: ego tum consilium cepi de reditu in Academiam ; præsertim cum

cum intellexissem, in vicinia mea nihil esse amplius contagii, sed in duabus tribusve obscuris viis, ante tamen, quam domum redirem, proficisci huc visum filios vestros & meum decreveram. Itaque reculis meis Schœningæ compositis, nudius tertius huc veni; valentes, alacres, & in officio inveni omnes: quo nomine Deo immortali gratias meritò agimus. Heri me Cancellarius D. Paurmeisterus accivit in Blanckenburgk, ibique me teneri passus fui: hodie prima luce huc me retuli, ut plenius de studiis puerorum cognoscerem, & porrò constituerem: in eo ipso eram, cum tabellarius à te nos interpellavit. Ei festinanti hasce breves ad te dedi, Scœhningâ de singulis scripturus uberius: quo cras revertar, ac triduo quatriduove domi ero. Filius meus à me contendit, ut mecum in Academiam redeat: quem tamen nunc non reduco, cum contagium sæpè variarit, modo se abdiderit, à paucis diebus iterum eruperit. Quod si ipse videbo, minus esse periculi, hoc eum mense revocabo ad me, cum neque in altero, neque in hoc loco ei commoditas sit ad perse-

quenda

uenda studia: adde quod meo ductu ac quotidiano consilio in litteris ipsi opus est, Filii vestri recte erudiuntur & educantur: sunt loco hactenus non solum à periculo sed etiam à metu periculi & fama contagii semoto. Cum Helmstadii omnia iterum erunt integra, faciam vos certiores, id est, te si domi sis; sin absis (forte enim ablegabere ad Comitia) Dn. Köningium. Tum porrò quid fieri velitis, jubebitis. Has subito dictavi, alteras daturus Schœninga, si quid hic forte præterierim. Vale ex Michelstein. Kal: Xbr. clↄlↄc.

EIDEM.

Epistola VIII.

TErtio abhinc mense ex aula abiens, te verbo salutatum domum tuam veni te aliqua de re monitum: rectè cogitaveram de scida, quam tuis ad te darem, si aut curiam adscendisses, aut esses in arduis negotiis domi. Ex ea, quid vo-

luerim, immò quid velim, & rogem, & contendam abs te, videris: nempe id, quod facies libenter, de quo, ut mihi de tua bonitate & ſtudio erga hominem polliceor, cogitaris. Quæſo eam cogitationem ne deponas antè, quàm hoc effectum reddideris, quod tibi rectiſſimum eſſe videbitur. Vides, quantum mihi de tua fide perſuadeam: cauſſam habeo, ſive argumentum certiſſimum, quod videlicet in rebus meis te perſpexerim *γνήσιον καὶ ακίβδηλον*. Nec umquam me movit mora, quamquam mihi moleſta eſſet & gravis. Itaque non deſtiti quaſi machinas adhibere: id in hoc, non meo negotio quoque faciam, niſi præciſè nobis omnia negaris, quod, ſi intimos animi tui ſenſus rectè novi, non facies. Ad tuos venio ſive veſtros, qui obruere me ſolebant litteris, & ſcribendo ſuperare: iis ego manus dediſſem, ſi contrà meas flagitaſſent: paucis reſpondebam, unde ſuas mihi gratas cernerent. Nunc altum inter nos ſilentium: unde conjicio, tranſiſſe jam in Galliam. Nec enim voluntati veſtrâ oblu-

obluctari voluerit Peparinus, cui hoc ipſum erat conſultius, in quo nobis tergiverſari creditus fuerat. Fortè jam ſunt apud te à tuis ad me litteræ: verùm quicquid habes, fac, ut ſciam: tibi ſi minus vacat, amanuenſis tuus verbis tuis me doceat, quæſo. Cum me obſervent, & vos & ipſos ſcire volo, hærere mihi eos in intimis medulis, ut dicitur. Generum tuum neque coram conſolabar, in vulnere tam recenti & profundo: neque nunc id facio: quamquam ad eum ſcribo, & jubeo aliunde animi firmitatem & tranquillitatem petere: à te, ab aliis, à ſemet ipſo quoque. Poterit autem, qui non ſolum illa diſputatorum de jure volumina, quæ ipſi deponere de manibus nullo die licet, & vos in plerisque negotiis ſpectare oportet, lectitat, ſed ſumma quoq; diligentia legit hiſtorias, alios item politicos & ethicos. Hinc ipſe & à ſacris ſumet animis panaceam. Eſt aliud, quod te ſcire volo, tuque cognoſces libenter: neque quidquam, niſi conſilium ad rem adferes, nempe in inſtituto Lerzneriano: id quoque ante Kal. leges. Vale. Helm. ex ac. Jul. XIV. Kal. Jan. clɔ Iɔ cl.

HENRICO JULIO JAGEMANN.

EPISTOL. IX.

LIbenter legi, quæ ipſe reſcripſeras ad meas. Sic enim facilè perſpexi, te, & intelligere, quid velim, nec ab iis abhorrere, quæ intelligis. Hic eſt profectò primus cuique ad ſapientiam & veram felicitatem gradus, ut quis, poſteaquam à deviis declinare cœperit, non ſolum ad ea non denuò reclinet, ſed etiam magis magisque declinet ad recta, ſive ad mediam, & rectâ propius metâ ducentem ſemitam. Neque verò me fugit, te ſive eadem, ſive his paria, aliquando etiam meliora, & luculentiora audiviſſe, & cum his conſentanea audire quotidie. Etenim Patris tui amici, cum noverint, ipſum tota vita de his provinciis pręclarè ſuo loco meritum, ſeque ab ipſo multa beneficia accepiſſe me-

meminerint, & vobis ex animo, uti gratiarum leges expostulant, volunt, & consilio fideli præsto sunt. Habent enim cohortationes ad officium vim consilii, non minus è fontibus prudentiæ derivatæ, quàm benevolentiæ. Crede mihi, HENRICE JULI JAGEMANNE, multi, iique præstantes viri, de tua salute, sive educatione curam, etiam ultrò gerunt. Ex educatione enim dependent cætera omnia, è quibus sibi felicitatem mortales pollicentur. Eorum autem me quoque unum esse, minimè velim dubites. Hoc enim, si tibi persvadebis, de mea in te benevolentia jam statueris, & facilius mihi auscultabis. Eorum enim consilia & cohortationes sine dubitatione acceptamus, & sequimur, à quibus scimus nos sincerè diligi. Hanc curam debere me quoque clarissimo Patri tuo, non dissimulo, dum quod de me, tum quod in universum de re litteraria ita semper fuit meritus. Ille autem ipse eum in iis, quæ ad academica spectant,

conſilium meum requiſierit, & in pleriſque probaverit, ipſe vir ſapiens & diſertus: tu minimè dubitabis ea ſequi, quæ ego tibi, ſive ſimul tot viri boni, tui ſtudioſiſſimi, ultrò conſulimus. Prorſus enim & animis, & ſententiis, in te erudiendo atque educando congruimus. Mihi autem hac in re plus ſumo, tum quod vivis domi meæ, tum quod illi, quorum partim longius abſunt, mihi ἐφόρε partes non tam impoſuerunt, quam ipſemet mihi ſumpſi ultrò. Facio autem ſive dico, quotidie, ut nulla tibi re moleſtus ſim, hoc eſt, quàm liberaliſſimè, id ab aliquo præſtari poſſe & debere exiſtimem. Quæ ſi omnia porrò ita accipies, ut abs te fuit factum hactenus, nunquam te pœnitebit auſcultationis tuæ: ac denique futurum eſt, ut mihi agas gratias, qui non ſolum erga Patrem tuum gratus extiterim, ſed præterea filium novis meritis mihi devinxerim. Cum autem te proximè monuerim de re difficili [nihil enim eſſe difficilius, quàm ſe ipſum noſſe, etiam à ſapientibus proditum eſt] in hac ipſe re te nonnihil adjuvabo, quod non ſolùm feras, ſed,

quò

quò citiùs, aut rectiùs tibi ſubveniatur, flagites, cum facilè intelligas, quod viro in proclivi non ſit, id ab adoleſcente vix unquam, aut ægerrimè præſtari poſſe. Me verò fugere non poteſt, quæ ſint quarumque ætatum propria, quem non ſolùm litteræ, ſed longa etiam ætas erudierit; qui & ſingulos, ſi animum advertam, faciliùs noverim, quàm ipſe quiſque ſe. Unde etiam hoc eſt, quod cum alios atque alios moneam, non eodem modo hanc rem aggrediar, neque illud rectè fiat, cum diverſa ingenia ſint: ſed ut medicus non omnibus eandem diætam præſcribit, ſingulorum, quibus ille conſulit, natura conſiderata. Quid cui abundè ſit, deinde quid deſit, primùm video ante, quàm de animi medicina, ſive directione cogitem. Niſi te noverim, verborum nihil ad te faciam, neq; commodè, bonoque tuo facere poſſim. Apud te autem, ſive magis proficiam, ſive plurimum efficiam, ſi te ipſe prius, vel per te, vel ex me, magis noveris. Non agam modò de acumine ingenii, aut profectu in litteris, ſed hanc partem in commodiorem locum nobis reſervabo: & habes

quotidie litteras in manibus, ut hoc minus opus ſit. Hac epiſtola potiſſimum perſequar, *quæ ad mores & animum faciant.* Hæc enim ſunt præcipua & prima: quod cum multi ſciant, ſive fateantur, pauci tamen urgent, qua diligentia oporteat. Nam hæc niſi ſint, cujuſmodi eſſe debent, aut certè mediocria, cætera etiamſi ſapientiæ nomine venditentur, non habebo, ne tanti quidem, quanti ſunt: quod, quemadmodum in vaſe ſordido aceſcunt omnia, ſive etiam in venenum, neque raro in ipſius exitium vertuntur. Ut autem acre tibi ingenium natura obtigit, ita acer animus, & ſervitutis impatiens. Habes hoc paternum. Erant namque in Patre tuo vehementia omnia. Hoc autem, ut rectè accipias, paululum digreſſus: tibi explicabo. Non naſcimur omnes iiſdem ingeniis, non iiſdem animis: alii inclinant alio: neque jam de iis loquor, quos natura neglexiſſe videatur præ pluribus. Videas enim alios plumbeos & ruſticos: alios ad alia vitia ruentes potius, quàm pronos. Mentem illis nulla ratione, aut vix ejus aliquid

quid inſeras: quod negatum etiam ordini Æſclepiapûm, ait Solon. Rem enim præ omnibus mortalibus, hac cœleſti ſcientia ſive arte, facerent. Quod ad mores autem, eadem natura rerum unicuique quantillum hoc ſit rationis, impertivit, etiam quibus minimum, cujus vi ſe ab enormibus ad honeſtiora referant: quod maximæ parti mortalium non nihil eſt. Nec deeſt educatio in gentibus non barbaris: contumaces coërcent leges denique, publicæ tranquillitatis gratia. His miſſis redeo ad illos: quorum alii ad alia inclinant, quæ dicas media ſive indifferentia: alii vergunt ad alia, ad ſilentium, loquentiam, hilaritatem, ſimplicitatem, animi acrimoniam; horum ſimilia, quæ bona eſſe, non negaris, neq; dum tamen laudibus prædices: non abs re ſit, ut quisque ſibi, quod ejusmodi quis proprium habeat, bene noverit & in perpetuum meminerit: ut ſuum quisq; ad virtutem transferat: è ſilentio quis ad taciturnitatem ſervet, ſermoni idem ſtudeat: qui ſermone delectetur, ſermoni modum ponat, ne ad loquacitatem tranſeat: hi-

larior intra humanitatem ſe contineat; ſimplicitas fugiat ſtoliditatem, ab aliorum fraudulentia ſibi caveat: acrimonia, quæ eſt θυμοειδὲς, ne tranſeat ad petulantiam, temeritatem, audaciam, ſtudium iis dominandi, quibus leges non ſinant, ſemper defigat oculos ad humanitatem & modeſtiam, quaſique ſe unius modeſtiæ cenſuræ ſubjiciat: ita nihil vetabit, quin acer omnes officii partes expleat, ſine tumultu, ſummo ſtudio, magno animo. Hæc multis expoſui, quibus & alii tuorum æqualium, qui velint, erudiantur: tu autem cum primis intelligis, quæ in Patre tuo prædicem, ea ſimul tibi imitanda proponam. Acer ipſe erat, & erant in ipſo vehementia omnia, ſed diſciplina, diuturno uſu rerum, ratione, moderata, ſive conſilium caperet, quod habebat præſentiſſimum, ſive negotia adminiſtraret, in quibus erat vigil & induſtrius, ſive oraret, in quo nemo illo erat promptior. Itaque tantum virum & publicè, & privatim, apud nos non injuria etiam Proceres deſiderant: atque hæc vera eſt patris tui laus, ſive ſponte tributa, ſive vi extorta, quæ magna atque

invicta

Invicta veritatis eſt. Neque enim hæc vel ipſa neget malevolentia; neque cum aliquando in hanc ſententiam quædam, neque tamen omnia, qui neminem effuſè in os laudare didici, ſcriberem, alia dixi, quam quæ & ſentirent omnes boni, & in re ipſa erant: neque ſoleo, neque debeo, quenquam hominum ultra humanam conditionem, aut præter cujusq; meritum, extollere laudibus. Ad filium mihi licet hæc, ſive potius oportet me ſcribere; non ſolum, ut te ad ingenium Patris factum, doceam, ſed horter, cogam etiam, ſi hoc penes me ſit, ut, quæ paterna habes bona, ea ſtudio, & perpetua cura, excolas, ſaltem ab iis nequaquam degeneres, quod neque ex re tua, neque ex honore tuo foret. Tuus autem ille, quem dixi, acer animus, quemque tu in te agnoſcis, imò agnoſce nunc, à me bona fide monitus; per ſe bonus, non ut virtutis appellationem, & laudem mereatur, ſed in ambiguo, ſive ancipitio eſt: nec enim vacillare dicam, ne quid de te ſiniſtrè ominer. Audi igitur, poſtquam ſentis in te hanc acrimoniam, quam ſi fortè affectu occupatus,

minus

minus sentis, crede mihi, ut non novitio ingeniorum existimatori, audi, quid te facere velim, ut paternis vestigiis recte firmiterque insistas. Acrimoniam autem non ego te obtundere jubeo, sed potius acuere, sed qua parte debes, & rectum est. Est verò acer, libertatis amans, abjecti nihil habens in animo: videndum, ne licentia tibi imponat, sumpto libertatis habitu, sive nomine: libertas tibi salva est, si facias, quod per leges, & rectam rationem liceat, non quod libeat, nisi hoc tantum libeat, quod rectum est, uti fit in emendatis: id enim libere recte licet: licentia vergit, sive ruit, quo vult, plerumque ad deterius, denique ad perniciem. Transit enim in petulantiam, & in ipsam malitiam, cujus illa cunque generis sit, quod certum est ad calamitatem præcipitium. Injice igitur frenum acri illi animo, sive rationis illud dicamus, sive modestiæ: ratio modestiæ magistra est & moderatrix eorum, quæ geris & proloqueris omnium. Ut enim, nisi ratione, quæ actionum nostrarum regula est, nemo venit ad Modestiam: ita sine Modestia

ad

ad virtutem venit nemo: neque erraret, opinor, qui Modestiam in virtute habitare dixerit, certè in una eademque æde simul habitant: denique hæ ambæ, nisi unam eandem credas, ad felicitatem, sive salutem ducunt: quin abducant ab ærumnis longius, negari non potest. Sed hæc disputent subtiliter, qui velint & possint: nobis satis sit, & vestræ ætati maximè, si modestiam ipsam habeatis, & in ejus plenam possessionem veniatis. Rem arduam dicat quis, & raram & lubricam, apprehensuque & retentu difficilem. Huic ego querelæ, & ipse assentior: tu tamen de modestia perpetuò cogites, labores, ne ipsa tibi elabatur è manibus, & ex animo. Non nisi verbo ostendi, quemadmodum tenera & prima ætas compos fiat modestiæ, ratione scilicet, eaque recta; etsi nisi recta ipsa sit, ratio dici non meretur. Hæc sola ratio modestiæ magistra est: id quod ista ætate, qua tu es hodie, adolescentem oblivisci non oportet; nisi in mediis fluctibus variè jactatus, miserè submer.

mergi malit, quàm in portum salutis lætus appellere. Clavo rationis opus est: ratio gubernatrix hujus triremis est. Novum autem hic & variè connexum nodum dissolvere laborabimus. Qui puerili ætati sibi rationem vendicant, in ipsum rationis limen impingunt. Eâ si non satis instructa est adolescentia, atq; aliò abrepta, tum à sensibus, tum à turbidis, nec unius generis animi motibus, à quo quis eam, veluti utendam sumet? Hic est ille nodus, quem alii silentio fortè prætereant: nos non incidimus ense, ut Macedo Gordium, sed arte dissolvemus, ut intelligatur, & quæ sit illa ratio, & penes quos illa sit, unde sumenda denique. Est igitur hæc ratio primò parentum, aliorum præterea, qui quocunq; loco pro parentibus sunt, imperium, objurgationes, exhortationes, obsecrationes. Qua manu autem adolescens hanc rationem accipiat, novisse, ego magnum esse operæ pretium existimo: qua verò altera, quàm tua ratione? namque nonnihil rationis est, se rationi subjicere, & veluti totum dedere: ut quasi puer pusilla ac debili manu fortis viri manum firmiorem

niorem prehendat, quæ vacillantem teneat in ſalebroſa via, ſublevet ac erigat. Illa dico manu, quę fulcro egeat: ſed & porrecta opus eſt: atq; hæc eſt *Obedientia.* Non cadit autem Obedientia in malos, aut leves, vagoſque animos, ſed in probos, adſpirantes ad ſalutem, & conſtantes. Hanc ego tibi, uti bonorum adoleſcentiæ ſingulare, ſive primum, pręomnibus commendo, quam amplectaris, ſi probus haberi, ſi ſalvus eſſe vis, & in hoc perſeveres, donec tibi ipſe pro ratione ſis, nec amplius perpetuo morum vitæque monſtratore egeas; etſi tum quoque comitem in vivendi ſpatio, & ducem in litteris, ut omnia celerius & facilius geras, tibi adjunges. In omnib9 enim locum habet hoc, σύν τε δύ' ἐρχομένω: inſuper nulla etiam eſt, vel adultiorum ætas, quin ſi ſapiant, in rebus ſuis, præſertim difficilioribus, prudentiorum ſententiam requirant. Tu verò H. I. Jagemanne, cujus rei fortè initium hodie facis, brevi juvenis, quotidiano ſtudio ex monumentis veterum petes, quantum mens tua capere poteſt, rationis, id eſt, optimorum conſiliorum, quibus tibi, tuis,

tuis, patriæ, quando, quantumque opus erit, utaris, ſive manibus verſes oratores, ſive poëtas, ſive philologos, ſive hiſtoriam, ſive ipſam univerſę humanæ ſapientiæ parentem. Huc enim omnes, te ſtatim allegatum, & huic credere in tempore velimus: quod velle te etiam nunc auguror: nec animi ad meliora tendentis acrimonia aliter faciat, quæ per eſt, uti appellatur, φιλομάθεια, quam perpetuum doctrinę ſtudium interpretaberis. Eos ego jam vitæ ſuæ modum habere poſſe judicem, & ἐν ἀφέτοις recenſeam, neque in jugo teneri amplius, neque frenis coërceri, regique opus ſit: ſæpè tuis æqualibus nobilem locum ex illuſtri tragœdo attuli, quo delectarentur, & in hac vera, & valde neceſſaria ſententia, confirmarentur. Sic autem Æſchylus, & quidem admodum magnificè, loquitur de Obedientia: πειθαρχία γάρ ἐστι τῆς εὐπραξίας μήτηρ, γυνὴ σωτῆρος, ὧδ' ἔχει λόγος. Velis verò etiam idque tua refert, ut hos ego verſus tibi interpreter. Ait, *Obedientiam eſſe felicitatis matrem, uxorem ſervatoris.* [illo ſeculo hoc nomine appellabant Herculem, qui

cum

cum calamitates averteret, tum felicitatem ſervare idem ille populis,] neq; id fieri poſſe aliter. Fruſtrà autem profectò abſque obedientia, vel ad leve commodum contendat, nedum ad ipſam felicitatem, ſive mediocrem vitę ſtatum quis perveniat. Hæc enim, uti mater, parit felicitatem, ſervatoris ipſa conjux: ſive ipſe, ſive fatum, ſive ipſe Deus, per obedientiam, quæ eſt ſanctè parere rationi, quemque ſervet. Nec eſt omninò ſomniandum, quemquam hominum ſervatum iri ex tot quotidie imminentibus ærumnis, aut potiturum humana felicitate, temerè & fortuitò. Hanc igitur hoſpitem, quam ad te divertere pridem juſſi, lubens accipe, & ea magiſtra utere cupidè, quidquid ajant aut faciant alii: quorum alii ſubitò pereunt, alii aberrant à felicitate, etſi longiùs alii, alii minus. Utêris autem ea familiari & perpetua, ſi cogitabis, eam neque vino, neque multitudine delectari. Contenta eſt lectiſſimi unius atque alterius ſocietate, nec amat alios, quàm ſiccos. Hi enim

ſoli vigilant, alteri, vel ſepulti ſomno jaceant deſides, vel tumultuantur, alii alios, ut ita loquar, tumultus, quos ètiam in omni felicitate reliqua, quàm vulgus exiſtimet, aut in pretio pletique habeant, miſeros eſſe neceſſe eſt. Verùm ego fortè te nimis longa epiſtola teneo: quam tamen ſi accuratè iterum atque iterum leges, tibi gratam jucundamque futuram ſpero: ſi fuiſſe, eſſeque intelligam, hujus generis muneribus ex intervallo ego te novis afficiam. Vale. Helmſt. ex Acad. Jul. X. Kal. Mart. clɔ lɔ clx.

JULIO JAGEMANN.

EPISTOLA X.

NOn uno modo exhilaras me tuis litteris in hac quoque ætate ærumnoſiore. De altero tibi uti volo, ita gratulor: volo, uti tu, neque temerè, ſperas, cujus ſpei fons domi tuæ eſt. Gaudeo & alterum, quod

 omni

omni ſtudio iſtud regium ſtudium colis: cujus enim exemplo eſſet omnibus, auctor fuit initio filiis Pater, dux omni diligentia & fide Peparinus: quod in eodem non etiam nihil mihi tribuis, facis gratè, nec erras penitùs: ſed noſtram conſuetudinem nimis celeriter diremit tum irrepens inopinatò contagium. Quæ autem hodie te in manibus habere ſcribis, probo, ut nec ſi me conſuluiſſes, aliud tibi conſilium dediſſem: tu porrò utêris iſto tuo, quod idem noſtrum etiam vetus eſt, & hoc potius ages, quàm quidquam aliud. Dum enim iſtud agis, non ſolùm doctrinę copiam tibi comparas, ſed virtutis pręſtantiam, & omnium principem Prudentiam, cujus quaſi partes ſunt modeſtia & beneficentia: utrâq; autem mirificè devinciuntur animi hominum: in beneficentia complector etiam omne officium. Cum hiſtoriam legas, in ea quemadmodum & quouſque proceſſeris, ſi hoc quoque me docebis, erit gratum; ſi quid voles, dabo vel ex aliorum arculis. Vale. Helmſt. ex Acad. Jul. XI. Kal. Octobr.
clɔ lɔ lx.

HENRICO JULIO JAGEMANN.

EPISTOL. XI.

IDem & litteræ tuæ loquuntur, & alii scribunt, te esse, in quibus pro ingenio & ætate esse studiis oporteat, & hodie cumprimis sit ex usu tuo. Nam qui nec ordine procedunt, neque suum cuique tempus tribuunt, ut plurimum, vel certè potissima ex parte operam ludunt. Tu igitur quod facis, ut facis, ita tibi progrediendum existima. Ante omnia per campum probitatis & modestiæ ad virtutem perge & prudentiam, neq; quidquam in animum inducas absque certa bonaque ratione & ejus consilio, cui te ipse credidisti, probantibus iis, qui tibi pro patre sunt. Ad quos voluisti, scribo cum diligentia: & rogo Goezium filium, ut illos, etiam in occupationibus, moneat: facturum scio, neq; defuturos, qui pridem tui paternam curam gerunt. Vale. Helmst. ex Acad. Julia X. Kal. Mart. cIↄ Iↄ cx.

Digitized by Google

JULIO JAGEMANN.

EPISTOLA XII.

QUoties eſt mittendi commoditas, aut ſcribo, etſi paucis, aut mitto, quæ legas, ab ætate & conditione & ſtudiis tuis non aliena: fateor autem, neque ſic ſatis à me tibi fieri, ut tu optes, & ego debeam: tu verò mihi ignoſces: noviſti enim rationem ætatis & valetudinis meæ, ne quid dicam de aliis ſcriptionibus. Hæ enim, & rariores, quàm olim erant, ſunt hodie occupationes meæ. Cum autem tuarum quædam capita relicta à me hactenus habeam in memoria, alia non meminerim, inſpicio faſciculum. Plures enim dediſti ab autumno, quod eſt argumentum non ſolùm tuæ in me benevolentiæ, ſed diligentiæ, quam ponis in litterarum ſtudiis, quod etiam pręte fers, ubi oſtendis te meorum monitorum & diſciplinæ Joann. Pepatini me-

memorem, & utrique multum debere profiteris. Voluerat Cl. Pater tuus (id erat anno abhinc decimo tertio) & te, & fratrem tuum Joannem Ernestum, educari prima illa vestra ætate domi meæ, in consvetudine plurium æqualium, qui colerent litteras, ut animos doctrina imbuerent, & vitam instruerent, cum elegantia morum, tum modestia: quàm virtutum aliquod principium, quasique fundamentum judicaremus. Cum enim modum determinet actionibus adolescentis ætatis, ad virtutem viam sternere rectè dici existimabitur: primum enim, locum petulantiæ non dat: alterum est, quod inprimis *vitam siccam*, ut cum comico loquar, præcipit, quæ Græcis dicitur σωφροσύνη: quam ad proximum parietem pietatis domum habere cecinit olim Critias, quo carmine carpebat reliquæ Græciæ bibacitatem, sobrietatem Laconum prædicans, in bona valetudine finem, hilaritatem limitem convivii statuentium. Hunc enim qui migret, nihil de rebus divinis, vix aliquid de litteris cogitet. Meminere familiares me dicere, Musas non vineam ha-

habitatum concessisse, neque factum earum præsidem Dionysium: sed poëtas eos jussisse hortos incolere & ambulare ad scaturigines fontium: sed mitto jam fabulas, quamvis eruditas & teneris semper aliquid intelligentię ferentes. Tum igitur, quod ad vos, bene se habebant utriusque rei principia: nec erat, quod in te fratreve tuo desiderarem: quo nomine non solùm vobis & Patri vestro, sed mihi etiam gratulabar: vobis, quibus bene vellem: mihi, ut qui occasionem de vobis bene merendi nactus fuissem, atque occasionem grati mei animi probandi vestro Patri, & meo & publico nomine. Cum enim ipsi essent cordi res academicæ, tum me ita diligebat, ut de meis rebus & me audiret, & sæpè ex me quæreret. Quare mirificè cupiebam ipsum confirmare in illa erga me benevolentia, cum simul magni viri beneficentiam honesta ratione provocarem, qui plurimum ob dignitatem, quam gerebat, auctoritate apud proceres valebat, & apud ipsum Principem. Sed omnia hæc turbabat pauculis mensibus, sive plusculis diebus publica calamitas.

mitas. Irrepserat huc fortè contagium pestilens, quod serperet etiam latius: quo factum est, ut & Hollatię Princeps Joannes, Frid. III. Regis Daniæ F. qui & ipse recens venerat, ut de exemplo fratris Hulderici in Acad. Julia studia litterarum coleret, hinc se commoveret in vicinam arcem Schœningam, cui & ibi præsto esse jubebar, ut & ante hic ipsius fratri præsto, quasique unus de familia fueram. Pater autem vos itinere diei ulterius in montes Hercynios transferebat, jubens unà vobiscum esse filium meum: quod, uti erat, habui in singulari beneficio. Ita educationis vestrę ratione, novum de vobis consilium Pater pro re nata capiens, non solum quid ipse sentirem, exquirebat, sed flagitabat eruditum & prudentem juvenem, cujus industria in vobis ad officium educandis, quocunque iretis, rectè uteretur. Ostendi Joannem Peparinum, qui etsi se ad studium legum de paterno exemplo, etiam de consilio Alberti Clampii, cujus auctoritatem, ut cognati & viri Cl. rectè sequeretur, applicuerat, tamen nullam partem studii sapientiæ neglexerat,

xerat, & pleraſque excoluerat, cum & ingenio acri eſſet, & quod aggreſſus fuiſſet, ageret, quanta diligentia par erat. Sic juvenem ſpectatæ fidei, nec vulgaris doctrinæ commendavi Cl. Patri veſtro, nihilominus ipſum faciens cenſorem judicii mei. Pater cum Peparini & doctrinam & mores probaſſet, miſit vos domo procul, primùm in ſuperiorem Germaniam, deinde in Galliam: cognovi poſtea ſæpè ex ipſius ſermonibus, & ex intervallo ex veſtris item litteris, omnia rectè geri, & ita ſe habere, ut ego ſpem feceram, & Parentes optaverant, & vobis maximè expediebat. Majorem autem mihi fidem faciebat, quod certò compereram, Joachimum Cl. V. Joachimi F. Götzium vobis ætate majorem, in veſtro contubernio magnis paſſibus progredi, & adeptum jam modeſtiæ & doctrinæ laudem ſingularem. Quare cum ita de vobis tum meritus fuerit communis educator veſter, ſatis cauſæ tibi fuit, & gratè facis; neque minus prudenter (quid enim magis ex re tua?) qui viri de vobis bene meriti præceptorum

rum te ita memorem ostendas, ut tam ipsi, quàm mihi etiamnum dicto audientem profitearis. Mihi autem duplici ratione fidem facis, tum ipso scriptionis tanquam telæ filo, tum earum litterarum studio, in quibus te totos dies esse scribis, & id absque interpellatoribus, quorum consvetudine quotidie frui fortunatiores soletis. Loquuntur enim plures tuæ ad me litteræ, neque nos illæ breviusculæ, quas mihi has ad te exorso, reddidit puer tuus, relegere atque relegere optimos quosque scriptores: quod qui non faciunt, ipsi sibi novum & alienum genus sermonis inveniunt, atque etiam confingere necesse habent, quod elegantius doctorum nemo probet, sive sensa animi, sive verba, sive compositionem ipsam spectes. Rectè te ita quasi manu duxit magister ille: tu iisdem vestigiis rectè ingressus, perge, qua cœpisti, donec te perfeceris: hoc autem te obtinuisse putabis, quando ipse tibi placebis, sive satisfacies. Cum fastidio enim & lentè sua probant, qui arti incumbunt sedulò. Neque nolim, ut quæ passim super ea re notavi, legas. Monendo enim, familia-

rium

rium alios de aliis docui, quæ cum ſingulis primum eſſent uſui, tum prætereà alios, ſi qui attenderent, vel novis præceptis erudirent, vel aberrantes corrigerent, vel rectà ingreſſos in via retinerent. Puto enim neque hoc eſſe de nihilo. Neque auctor eſſe deſino integræ Artis cognoſcendæ, deterrens ſimul ingenia à fætentibus lacunis, quas nuper glorioſa inſcitia è cænoſis paludibus, ſecus quàm in urbem ductibus ſuper eleganter exſtructis fornicibus aquam limpidiſſimam in uſus privatos & publicos ducebant: hi novi magiſtri & ingenia deludunt, & nocent publicè. Tuum porrò ſcribendi ſtudium cum valde probem, tum alterum magis probo, quod à libris legum tranſiens, pluribus etiam horis es in hiſtoria. Fac verò, ut, cum neque veteres neglexeris, neque negligas recentes, ſemper præter oblectationem ſpectans veriorem finem, ſive prorſus proprium, ut prudentior à libris abeas ad res gerendas, ſive privatas, ſive publicas. Traduc iſtud ſtudium in philoſophiam: neque fortè aberrat, qui è factis ſingularibus, quæ ſunt hiſtoriæ, illam inter mortales

natam

natam suspicetur: quod cum de scientia civili ita prorsus se habeat, de priore, quæ illi quoque subjacet, negari non potest. In singulis enim eventus ostendit, quid benè, quid malè factum sit, atque ita omnibus ille, sive pluribus collectis, id constituendum censeat, quod verum, rectum, atque demum felix sit. Lectoris sani est, hoc modo præsentia metiri è præteritis, ut de eorum, quæ gerenda sint, exitu aliquid determines, sive non temerè omineris. Cæterum, ut nihil attinet amore percusso gravi laudare, quam pridem depereat, virginem, ita non opus est, historiam, delicias tuas, tibi commendare, quam ab occasu, ut mihi ab aliis ante quoque expositum est, in ipsam mediam noctem manibus teris: qua ferè hora, aut altera post expergefactus, ad auroram pervigilo: præmissis potioribus, neque tum, neque postea interdiu ad ejus generis scripta respicio. Ita cum affectus sim, & faciam, non possum, quin hoc acre historiæ studium, quo flagras, clara voce probem, & tibi quasi plausum dem: ut alacrius curras, mihi libuit & rectum spatium currenti gratulari:

lati: adjiciam, nec ea multa tamen, quæ eodem faciant: in his præcipuum est, quod verbo modò attigi, non omnibus etiam notum, nedum familiare, historiæ scriptoribus. Sunt enim qui narrent fortè vera, hoc enim historiæ caput est, & hæc ejus prima virtus. Qui enim veritatem non polliceatur, & ante omnia propositam minus habeat, inferior fabulatore sit, quando hic quoque ferri potest, qui vel nugis involuta quædam salutaria habet, vel nugacitate non fallere, sed oblectare auditorem, instituerit, fortè quæ quorumque relatu acceperint, delectu accuratè nullo habito, sive perfecta, sive manca sit narratio, nulla de re moneat, neq; possit, qui rectè ipse nihil didicerit. Hoc autem alterum est, & illo potius: idem hic, quod verus segetis sive arboris fructus sit. Illud ab omnibus expectatur: hoc præstant pauci admodum. Neq; tamen nulli digitum, aut sententia aut verbo, intendant in id, quod ex usu sit, quod neque in Herodoto desidero. Poterat autem omnibus exemplo, & pro regula esse, ex vetustissimis optimus, *Thucydides*,

quem alii, ut perceptu difficilem statim, neque degustatum rejiciunt, alii in periclitanda sententia ardui scriptoris deficiunt, ut paucos lectores inveniat, qui ex agro maximè feraci, sed aspero, maturas segetes in horrea convehant. Etenim oratione non solum à vulgo, sed ab artificibus longiùs recessit, sive prisci seculi consvetudo sermonis fuit, sive ille talem habuit genium. Mihi commodè evenit, quod Melanchthon nobis fuerat interpretatus sanè multa in Thucydide, quodque habebam orationes Thucydideas in Latinum sermonem conversas à Joann. Casa, à Petro Victorio editas Florentiæ anno abhinc quinquagesimo. Earundem editionem his diebus iterum parabam, profuturas sapientiæ historicæ cultoribus minimè dubitans. In cæteris unus est, sive unicus Polybius, intellectu in aliis omnibus facilis, in quibusdam non item: qui utramque personam, non personatus ipse sustinet. Namque & in historia fide dignus est, ut quisquam omnium, & qui non nisi exploratissima scripserit, non solùm consiliis multis interfuerit, sed rem militarem omnem intellexerit,

tellexerit, disertus etiam & perspicuus præter rei naturam, & docet, ut philosophus, nisi quis stupor stipesve sit, in actionibus atque negotiis quid detesteris, & fugias, quid probes, & sequaris, ut tu quoque facias, quousque id tua conditio ferat. Quædam enim omnibus, quædam perpaucis, quædam paucissimis, ac fortè solis Regibus conveniant. Eum ego certe, cum me, aliis academiis relictis peregrinandi satur, dedissem juvenis in otium litterarum, quo semper respexeram, cum admiratione legi, & intellexi statim, præter ea, quæ ad malitiam proximè pertinent, de quorum vera sententia desperarem, aut in iis tanquam mihi non profuturis minimum operæ ponendum non putarem. Ad hunc quoque cognoscendum accingere, Jagemannida: auctoritatem non subterfugiam, teque indemnem præstabo: quia auguror futurum, ut tu aliique [& idem aliis enim dedi, & porrò dabo] mihi de hoc consilio gratias agatis. Habemus enim nobilem historiæ scriptorem beneficio Isaaci Casauboni, quem legere magno nostro bono queamus, & juvenes nobiles

nobiles debeatis: hoc etiam avidius, quod ejusdem commentarios propediem habebimus, qui cujusmodi sint, è præfatione ad Regem facilè possumus statuere: imò expectationem illi etiam nostram superabunt. Sunt autem ejusdem viri scripta cætera ejusmodi, quæ testantur ipsum, vel solum esse, vel in primis, qui bene de re litteraria mereri possit, & præclaræ omninò mereatur. Neque verò negligere aut contemnere cæteros rerum per orbem gestarum scriptores jubeam. Certè enim legendi sunt, sed examinandi & ad quasque rationes & ad omnes conjecturas, ut falsa repudiemus, dubia in medio relinquamus, certa prehendamus, atque ex his veros ipsi ad vitam sive consilia privatim & publicè, & pace, & in militia fructus capiamus. Neq; de aliis in studio historico necessariis te monere attinet, quæ maximam partem cognovisti & investigare pergis. Nihil enim videt in historia, qui tempora ignorat, neque mente omnia maria navigat & per omnes terras iter facit, ut quasi & hoc seculo & præteritis omnibus vitam agat, cumque sit, ubi est, sum à nullo

nullo loco abesse intelligitur. His bigis ad Historiam quis rectâ feliciterque vehitur: sine temporis autem locique cognitione memoria quarumque rerum temeraria nihilique est. Notationes autem temporum confecere plures in universum, alii ad certa temporum confecere plures in universum, alii ad certa tempora & certos scriptores: & lectorum ferè quisque hanc operam suæ memoriæ rectè navat. Exquisitè haberi illa fortè nequeant: non longissime aberrare ad institutum satis est. Situs autem orbis omniumque ipsius partium ante oculos hodiè ita positus est, ut ullo unquam seculo: nostrum profectò hac in re adeo felix est, ut de tenuioribus aliquis parvo ære sibi ea paret, quæ Reges olim multis etiam talentis non invenirent. Manuductione aliqua opus est Mathematici, cujusmodi semper in promptu fuit & hodiè est in academia Julia. Namq; primam & plenissimam operam hic præstitit, Medicus idemque Philosophus & Mathematicus celeberrimus, Duncanus Liddelius Scotus, qui quo-

que omnem historiam ad unguem novit: proximis annis vir doctissimus Nicolaus Granius Svecus item dexterrimè & singulari cum laude docuit. Docet hodie quotidie magna diligentia Græcarum litterarum professor, Rudolphus Depholdius, nostras à Visurgi, ipse quoqne assiduus lector historiæ. Dederas præterea mihi occasionem alia aliqua de re scribendi, perutili illa quidem & illis cognitu, de quibus erit ea disputatio, necessaria, sed diversa tamen ab iis, quę velut in transitu, ut in epistolis sæpè solemus, attigi: & fortè expectas, quid sapientes, quos sequor, sentiant. Namque ex usu admodum fit, nosse ingenia & mores discrepantes Nobilitatis tempore differentis. Alius enim animus, alii sermones eorum sunt, qui se priscos gloriantur, quasique Aborigines profitentur in familiis: alii horum, qui primum sua virtute, sive manu, sivè aliis meritis sibi suisque peperère hanc dignitatem. Non cumulabo autem epistolæ capita, etiam longiùs, quàm institueram, producta, legetis tamen

&

& hunc locum meditatum jam mihi: qui fortè difficilis non erit ipſe per ſe: ſed difficilior explicatio, ne quid apud quos offendatur. Eſt autem facilis offenſa, ubi de ordinibus aliquid dicere inſtitueris: ſed experiar, quid poſſim, & certè neque apud intelligentes offendam. Non enim offendit veritas, cui ſoli ante omnia ſtudemus apud bonos. Vale. Helmæſtadio ex acad. Jul. prid. Kal. Marc. cIↃ IↃ CX.

EIDEM.

EPISTOLA XIII.

QUidni, quod ad inſtitutum facere videam, in epiſtola præteritum, ſubjiciam? cum id in maximis minimis negotiis frequentetur. Cum de quibus, ut hiſtoriæ principibus illic dixi; inter nos hiſtoriæ, quantum per cujusque propria ſtudia licet, aſſiduos lectores, familiariter his diebus loqueremur, fecit mentionem CL: gener meus Thuani,

ni, qui verè & diserte nostri seculi res gestas conscripsisset. Nam & ipse, & alii, eum tum in manibus habebant, neque nulla memoriter, alia referebant alii, denique in hoc consensimus, virum non minore sapientia, quàm scribendi facultate, rerum humana, tum peritissimum, dexterrimo de omnibus judicio præditum, & vera & luculenta scribere, non abreptum vel affectu vel præjudicio, nec minus explorata, neque lectorem dimittere absque philosophiæ, qui non solùm è libris voluptatis aliquid venetur, sed cum veritate virtutem quærat & prudentiam, humanarnm actionum probam magistram & veriorem dominam. Et hujus igitur lectionem tibi tuisque æqualibus commendandam censui, etsi suspicor, neque hunc scriptorem vobis incognitum, qui in Gallia vixeritis. Utéris autem meo consilio libentius, quòd de eodem idem ille Peparinus, cui meritò multum tribuit, sentit. Scribit enim vir doctissimus ad me mense anuario Lutetia, [sciebat enim, me

avi-

avidè cogniturum de ſtudio litterarum, quæ hodiè in Gallia colerentur] Thuanum cum Caſaubono alterum eſſe, cujus ſcripta ſeculis quoque futuris ſuperfutura & profutura generi mortalium non ſine cauſſa auguraretur: neque nos hoc in dubium vocamus. Primos igitur nos è fœcundiſſimis illius agris fructus percipiamus, neque aliis eosdem, neque minoribus, invideamus. Quid de hoc genere porrò conſilii capias, ubi meas legeris, è tuis cognoſcam propediem, hoc ſcilicet, quod propoſito conſentaneum ſit, ut in te quoque conveniat verbum vetus de bono principio. Vale. Helmæſtadio ex academia Julia Kalendas Martii cIↄ Iↄ cX.

E I D E M.

EPISTOLA XIV.

PLeræque tuæ mihi redditæ ſunt a

aliquando scribendi commoditas non fuit: neque nunquam necessariæ scriptiones obstitere, ne dicam de gravi ætate & perpetua tenuitate valetudinis. Nunc vero incredibilis mœstitia quiquid est meditationum & scriptionum mihi conturbat: atque omnino satius sit, me in universum silentio uti, quando me hinc officio imparem intelligo. Tamen ubi me non nihil collegero, si hoc à me naturæve meę imbecillitate obtinere potero, relectis tuis epistolis, ad præcipua eorum capita rescribam accuratius. Jam brevitati veniam dabis. De studio mei consolandi te amo. Etsi autem hac re amici, quantum velint, non proficiunt; tamen isto genere ut mihi nihil magis necessarium, ita nihil gratius: neque me tuarum multitudine obrui putes velim. Plures exspecto & uberiores. Vale.

Helmæstadio ex academia Julia
Id. Martii. clɔ Iɔ c xi.

El-

EIDEM.

EPISTOLA XV.

INsidens lectulo ærumnosus & æger (superiore enim nocte pessime habui) accepi novissimas à te litteras. Fratres in herciscunda denique familia convenisse, vobis gratulor. De Henrico Julio, minimo natu, nihil æcepimus; utinam superstes ille sit! Cecidisse enim in Svecia multa millia in alterum jam mensem fama confirmat & certi plurium nuncii. De creditore ipsius Remi tandem constitutum, vestræ & curatorum, & meæ existimationis interesse intelligitis. Tibi gratulationem de duobus filiis scriptam non publicabo ante, quam legeris. Neque sunt enim nulla, de quibus à te moneri velim. Descriptam, quam emendate nescio, mitto ut censeas: otium ad relegendum non habeo. Rhumanno nihil habeo polliceri, qui ægre spirem. Meibomius hoc mense sepeli-

by Google

vit unicam filiam. Dipholdius ipse nuptias parat. Vale. Helmstad. ex acad. Jul. 18. Aug. clɔ Iɔ c xii.

EIDEM.

Epistol. XVI.

DE nuptiis fraternis nihil scribis: quod potissimum exspectabam, imo te exspectabamus jam à Kalendis, uti jusseras: nunc iterum spem Dionysii facis tui nullam: malim cum illo una adsis: etsi de illo potius, quam de te credo. Quæ tu me flagitas, nulla sunt, preter ipsam epitomen operis. Quid pollicear, vides: non nescius quin parum præstiturus sim, sive præstiterim. Duos enim gradus felicitatis hominum exædificavi, spectandos nondum proposui, etsi de iis censituros parum moror, de tertio animi pendeo. Vale. Ex ac. Jul. IV. Id. Febr. a. clɔ Iɔ cxiii.

Librum Caselii epistolarum ad Jagemannos epistolâ Chytræi finimus, quam perire nolimus.

DA-

DAVID CHYTRÆUS JOANNI JAGEMAN. S.

Magnifice Domine Cancellarie, Patrone colende,

LEgi consolationem, à D. D. Basilio, pastore vestro, ad te scriptam, ex qua de integerrimi ac ornatissimi viri, patris tui beatæ memoriæ, obitu inexspectato cognovi. Etsi autem curiosius vel audacius facere videar, quod ad te, summa dignitate, sapientia & autoritate virum, ego tenuis ac humilis conditionis ludimagister, literas dare uon verear: & dolor tuus, tempore ipso jam sedatus & lenitus, non refricandus existimari possit; tamen pro eximia bonitate & mansuetudine tua, magnis ac Heroicis viris dignissima, spero te, ut Artaxerxes Persarum Rex, haustnm aquæ in itinere per agricolam oblatam, hoc scriptionis meæ officium non aspernaturum esse. *Decesserunt* subita & improvisa morte, (qua homini pio & ad migrationem parato, nullum genus mortis optabilius & magis expetendum est) plurimi pii, & sancti, & de Ecclesia & Re-

 publi-

publica benemeriti homines: quorum exempla hoc loco colligere nihil opus est. Tantum de iis, qui nostra memoria, in trajectu fluminum, vel in aquis perierunt, quædam recensebo. Meminimus, optimi Principis, Palatini Electoris FRIDERICI filium Hermannum Ludovicum, in Gallias studiorum gratia missum, in primo adolescentiæ flore, dum Avaricum fluv. in Biturigibus navicula trajicit, inversâ eâ, cum præceptore & comitibus extinctum esse, cum ætatis annum decimum quintum non fuisset egressus. *(a)* Petrus Medices, Florentinæ Reipub. Princeps, ad Lirim fluvium in castris Gallicis, magno Consalvo, præstantissimo Duci Hispano, Neapolitanum regnum pro *H*ispanis tuenti oppositis: cum cedere tandem virtuti & felicitati Consalvi cogeretur, insidens naviculæ, ut effugeret, in Liris fluvii ostio submersus est. *(b)* Superiori anno, Ludovici Comitis Eberstenii & Neugardensis in toto imperio clarissimi Filius, Academiæ Francofordiensis ad Viadrum sceptra gerens, dum juvenili cupiditati indulgens in Viadro lavat, vortice fluminis abreptus interiit. Guilielmus Nesenus, vir optimus & doctissimus, Erasmo Roterodamo, Luthero & Philippo familiaris & carus, dum incautius cimbæ insidens, recreandi animi causa, Albim navigat, summo cum amicorum dolore, in aquis

(a) anno 1556. *(b)* 1502.

equis suffocatus est. (*c*) Ursinus Velius, excellenti ingenio & doctrina præditus, & rares vero *Deo* & Musis carus, Ferdinando Regi familiaris, ex navi in Danubium elapsus periit. Martinus Schenckius, vir Nobiliss. & fortissimus, (cujus ossa reliqua superiori æstate in Mausoleo Ducum Geldriæ, Neomagi, â Mauritio Nassaviæ Comite, pompa solenni honorificentissimè condita sunt) dum armatus, trajecto Wahali effugere conatur, subsidente navicula nimium onerata, imis vitam exhalavit in undis. Tristior & magis horrendus, Baronis Joachimi à Neuhausen, Cancellarii Boieniæ, & hostis ac persecutoris veræ doctrinę acerrimi, exitus fuit: qui Viennâ revertens dum Danubii pontem transit, subsidentibus sub illius curru duobus jugis, præceps in profundum lapsus, cum filio, auriga & equis absorptus est. (*d*) Wittebergæ, singulis ferè annis, scholastici, in Albi lavantes, extinguuntur, quorum plerorumque adhuc ea ætas est, de qua Christus dicit, non esse voluntatem Patris sui cœlestis, ut pereat unus de parvulis illis. Ita in vicino nobis Baltico mari, quolibet ferè anno exempla naufragorum tristia exaudimus. Hyemis hujus initio, navis ex Norvegiæ emporio Bergensi, circiter quadraginta honestissimorum hominum in vicinis urbibus liberos revehens, procellis vento-

(*c*) *anno* 1524. (*d*) *anno* 1565.

ventorum eversa, omnibus pariter vitæ finem acceleravit. Quæcunque autem mortem nobis vel nostris causæ vel occasiones adferant, ut in Græco versu alium alia via ducere ad lamentabile lethum dicitur, ἄλλον δ' ἄλλα κέλευθα φέρει στυγερὸς ὀλέθρου: tamen non casu, nec caussis secundis tantum sed, Deo Patre nostro cœlesti sciente ac volente, vel certo consilio permittente, vitam nos aut nostros amittere non dubitemus: Cumque omnes in hac vita ad Christum conversos, & vera fide ac invocatione Deum colentes, ex his miseriis, in æternæ vitæ hæreditatem certo transferri, Filius Dei ipse testetur: certissime statuamus, parentes nostros in viis suis seu officiis suæ vocationis ambulantes, etiamsi subitâ & improvisâ morte, quibuscunque occasionibus à nobis tollantur, ad beatam cum CHRISTO & ecclesiæ cœlestis consvetudinem à Deo traduci.

Celebrat Georgius Fabricius, vates verò Deo & Musis carissimus, Nicolaum Hausmannum, Pastorem ecclesiæ Freibergensis, suggestu apoplexiâ extinctum.

Sic obit Hausmannus, quo vir nec sanctior alter,
Nec major studiis, vel pietate fuit.
Mors fuit haud impar vitæ, nec sanctius ille
Vivere, nec potuit sanctius ille mori.

Nam

Nam dum Christe tui spargebat semina verbi,
Dignam animam cœlo mitis ad astra levat.

Hoc exemplo, sæpe me, in carissimi Patris mei obitu simili, consolatus sum, eaque occasio fuit, ut de repentina morte attentius cogitarem, cumque domestica, carissimæ Conjugis & septem liberorum funera deinceps accederent, ut de morte & vita æterna lucubrationem, qua valedicere huic vitæ & mundo cogitabam, in schola instituerem. Quam si inspicere, cum per occupationes Reipub. gravissimas & concatenatas licebit, interdum dignaberis, & hanc epistolam, eodem quo â me scripta est animo simplici & bono, & benevolentiam tuam reverenter expetente, benignè accipies: eximium & singulare beneficium mihi à te tributum esse judicabo. Bene & feliciter vale. Rostochii, in feriis Natalitiis filii Dei, ordientibus annum 1593, quem M.tiæ Tuæ & toti Ecclesiæ ac Reipub. Christianæ faustum & salutarem ex animo precor. Mitto Rectoris ante annum nostri, WILELMI Curlandiæ Ducis, Programmata: quæ sine molestia, ut spero, perlustrabis.

JO.

Digitized by Google

JO. CASELII EPISTOLARUM LIBER IIX.

EPISTOLÆ AD HILDEBRANDUM GISLERUM RUHMAN, Consiliarium Brunsvigio-Luneburgicum & Magnum Prætorem.

EPISTOLA I.

GEnero istuc eunti has dedi, ne tibi esset querendi locus. Quid enim nunc facias, qui olim mihi non pepereeris? Sic enim me colebas, & te à me amari, nec id falso, sentiebas. Nec, tamen hæ erunt, cujusmodi flagitabas. In hoc

Digitized by Google

hoc si perseveras, non patiar à te desiderari officium meum. Aut enim si valebo, volumen ad te conscribam, ex quo tamen nihil novi disces, aut ostendam, unde meliora meis petas. Vale. Helmst. ex Acad. Julia d. 15. Aug. 1596.

EPISTOLA II.

IN quo me tibi gratificari voluisti, nihil præstiti, conatum intelliges, quo contentus eris. Ipsemet mihi Dn. Cancellarius ostendit de negotio esse ita ut volumus, quod tantum tuo nomine gaudeo, quantum de carissimi filii obitu doleo. Crede mihi, hic dolor quotidie in animo meo, multis & parvis etiam occasionibus, renovatur. Nob.mi Dn. Crusii consolationem & tuam non repudio, nec cæterorum amicorum. Multi enim me sive consolantur, sive reprehendunt. R.mi literæ pondus apud me habere prorsus debent, quas diligenter [illegible] quoties consideravi, [illegible] depolui sine lacrymis. N[illegible] non dicuntur ipsæ quidem juva-

aliquando scribendi commoditas non fuit: neque nunquam necessariæ scriptiones obstitere, ne dicam de gravi ætate & perpetua tenuitate valetudinis. Nunc vero incredibilis mœstitia quiquid est meditationum & scriptionum mihi conturbat: atque omnino satius sit, me in universum silentio uti, quando me hinc officio imparem intelligo. Tamen ubi me non nihil collegero, si hoc à me naturæve meę imbecillitate obtinere potero, relectis tuis epistolis, ad præcipua eorum capita rescribam accuratius. Jam brevitati veniam dabis. De studio mei consolandi te amo. Etsi autem hac re amici, quantum velint, non proficiunt; tamen isto genere ut mihi nihil magis necessarium, ita nihil gratius: neque me tuarum multitudine obrui putes velim. Plures exspecto & uberiores. Vale.

Helmæstadio ex academia Julia
Id. Martii. cIↃ IↃ c XI.

El-

EIDEM.

EPISTOLA XV.

INſidens lectulo ærumnoſus & æger (ſuperiore enim nocte peſſime habui) accepi noviſſimas à te litteras. Fratres in herciſcunda denique familia conveniſſe, vobis gratulor. De Henrico Julio, minimo natu, nihil accepimus; utinam ſuperſtes ille ſit! Cecidiſſe enim in Svecia multa millia in alterum jam menſem fama confirmat & certi plurium nuncii. De creditore ipſius Remi tandem conſtitutum, veſtræ & curatorum, & meæ exiſtimationis intereſſe intelligitis. Tibi gratulationem de duobus filiis ſcriptam non publicabo ante, quam legeris. Neque ſunt enim nulla, de quibus à te moneri velim. Deſcriptam, quam emendate neſcio, mitto ut cenſeas: otium ad relegendum non habeo. Rhumanno nihil habeo polliceri, qui ægre ſpirem. Meibomius hoc menſe ſepeli-

vit unicam filiam. Dipholdius ipse nuptias parat. Vale. Helmstad. ex acad. Jul. 18. Aug. clↄ Iↄ c XII.

EIDEM.

EPISTOL. XVI.

DE nuptiis fraternis nihil scribis: quod potissimum exspectabam, imo te exspectabamus jam à Kalendis, uti jusseras: nunc iterum spem Dionysii facis tui nullam: malim cum illo una adsis: etsi de illo potius, quam de te credo. Quæ tu me flagitas, nulla sunt, prȩter ipsam epitomen operis. Quid pollicear, vides: non nescius quin parum præstiturus sim, sive præstiterim. Duos enim gradus felicitatis hominum exædificavi, spectandos nondum proposui, etsi de iis censituros parum moror, de tertio animi pendeo. Vale. Ex ac. Jul. IV. Id. Febr. a. clↄ Iↄ c XIII.

Librum Caselii epistolarum ad Jagemannos epistolâ Chytræi finimus, quam perire nolimus.

DA.

DAVID CHYTRÆUS JOANNI JAGEMAN. S.

Magnifice Domine Cancellarie, Patrone colende,

Legi consolationem, à D. D. Basilio, pastore vestro, ad te scriptam, ex qua de integerrimi ac ornatissimi viri, patris tui beatæ memoriæ, obitu inexspectato cognovi. Etsi autem curiosius vel audacius facere videar, quod ad te, summa dignitate, sapientia & autoritate virum, ego tenuis ac humilis conditionis ludimagister, literas dare non verear: & dolor tuus, tempore ipso jam sedatus & lenitus, non refricandus existimari possit; tamen pro eximia bonitate & mansuetudine tua, magnis ac Heroicis viris dignissima, spero te, ut Artaxerxes Persarum Rex, haustum aquæ in itinere per agricolam oblatam, hoc scriptionis meæ officium non aspernaturum esse. *Decesserunt* subita & improvisa morte, (qua homini pio & ad migrationem parato, nullum genus mortis optabilius & magis expetendum est) plurimi pii, & sancti, & de Ecclesia & Republi-

publica benemeriti homines: quorum exempla hoc loco colligere nihil opus est. Tantum de iis, qui nostra memoria, in trajectu fluminum, vel in aquis perierunt, quædam recensebo. Meminimus, optimi Principis, Palatini Electoris FRIDERICI filium Hermannum Ludovicum, in Gallias studiorum gratia missum, in primo adolescentiæ flore, dum Avaricum fluv. in Biturigibus navicula trajicit, inversâ eâ, cum præceptore & comitibus extinctum esse, cum ætatis annum decimum quintum non fuisset egressus. (a) Petrus Medices, Florentinæ Reipub. Princeps, ad Lirim fluvium in castris Gallicis, magno Consalvo, præstantissimo Duci Hispano, Neapolitanum regnum pro *Hispanis* tuenti oppositis: cum cedere tandem virtuti & felicitati Consalvi cogeretur, insidens naviculæ, ut effugeret, in Liris fluvii ostio submersus est. (b) Superiori anno, Ludovici Comitis Eberstenii & Neugardensis in toto imperio clarissimi Filius, Academiæ Francofordiensis ad Viadrum sceptra gerens, dum juvenili cupiditati indulgens in Viadro lavat, vortice fluminis abreptus interiit. Guilielmus Nesenus, vir optimus & doctissimus, Erasmo Roterodamo, Luthero & Philippo familiaris & carus, dum incautius cimbæ insidens, recreandi animi causa, Albim navigat, summo cum amicorum dolore, in aquis

(a) anno 1556. (b) 1502.

quis suffocatus est. (*c*) Ursinus Velius, excellenti ingenio & doctrina præditus, & vates vero *Deo* & Musis carus, Ferdinando Regi familiaris, ex navi in Danubium elapsus periit. Martinus Schenckius, vir Nobiliss. & fortissimus, (cujus ossa reliqua superiori æstate in Mausoleo Ducum Geldriæ, Neomagi, â Mauritio Nassaviæ Comite, pompa solenni honorificentissimè condita sunt) dum armatus, trajecto Wahali effugere conatur, subsidente navicula nimium onerata, imis vitam exhalavit in undis. Tristior & magis horrendus, Baronis Joachimi à Neuhausen, Cancellarii Boieniæ, & hostis ac persecutoris veræ doctrinę acerrimi, exitus fuit: qui Viennâ revertens dum Danubii pontem transit, subsidentibus sub illius curru duobus jugis, præceps in profundum lapsus, cum filio, auriga & equis absorptus est. (*d*) Wittebergæ, singulis ferè annis, scholastici, in Albi lavantes, extinguuntur, quorum plerorumque adhuc ea ætas est, de qua Christus dicit, non esse voluntatem Patris sui cœlestis, ut pereat unus de parvulis illis. Ita in vicino nobis Baltico mari, quolibet ferè anno exempla naufragorum tristia exaudimus. Hyemis hujus initio, navis ex Norvegiæ emporio Bergensi, circiter quadraginta honestissimorum hominum in vicinis urbibus liberos revehens, procellis vento-

(*c*) *anno* 1524. (*d*) *anno* 1565.

ventorum eversa, omnibus pariter vitæ finem acceleravit. Quæcunque autem mortem nobis vel nostris causæ vel occasiones adferant, ut in Græco versu alium alia via ducere ad lamentabile lethum dicitur, ἄλλον δ' ἄλλα κέλευθα φέρει στυγόεντος ὀλέθρου: tamen non casu, nec caussis secundis tantum sed, Deo Patre nostro cœlesti sciente ac volente, vel certo consilio permittente, vitam nos aut nostros amittere non dubitemus: Cumque omnes in hac vita ad Christum conversos, & vera fide ac invocatione *D*eum colentes, ex his miseriis, in æternæ vitæ hæreditatem certo transferri, Filius Dei ipse testetur: certissime statuamus, parentes nostros in viis suis seu officiis suæ vocationis ambulantes, etiamsi subitâ & improvisâ morte, quibuscunque occasionibus à nobis tollantur, ad beatam cum CHRISTO & ecclesiæ cœlestis consvetudinem à Deo traduci.

Celebrat Georgius Fabricius, vates verò *D*eo & Musis carissimus, Nicolaum Hausmannum, Pastorem ecclesiæ Freibergensis, suggestu apoplexiâ extinctum.

Sic obit Hausmannus, quo vir nec sanctior alter,
Nec major studiis, vel pietate fuit.
Mors fuit haud impar vitæ, nec sanctius ille
Vivere, nec potuit sanctius ille mori.

Nam

Nam dum Christe tui spargebat semina verbi,
Dignam animam cœlo mitis ad astra levat.

Hoc exemplo, sæpe me, in carissimi Patris mei obitu simili, consolatus sum, eaque occasio fuit, ut de repentina morte attentius cogitarem, cumque domestica, carissimæ Conjugis & septem liberorum funera deinceps accederent, ut de morte & vita æterna lucubrationem, qua valedicere huic vitæ & mundo cogitabam, in schola instituerem. Quam si inspicere, cum per occupationes Reipub. gravissimas & concatenatas licebit, interdum dignaberis, & hanc epistolam, eodem quo â me scripta est animo simplici & bono, & benevolentiam tuam reverenter expetente, benignè accipies: eximium & singulare beneficium mihi à te tributum esse judicabo. Bene & feliciter vale. Rostochii, in feriis Natalitiis filii Dei, ordientibus annum 1593, quem M*tiæ* Tuæ & toti Ecclesiæ ac Reipub. Christianæ faustum & salutarem ex animo precor. Mitto Rectoris ante annum nostri, WILELMI Curlandiæ Ducis, Programmata: quæ sine molestia, ut spero, perlustrabis.

JO.

hoc si perseveras, non patiar à te desiderari officium meum. Aut enim si valebo, volumen ad te conscribam, ex quo tamen nihil novi disces, aut ostendam, unde meliora meis petas. Vale. Helmst. ex Acad. Julia d. 15. Aug. 1596.

EPISTOLA II.

IN quo me tibi gratificari voluisti, nihil præstiti, conatum intelliges, quo contentus eris. Ipsemet mihi Dn. Cancellarius ostendit de negotio esse ita ut volumus, quod tantum tuo nomine gaudeo, quantum de carissimi filii obitu doleo. Crede mihi, hic dolor quotidie in animo meo, multis & parvis etiam occasionibus, renovatur. Nob.mi Dn. Crusii consolationem & tuam non repudio, nec cæterorum amicorum. Multi enim me sive consolantur, sive reprehendunt. R.mi litteræ pondus apud me habere prorsus debent, quas diligenter [illegible] quoties consideravi, [illegible] depolui sine lacrymis. [illegible] N[illegible] [illegible]on dicuntur ipsæ quidem juva-

juvare, sed videntur mihi interdum habere vim remedii. Ne tamen putes me dolori succumbere, animum aliò converto, quantum queo: quod forte coram tibi aliquando explicabo. Vale. Helmstadio ex Academ. Julia Id. Octob. cIↃ IↃ IIIC.

EPISTOLA III.

TE salvum rediisse ad tuos, gaudemus. Aveo scire, satisne firma sit tua jam valetudo. Hic locus tertio jam anno infestatur morbo epidemio, sed alterius generis. Passim enim laboratur profluvio sangvinis, & fuere hoc mense quotidiana funera, puerorum maxime, & tenuiorum hominum & senum. Domi meæ Dei beneficio valemus. Superiori nocte decessit Cl.mus D. Dasypodius, diuturna tabe absumptus, ad quam accessit etiam sangvinis profluvium. Cum itaque vacet, etiam trium ex juridica Facultate Assessorum in illa ipsa primordinarium

[illegible]

teneat, decreto Principis & Consiliariorum, gener meus D. Theodorus Adamius; spero ipsi Professionem quoque illam assignatũ iri, modo R.mus Ill.mus in tempore moneatur. In tanta enim copia JCtorum, quorum alii aliis magis anxie exspectant, & occasionibus inhiant, videndum est, ne quis antevertat. Qua in re cujus potissimum, sive socer tuus adsit, sive absit, consilio & præsidio nitamur, non video. Quod si redierit Mag.cus Cancellarius, cum eo censeo statim loquaris, idque ut facias, magnopere te rogo. Si nondum redierit, facies pro tua prudentia, quod ex re esse judicabis. In eandem sententiam scripsi ad Dn. Gorzium, si forte in aulam venerit. Quas literas quoniam perbreves sunt, etiam Dn. Cancellarius legere non gravabitur. Vale. Helmstad. ex Acad. Jul. XXVII. die Jul. 1599.

EPISTOLA IV.

SI tua ætate sim, aut minus occupatus, contra tecum jocer. Legi enim tuas ad generum meum.

Sed nescio quomodo hęc ætas, etiam cum meditatur, esse svavis, videtur aliis morosior: ut insolentes hujusmodi negotiorum, molestiam ex iis capiunt, quæ aliis sunt ludus & jocus. Ita ego insolens c ontentionum, magis indignor, quam qui in rixis enutriti, in iisdem consenuerunt, ac forte ex iis voluptatem capiunt & vivunt. Sed ad rem. Jam non queri te arbitror, te præteritum: ex iis verbis video, te cupere esse nobiscum, ut servias honori nostro, ut tum faciebas præclarè. Nec vero vos retineat fama, quam velim extinctam de hoc malo epidemio, ut ipsum malum extinctum est. Aliquot enim his diebus funus non vidimus: nec secus tibi narrabunt alii. Sed audi ipsum Cludium. Ades igitur, & persvade amicis, ut una veniant. Quia erimus p uciores, magis velim honorari à præstantibus nuptias: & futurum auguror in iis te cito, sive ob consanguinitatem flagito. Persvade uxori, ut hoc tibi persvadeat. Te favere genero scio: ago apud Socerum tuum, ad quem scriberem, nisi obtundere potius,

potius, quam rogare videret aut monere: scribam tamen. Tu videris, supprimas ne an reddas epistolam. Fit enim sæpe, ut quod primum pures, rectius repudies. Nec tacere expedit, & institisse non raro obfuit. Quid recte fiat, cogita: utrum feceris, prudenter te fecisse arbitror. Quin ad vos venerit D. Götzius, non dubito; neque hic in illo negotio nobis deerit; utinam vero & in nuptiis appareat: in ipsius prædium literas misi tum. Jam ad Principem profectus scribitur. Vale. Helmstad. ex Ac. Jul. Non. Septemb. cIↃ IↃ Ic.

EPISTOLA V.

VAlde nititur tua benevolentia M. Leo, quam ipsi, ut hoc potissimum tempore probes, rogo. Pluribus ille tibi verbis referet de studiis suis, quæ coluit ante Philosophica: nunc potissum colit Theologica: & ea persequi malit, quam eccleſi-

clesiasticam functionem acceptare, quarum tres sibi hoc tempore, sed vulgares admodum offerri ait, & sperat se σὺν Θεῷ majori etiam muneri cum laude & utilitate publica propediem præfuturum, si plus temporis adhuc tribuat studio sacrarum literarum. Ego ei hac in re consulere non possum, nec forte debeo: nec vero etiam volo. Nolo enim videri Theologis πολυπραγμονεῖν, presertim cum plurium odia & iras in me concitarit unus calumniator. Qui si essent docti, non facile inanibus accusationibus commoverentur. At ego putabam, si Studiosos Theologiæ paullo doctiores faceremus, quam vulgò evadunt, tum nos bene mereri de ecclesia, & deberi nobis insuper præmia. Nunc illi doctores rebus secundis elati, ad dominandum assvefacti, astu Pharisaico tumidi, minantur nobis furcas Hamonianas; & quia etiam ipsis non licet explere animum nobis occidendis, aut exigendis in exilium, ideo tam multis putidis, indoctis calumniarum, mendaciorum, conviciorumque plenis libellis nos e-

mu-

multis locis adoriuntur. Hoc pacto ostendunt se Theologos; quo nemo Christianus, ac ne apud Turcas quidem vir bonus videri possit. In tanta injuria, qui eam quoque intelligant, nonnulli nobis minus favent: alii hactenus tacendum esse existimant: quod tamen tandem ad abolitionem liberalium disciplinarum, & Philosophiæ, quæ indoctis & imperitis est acre venenum, spectat. Sed ad Leonem redeo: cui quæso, ut vel bonum consilium des, vel à Dn. Cancellario Socero tuo impetres. Nescio quid de Saxonibus censeam? an prorsus nullius ingenii sumus? an exteri soli omnia intelligunt? accersuntur enim exclusis civibus ad prima in ecclesia loca: exteri porro illi nobis ita favent, ut nos vix aliquo loco esse patiantur. Ac nimia nostra hæc est simplicitas. Ita fit, ut Studiosi adolescentes, prçsertim tenuioris fortunæ, animos abjiciant, nec facile nostris cohortationibus ad studia accendantur. Quoties audivimus querentes alumnos Principis?

clesiasticam functionem acceptare, quarum tres sibi hoc tempore, sed vulgares admodum offerri ait, & sperat se σὺν Θεῷ majori etiam muneri cum laude & utilitate publica propediem præfuturum, si plus temporis adhuc tribuat studio sacrarum literarum. Ego ei hac in re consulere non possum, nec forte debeo: nec vero etiam volo. Nolo enim videri Theologis πολυπραγμονεῖν, presertim cum plurium odia & iras in me concitarit unus calumniator. Qui si essent docti, non facile inanibus accusationibus commoverentur. At ego putabam, si Studiosos Theologiæ paullo doctiores faceremus, quam vulgò evadunt, tum nos bene mereri de ecclesia, & deberi nobis insuper præmia. Nunc illi doctores rebus secundis elati, ad dominandum assvefacti, astu Pharisaico tumidi, minantur nobis furcas Hamonianas; & quia etiam ipsis non licet explere animum nobis occidendis, aut exigendis in exilium, ideo tam multis putidis, indoctis calumniarum, mendaciorum, conviciorumque plenis libellis nos ex

mul-

multis locis adoriuntur. Hoc pacto ostendunt se Theologos; quo nemo Christianus, ac ne apud Turcas quidem vir bonus videri possit. In tanta injuria, qui eam quoque intelligant, nonnulli nobis minus favent: alii hactenus tacendum esse existimant: quod tamen tandem ad abolitionem liberalium disciplinarum, & Philosophiæ, quæ indoctis & imperitis est acre venenum, spectat. Sed ad Leonem redeo: cui quæso, ut vel bonum consilium des, vel à Dn. Cancellario Socero tuo impetres. Nescio quid de Saxonibus censeam? an prorsus nullius ingenii sumus? an exteri soli omnia intelligunt? accersuntur enim exclusis civibus ad prima in ecclesia loca: exteri porro illi nobis ita favent, ut nos vix aliquo loco esse patiantur. Ac nimia nostra hæc est simplicitas. Ita fit, ut Studiosi adolescentes, prçsertim tenuioris fortunæ, animos abjiciant, nec facile nostris cohortationibus ad studia accendantur. Quoties audivimus querentes alumnos Principis?

non solum se negligi, sed sæpe vilissimum quemque doctiori anteferri: quæ forte non sunt omnino de nihilo. Optime esse affectum erga civium filios Socerum tuum scio; cum vero consilio abundet, non deerit, neque Leoni, neque aliis. Velim te quoque, etsi graviores sunt tuæ occupationes, hoc scholasticum negotium non prorsus negligere. Suscipe de literis tu quoque aliquam cogitationem, & iniquorum animos emolli, & interdum flecte ad nostros homines ornandos. Vale. Et quoniam me vis scribere, tu quoque expergiscere, & scribe, vel quodcunque in buccam veniat. Forte enim non lubet tibi hoc ulcus tangere. Helm. ex Acad. Jul 29. Jan. 1601.

EPISTOLA VI.

RETulit mihi gener meus Hupæus sermones tuos. Eum quod amas gaudeo: quod de eo ornando cogitas, amice facis.

Quod

Quod te rogaveram, ut moneres Socerum tuum, id te fecisse arbitror. Quæso id quando spei est? * * Oeconomus Academiæ etiam sui ad te a me verbo mentionem fieri voluit. Non dubito, quin cum Academiæ minister sit, ei præsto futurus sis, quod commodo tuo facies. Vale. Helmst. ex Acad Jul. d. 8. Febr. cIↃ IↃ cI.

Epistol. VII.

ERam istic, quod te non fugit, quem pridie convenissem, in summo dolore tuo, ex quo ipse quoque tantum capiebam, ut non minus medicinæ eguerim, nec forte aliquam tibi facere debuerim. Stulte enim & infeliciter tam profunda vulnera tractantur. Nec postea aliquid scripsi tui consolandi gratia, ne cicatricem leviter obductam, sive crudum adhuc vulnus fuerit, refricarem. Nec defuerint tamen tibi, qui te vel coram, vel litteris vel exemplo consolarentur. Scio enim forti animo esse Socerum tuum:

& tu quoque te virum natum memineris. Ego in simili casu, ut mea fert opinio, acerbiore me gravissime affectum fuisse, non nego: neque tamen animum despondi: neque tamen à tot annis animum ita confirmavi, ut illum casum cogitans, non altius suspirem ob illum talem filium amissum: neque tamen non omnis generis remedia mihi in promptu sunt, quibus uti aliàs soleo. Nec vero illis ipsis te uti dubito, quibus quicunque utitur, quodam tandem modo convalescit. Quin futurum auguror, ut aliquando totum te colligas, quando plures ex te filios salvos & florentes videbis. Ego ad unum quotidie respiciens, aliquantulum respiro. De inscriptione monumenti cur tibi negem? Sed eam cum cujusmodi esse oporteat, nequedum habeam, quæso fer moram. Aut Adamius, gener meus, aut Cornelius videbunt, quod & tu probes, & lectorem afficiat. Vale.

Helmstadio ex Academia Julia XIV. Kalend. Jan.
clↄ Iↄcl.

EPI.

Epistol. VIII.

SCripsi, te habiturum monumenti ἐπιγραφὴν, ut primum rediisset Cornelius. Postquam rediit, cum eo de ulla re loqui non contigit, atque adeo nequedum iter suum mihi exposuit, neque ea, quorum gratia iter longinquum suscipere jussus fuerat. Gener autem meus distinetur forensibus negotiis. Quare ne me meditationem hanc subterfugere existimes, mitto ad te, quæ non aliena ab illo loco censeam. Quia vero longiusculum hoc esse, nec satis nervorum habere censeo, ne insculpendum cures statim. Agam cum utroque, ut brevius & argutius aliquid inveniant. Denique è tribus sumes, quod maximè concinnum videbitur. Utinam tali opera tibi nunquam opus fuisset.

Secundum est, ut te colligas, & fati necessitatem patienter feras. Vale. Helmstad. ex Acad. Jul. prid. Id. Jan. cIↄ Iↄ CII.

P.S. De genero meo Th. Hupæo scripsi ad te ante paucos dies. Negotium tibi curæ es- non dubito. Verum & ipse biduo tibi aderit. Iterum vale:

Epistola IX.

SCripseram ad te de genero Hupæo diligenter iterum atque iterum: verum ex eventu video, non fuisse occasionem ad eam rem. Velim intentus sis in aliam. Ipse tibi de rebus suis pridem exposuerit, & si quid opus est, exponet modo coram. Is vir est, qui magnis etiam negotiis expediendis par sit, in quo neque literas, neque consilium, neque industriam, neque fidem desideres Quod ego ajo, non ut de genero, sed de viro præstante, cujus & animi dotes & animum ante exploravi, quam ei filiam nuptum dedi, nec te fugit, me

recte sentire, cum à multis jam annis conjunctissime vixeritis. Vale. Helmstad. ex Academia Julia IIX. Kal. Feb. cIↄ Iↄ CII.

P. S. Has exaraveram antè, quam tuas mihi D. Cludius reddidit: quæ pollicentur, quod peto.

EPISTOLA X.

HIc juvenis M. Joannes Gudenius, Serenissimi nostri stipendiarius, disputationem περὶ εὐδαιμονίας hic edidit, deque ea re publice cum laude respondit. Ipse theses Socero tuo Magn. Dn. Cancellario ut principi τῆς ἀκαδημίας ἐφόρῳ, & communi alumnorum Principis patrono inscripsit: grate & prudenter, ut ego quidam arbitror. Quas cum ipsi redditurus esset, petiit à me ad ipsius Amplitudinem litteras: dixi mihi hoc tempore non videri interpellandum Cancellarium: quid me moveret, ipsi dicere necesse non habebam, & tu facile possis suspicari. Ne tamen nihil studii

studii præstarem Gudeno, dedi ei has ad te literas. Nec tamen tibi gravis ero: tantum rogo, ut hujus juvenis per occasionem mentionem injicias: honestus est ac eruditus, observantissimus nostri, & cum primis Domini Cancellarii. Potissimum est, ut eimodo innotescat. Solemus autem nostri studiosos, & de meliore nota cognitos complecti præ aliis. Longiorem aliam ad te composueram, neque dum perfeceram tamen. Unà ad te generi mei literas mitto. Et hic quoque tua benevolentia & autoritate nititur. Multa mihi ex prolixis tuis sermonibus exposuit: adeoque optamus tibi dari καιρὸν ejus ornandi. Vale. Helmstad. ex Acad. Jul. IV. Id. Febr. clɔ Iɔ CII.

Epistola XI.

Voluit, ut ante scripsi, his diebus tibi adesse Theodorus Hupæus, gener meus iturus cum altero genero D. Theodoro. Sed hic tam gravi

gravi tussi laborat, ut aliquot diebus limen non transierit. Itaque Hupæus cōstituerat cum D. Cludio iter ingredi; sed eo ipso momento cœpit vertigine laborare & vexari insolitis ardoribus. Igitur has litteras ad te dedi, te rogans, ut, quamvis absentis, fideliter memineris. Vale. Helmstad. ex Acad. Julia XVII. Kalend. Februar. Anno cIↃ IↃ CII.

Epistola XII.

Rescripsisti tu quidem: quædam tamen attingenda tibi forte non putasti, etsi prætendis fori negotia: neque me doces, quod initio quærebam de uxoris tuæ fratribus. Quod ad meam petitionem attinet, non id agebam, ut Quæstorem convenires: quem ego jam sciebam gratificari posse nemini. Cum interminatione enim gravi ipsi interdictum cognoveramus, ne cujusquam omnium rationem haberet, hos

clesiasticam functionem acceptare,
quarum tres sibi hoc tempore, sed vul-
gares admodum offerri ait, & sperat
se σὺν Θεῷ majori etiam muneri cum lau-
de & utilitate publica propediem præ-
futurum, si plus temporis adhuc tri-
buat studio sacrarum literarum. Ego
ei hac in re consulere non possum, nec
forte debeo: nec vero etiam volo.
Nolo enim videri Theologis πολυπρα-
γμονεῖν, præsertim cum plurium odia
& iras in me concitarit unus calumnia-
tor. Qui si essent docti, non facile in-
anibus accusationibus commoveren-
tur. At ego putabam, si Studiosos
Theologiæ paullo doctiores facere-
mus, quam vulgò evadunt, tum nos
bene mereri de ecclesia, & deberi no-
bis insuper præmia. Nunc illi docto-
res rebus secundis elati, ad dominan-
dum assvefacti, astu Pharisaico tumidi,
minantur nobis furcas Hamonianas; &
quia etiam ipsis non licet explere ani-
mum nobis occidendis, aut exigendis
in exilium, ideo tam multis putidis,
indoctis calumniarum, mendaciorum,
conviciorumque plenis libellis nos ex

mul-

multis locis adoriuntur. Hoc pacto ostendunt se Theologos; quo nemo Christianus, ac ne apud Turcas quidem vir bonus videri possit. In tanta injuria, qui eam quoque intelligant, nonnulli nobis minus favent: alii hactenus tacendum esse existimant: quod tamen tandem ad abolitionem liberalium disciplinarum, & Philosophiæ, quæ indoctis & imperitis est acre venenum, spectat. Sed ad Leonem redeo: cui quæso, ut vel bonum consilium des, vel à Dn. Cancellario Socero tuo impetres. Nescio quid de Saxonibus censeam? an prorsus nullius ingenii sumus? an exteri soli omnia intelligunt? accersuntur enim exclusis civibus ad prima in ecclesia loca: exteri porro illi nobis ita favent, ut nos vix aliquo loco esse patiantur. Ac nimia nostra hæc est simplicitas. Ita fit, ut Studiosi adolescentes, pręsertim tenuioris fortunæ, animos abjiciant, nec facile nostris cohortationibus ad studia accendantur. Quoties audivimus querentes alumnos Principis?

non solum se negligi, sed sæpe vilissimum quemque doctiori anteferri: quæ forte non sunt omnino de nihilo. Optime esse affectum erga civium filios Socerum tuum scio; cum vero consilio abundet, non deerit, neque Leoni, neque aliis. Velim te quoque, etsi graviores sunt tuæ occupationes, hoc scholasticum negotium non prorsus negligere. Suscipe de literis tu quoque aliquam cogitationem, & iniquorum animos emolli, & interdum flecte ad nostros homines ornandos. Vale. Et quoniam me vis scribere, tu quoque expergiscere, & scribe, vel quodcunque in buccam veniat. Forte enim non lubet tibi hoc ulcus tangere. Helm. ex Acad. Jul 29. Jan. 1601.

Epistola VI.

Retulit mihi gener meus Hupæus sermones tuos. Eum quod amas gaudeo: quod de eo ornando cogitas, amice facis. Quod

Quod te rogaveram, ut moneres Socerum tuum, id te fecisse arbitror. Quæso id quando spei est? * * Oeconomus Academiæ etiam sui ad te a me verbo mentionem fieri voluit. Non dubito, quin cum Academiæ minister sit, ei præsto futurus sis, quod commodo tuo facies. Vale. Helmst. ex Acad Jul. d. 8. Febr. clↄ Iↄ cI.

EPISTOL. VII.

ERam istic, quod te non fugit, quem pridie convenissem, in summo dolore tuo, ex quo ipse quoque tantum capiebam, ut non minus medicinæ eguerim, nec forte aliquam tibi facere debuerim. Stulte enim & infeliciter tam profunda vulnera tractantur. Nec postea aliquid scripsi tui consolandi gratia, ne cicatricem leviter obductam, sive crudum adhuc vulnus fuerit, refricarem. Nec defuerint tamen tibi, qui te vel coram, vel litteris vel exemplo consolarentur. Scio enim forti animo esse Socerum tuum:

& tu quoque te virum natum memineris. Ego in simili casu, ut mea fert opinio, acerbiore me gravissime affectum fuisse, non nego: neque tamen animum despondi: neque tamen à tot annis animum ita confirmavi, ut illum casum cogitans, non altius suspirem ob illum talem filium amissum: neque tamen non omnis generis remedia mihi in promptu sunt, quibus uti aliàs soleo. Nec vero illis ipsis te uti dubito, quibus quicunque utitur, quodam tandem modo convalescit. Quin futurum auguror, ut aliquando totum te colligas, quando plures ex te filios salvos & florentes videbis. Ego ad unum quotidie respiciens, aliquantulum respiro. De inscriptione monumenti cur tibi negem? Sed eam cum cujusmodi esse oporteat, nequedum habeam, quæso fer moram. Aut Adamius, gener meus, aut Cornelius videbunt, quod & tu probes, & lectorem afficiat. Vale.

Helmstadio ex Academia Julia XIV. Kalend. Jan.

clↃ lↃcI.

EPI.

EPISTOL. VIII.

SCripsi, te habiturum monumenti ἐπιγραφὴν, ut primum rediisset Cornelius. Postquam rediit, cum eo de ulla re loqui non contigit, atque adeo nequedum iter suum mihi exposuit, neque ea, quorum gratia iter longinquum suscipere jussus fuerat. Gener autem meus distinetur forensibus negotiis. Quare ne me meditationem hanc subterfugere existimes, mitto ad te, quæ non aliena ab illo loco censeam. Quia vero longiusculum hoc esse, nec satis nervorum habere censeo, ne insculpendum cures statim. Agam cum utroque, ut brevius & argutius aliquid inveniant. Denique è tribus sumes, quod maximè concinnum videbitur. Utinam tali opera tibi nunquam opus fuisset.

Secundum est, ut te colligas, & fati necessitatem patienter feras. Vale. Helmstad. ex Acad. Jul. prid. Id. Jan. clↄ Iↄ CII.

P.S. De genero meo Th. Hupæo scripsi ad te ante paucos dies. Negotium tibi curæ esse non dubito. Verum & ipse biduo tibi aderit. Iterum vale:

EPISTOLA IX.

SCripseram ad te de genero Hupæo diligenter iterum atque iterum: verum ex eventu video, non fuisse occasionem ad eam rem. Velim intentus sis in aliam. Ipse tibi de rebus suis pridem exposuerit, & si quid opus est, exponet modo coram. Is vir est, qui magnis etiam negotiis expediendis par sit, in quo neque literas, neque consilium, neque industriam, neque fidem desideres Quod ego ajo, non ut de genero, sed de viro præstante, cujus & animi dotes & animum ante exploravi, quam ei filiam nuptum dedi, nec te fugit, me recto

recte sentire, cum à multis jam annis conjunctissime vixeritis. Vale. Helmstad. ex Academia Julia IIX. Kal. Feb. cIↄ Iↄ CII.

P. S. Has exaraveram ante, quam tuas mihi D. Cludius reddidit: quæ pollicentur, quod peto.

EPISTOLA X.

Hic juvenis M. Joannes Gudenius, Serenissimi nostri stipendiarius, disputationem περὶ εὐδαιμονίας hic edidit, deque ea re publice cum laude respondit. Ipse theses Socero tuo Magn. Dn. Cancellario ut principi τῆς ἀκαδημίας ἐφόρῳ, & communi alumnorum Principis patrono inscripsit: grate & prudenter, ut ego quidam arbitror. Quas cum ipsi redditurus esset, petiit à me ad ipsius Amplitudinem litteras: dixi mihi hoc tempore non videri interpellandum Cancellarium: quid me moveret, ipsi dicere necesse non habebam, & tu facile possis suspicari. Ne tamen nihil studii

studii præstarem Gudeno, dedi ei has ad te literas. Nec tamen tibi gravis ero: tantum rogo, ut hujus juvenis per occasionem mentionem injicias: honestus est ac eruditus, observantissimus nostri, & cum primis Domini Cancellarii. Potissimum est, ut eimodo innotescat. Solemus autem nostri studiosos, & de meliore nota cognitos complecti præ aliis. Longiorem aliam ad te composueram, neque dum perfeceram tamen. Unà ad te generi mei literas mitto. Et hic quoque tua benevolentia & autoritate nititur. Multa mihi ex prolixis tuis sermonibus exposuit: adeoque optamus tibi dari καιρὸν ejus ornandi. Vale. Helmstad. ex Acad. Jul. IV. Id. Febr. CIƆ IƆ CXI.

EPISTOLA XI.

VOluit, ut ante scripsi, his diebus tibi adesse Theodorus Hupæus, gener meus iturus cum altero genero D. Theodoro. Sed hic tam gravi

gravi tussi laborat, ut aliquot diebus limen non transierit. Itaque Hupæus cõstituerat cum D. Cludio iter ingresi; sed eo ipso momento cœpit vertigine laborare & vexari insolitis ardoribus. Igitur has litteras ad te dedi, te rogans, ut, quamvis absentis, fideliter memineris. Vale. Helmstad. ex Acad. Julia XVII. Kalend. Februar. Anno cIɔ Iɔ CII.

EPISTOLA XII.

Rescripsisti tu quidem: quædam tamen attingenda tibi forte non putasti, etsi prætendis fori negotia: neque me doces, quod initio quærebam de uxoris tuæ fratribus. Quod ad meam petitionem attinet, non id agebam, ut Quæstorem convenires: quem ego jam sciebam gratificari posse nemini. Cum interminatione enim gravi ipsi interdictum cognoveramus, ne cujusquam omnium rationem haberet, hos

hoc est neque egentissimi neque optimi meriti. Quid igitur, inquies, facerem? Hoc Senatorem ignorare non est veri simile. Non dico, ut quod forte queas, mutuo me juves ad Kal. Jan. & inde tum repetas: quod amicus ab amico exspectare poteram, & tu ultro præstes, si tibi in mentem veniat. Solent enim amici necessitate intellecta amicorum petitiones antevertere. Poteras & hodie possis cum istorum ψηφισμάτιον conditoribus primariis agere, aut saltem eorum animos explorare, qui quod emersêre & emergunt, hoc litteris & academiis & mei ordinis hominibus debent. Namque qui sine litteris sunt, eosdem esse absque benevolentia erga nos, non est sane mirum: hi semper etium iniqui censores erunt rerum, quas non intelligunt: solentque ejusmodi lapidem molarem anteferre sexcentis uniobus: interdum paucos aureos universæ sapientiæ. Cur ipse illos non alloquar, si quæris, tute intelligis, facilem esse offensam: si acrius instes, nihil profici: si lenius agas, nihil promoveas: tu vero, aut

aut si quis pro nobis loqui velit, ostendat, quanta injuria afficiamur, ut ego tibi proximè ostendi, & verum est, (nec enim aliter sentio ac scribo) & si qui ita tractandi sint, non esse omnes æquè viles habendos, & utut quis mereatur, æque premendum cum aliis. Ad Streithorstium scripsi, etsi hanc petitionem ad eum nondum detuli. Ad Socerum? inquies; eum si tu nequeas flectere, ego laterem lavero. Namque, ut omnes ajunt, æquè succenset nobis omnibus. Si autem porro scribam, iniquo animo laturus sit, ut audio, etsi ne scidam quidem dedi, cujus rationem reddere non sim paratus. Ipsi tamen ignosco, qui per multitudinem & gravitatem negotiorum non potest perpendere omnia, & pertrahitur invitus forte censuris potentiorum, quo non inclinet ultro. Ego de meis rebus hac ætatis meæ vespera aliud consilium capere non possum. Itaque Deum rogo, ut vel ex his ærumnis me benigne avocet, vel mihi donet ὑπομονήν. Nam hæc academia, quæ tot annos fuit tot tantisque calamitatibus ex-

po-

posita, cum jam denuo prematur calumniis malevolorum, quibus fidem adhibent, qui εὐεργέται nostri esse debebant, & de rebus aliter judicare & statuere, quid sperem aliud non video, quam ut quæ nos ædificavimus, in omni genere bonarum disciplinarum, destruantur, & quæ indoctissimus & ineptissimus quisque doceat, ea sint in pretio, atque ita in re omnium difficillima, valeat judicium plebeculæ. At sapientes cogitare oportebat verè dictum ab Æschylo, turpe esse de rebus præclaris ex acclamationibus vulgi judicium facere: αἰσχρὸν δὲ κρίνειν καλὰ τῶν πολλῶν ψόφῳ. Præter autem quod studia sapientiæ petantur, ego vapulo præ omnibus, & ab iis, de quorum ordinis filiis nemo tam bene meritus est, aut mereri potest, atque ego, quod multis verbis ad alium amicum sum conquestus. Proxima πεντηκοστῇ quidam Collegarum cum Wittebergæ de Atheismo hic ingruente mentionem ad Theologos fecisset, meam ille personam adduxit pro exemplo, idque eo loco, ubi ante annos quadra-

quadraginta quatuor aut plures me amavit & ornavit commendatione publica Melanchton. Illud autem pati innocentem, pium est, facere impium, & nisi παλινῳδή, ἄθεον. Alius istic in mensa SER.mæ me parum amice calumniatus est, quod ad doctos viros litteras darem, quos ille insimularet αἱρέσεως. Hæc planius eram scripturus, itemque alia, quæ non invitus legeres, περί τε τοῦ φιλοσοφεῖν καὶ περὶ τοῦ πολιτεύεσθαι: hoc quia partem reip. geris, illud quia scribis te philosophari. Sed de utroque aliquando rectiùs coram. Duncanum istuc properantem tenere nec debeo, neque se teneri patiatur: quem quæso ad te accersitum audias. Veriora tibi narrabit, quam calumniatures. Audimus etiam, imo comperimus, magno studio agi, ut qui cum Socero tuo & mecum itidem rediit in gratiam, ad cathedram pristinam redeat. An hoc pacto aut saluti Academiæ aut existimationi Serenissimi consuletur? de hac quid historiæ referent? illa eo momento turbabitur.

 Nam

Nam & ineptas suas & absurdas & ἀθεολόγους opiniones fovet non minus, & nos contumeliis afficere non desiit, nec desinet. Eandem crambem recoxit scriptis suis alibi cum aliis disputans. Deus illi det bonam mentem: neque ei, neque cuiquam quidquam bonorum invidero, sic ipse Deum propitium habeam! Vale. Helmstad. ex Acad. Jul. Die 15. Sept. clↄ Iↄ cIII.

EPISTOLA XIII.

AD epistolam tuam respondi pluribus: quod velle videbaris. Do iterum longiusculas Rabano, redeunti a Sarmatis. Tamen proficiscenti istuc Hupæo, genero meo, hanc scidam dedi, quam ipse tibi redderet, ut quemadmodum hunc tam repentinum & gravem casum ferres, mihi renunciaret. Vale. Helmstad. ex Academia Julia IV. Id. Februar. clↄ Iↄ CIV.

EPI-

Epistola XIV.

SI quid elegans mihi venisset in in mentem, multo antè ad te missem: vulgare autem aliquid neque tu velis, neque me mittere deceat. Non solum senectus, sed adversitates complures omnia mihi negant, quæ invitare aut oblectare lectorem queant. Repentinus vero etiam obitus Soceri tui me supra modum perturbavit, & variè omnino adfecit; denique erupi in illud Regis sapientissimi: ματαιότης ματαιοτάτων, τὰ πάντα ματαιότης. Ac sanè verum est, non solum non præcipitandum in abjectas voluptates, & modum ponendum honestioribus: sed neque affectandas opes, nec honores, nec dominatum: & hæc interdum deponenda, fugientia autem sive amissa non deploranda: modo sit horum quod satis sit: satis est autem, abesse ab infamia, à mendicitate, à servitute. Hoc vobis bonorum copia & gratia Principum affluen-

tibus raro videtur. Hæc dum consi-dero, hanc meam tenuitatem modicè fero, in qua cum vixerim & consenuerim, stultus sim, si novam vitæ rationem mediter, aut me excruciem, quod iis careo, quorum jactura sine causa aliis gravis est. Socer tuus ipse se hoc onere levari volebat, ut mihi in postremo sermone, quem hic una habuimus, post multas querelas, in quibus commemorabat non repetenda litteris, ostendit. Quemadmodum honore illo deposito privatum otium tulerit, tibi magis constabit, atque mihi: de hoc aliis aliud videtur: ego non puto ipsum abjecisse animum, sed multa tamen cum indignatione tolerasse suspicor: qui ipse quoque est gravis animi affectus. Cogitavi sæpe ad ipsum scribere, & litteris aliquid aspergere philosophiæ: omisi, quod dubitarem, quomodo ea acciperet, præsertim cum sciret, multos queri, se superiore academiæ censura gravatos: nec unum, fortè exceperis. Utinam magnus ille vir, mihi vera narranti de statu academiæ Juliæ & rationibus nostris potius credidisset,

ſet, quàm inani famæ, qua docentes negligentiæ falſò incuſabantur, & calumniatoribus, qui, ut ipſi aliquid eſſe viderentur, quidvis in alios confingebant. Sed hoc tempore prætereo cętera, quæ tu fortè non cognoveris. Mihi fuiſſe amicum initio, & benè de me meritum, & memini & profiteor. Quid autem ipſius laudibus, quas extuli, cum de Nobilitate ſcriberem, à me poſſit adjici? Quid alii velint, neſcio: tibi quoque ſi quid in honorem Soceri ſtatueris, quod liberis omnino curæ eſſe debet, prudentia opus fore intelligis. Quod autem dolori modum ponis, & res tuas conſilio adminiſtras, facis dignum prudente viro. Si tibi conſolatione aut conſilio opus eſſe ſuſpicarer, conarer in utroque aliquid ipſe animo multis de cauſis æger, nec dives conſilii. Si tamen opus ſit, ex iiſdem hauris omnia fontibus, ac ſine dubio habes ſemper ante oculos poſitam legem Polybii, quam promulgavit regiarum cultoribus. Pluribus tibi ſtatim reſpondi, minus fortè accuratè, quàm volueris. Vale. Helm. ex ac. Jul. IV. Kal. Febr. cIɔ Iɔ ɔLV.

EPISTOLA XV.

HOstes Soceri tui, iidemque mei nos duos factionem alere ementiti fuêre, quod te non fugit. Cùm autem ab initio plures ad ipsum epistolas miserim, alias non negligenter scriptas, alias extemporaneas, plerasque ad bonum Academiæ spectantes, paucas de miseriis meis privatis, velim eas diligenter asservari: ut inde, siquæ denuo mendacia in nos spargantur, refutari possint. Hoc ad defuncti quoque existimationem spectat, non minus quàm ad meam. Ipse quoque aliquando genero meo dixerat, se aliquas editurum: fortè & ego hoc non negligam. Quarundam enim ἀρχέτυπα in meis chartis esse existimo. Iterum vale.

P. S. *De puero oblitus fueram respondere: quia denuo mones, sic habe: qualem tu requiris, talem & gener meus satis diu frustrà quærit: elegantes facile ubivis heros inveniunt: rudium & incultiorum greges passim ipse videas. It. Vale. 3. Kal. Febr.*

EPI-

EPISTOL. XVI.

NOn eſt, cur vetera altius revocem, quorum etiam recordatione non ſvaviter equidem afficior. Quo loco hodie hæ res ſint, non te fugit. Eſſent tolerabili, ſi inter nos nobis vellemus. Sed aliud alios diſtrahit, alios nimium rei propriæ ſtudium retinet. Quod malum hodie novum non eſt, ſed tantum tamen, in quo nihil boni ſit. Facit enim homines & communis humanitatis obliviſci & ſuæ dignitatis. Olim credidi hoſpite hic tuo neminem apud nos mihi meisque eſſe amiciorem: certe ego ipſum meique coluimus, ut par fuit: prolixe ſemper ſua nobis officia detulit. Verum quum ab eo D. Theodorus peterit humaniſſima & doctiſſima epiſtola, quod æquiſſimum eſſe negare nemo poſſe videtur; quid fecit? quod ego in nulla parte amicitiæ invenio: ſequebatur τὸ ἀνεξέταστον: inde non leves ortæ offenſæ animorum, haud

EPISTOL. XVII.

Cum popularis noster (*Rabanus*) diploma ſalvi conductus ſe velle ſcriberet, mirabar non unà cum literis ad Cl. Petræum, miſſas literas ſupplices. Deſino mirari, quod tabellarius docet, ſe jam tibi reddidiſſe vel faſciculum vel litteras. Illas igitur ad te miſit, aut tibi negotii tractandi, et, ſi opus ſit, ejusmodi conficiendi poteſtatem, vel diſerte vel tacite fecit. Sic velim pro tua prudentia accipias, & pro tua benevolentia facias. Quo enim potius nitatur, quam tuo præſidio? Ea ſpes ne hominem fallat, da operam. Integer & præclare doctus eſt, & induſtrius, & ex conſvetudine Zamoſciana tot annorum prudens. Utinam ille caſus infelix olim non interveniſſet, quem nunc in ſcelus converſum optant, qui viam ad cœlum monſtrant aliis. Iidem profecto me præter meritum adorti ſunt luculenta calumnia,

quod pridem te comperisse arbitror. Sin; audies ex genero meo, atq; etiam leges eorum ad Senatum adversus me epistolam, in qua tamen neque mihi soli maledicunt. Rabanum autem, quo melior vir est, & bonorum atque patriæ amantior hoc minus censent ferendum. Sunt enim ex genere hospitum, qui sibi injuriam fieri arbitrantur, nisi nobis imperent. Quo magis rogo, ut ejus causam tuendam suscipias, quoad te recte posse intelliges. Nec enim me decet aliud abs te rogare: nec aliud facere, aut etiam me petere cogitare. Si nihil præterea sit, consilia hominum factiosorum, nec ulli rei, nisi suo bono, sive inscitiæ atque malitiæ, consulentium evertere, boni viri & amantis patriæ est. Quæris de fratre uxoris tuæ; aut per generum scribam, aut per ipsum. Ajebat enim in prandio, se brevi te visurum. Tamen ut caput rei noveris; scito eum mihi ob liberalia studia & modestiam esse carissimum. Tempus ille bene posuit, quo à nobis abfuit: qui non sollum doctior & disertior, sed melior e-

tiam

tiam redierit: quanquam & litteræ & oratio quoque in bonitate continentur. Vale. Helmſtad. ex Acad. Julia Kal. Quint. cIↄIↄ clv.

EPISTOLA XVIII.

PErbreves ad te dedi adoleſcenti: quod longiores hujus diei hilaritati convenire non putaram: moroſiores autem minime. Itaque non attigi heſternæ diei futuram contentionem. Cui utinam nunquam fuiſſet data occaſio, aut tota res diſſimilatione oppreſſa! Fas enim eſt, ut quæ ex affectu ebullierint, de iis graviter ulciſcendis conſilium non capiamus. Nunc tamen neceſſe fuerit, quod veſtra prudentia perfectum non dubito, ut illę injuriarum umbræ diſparuerint, Interea ludi dati ſunt aliis, quod ego fieri indolui: quorum vos potiſſimum ſpectatores & arbitri fueritis. Veneram ipſe quoque in ſuſpicionem, qui οὐδέτερος eſſe & voluerim & debuerim:

nec,

nec, quæ ex eadem causa pullulant, quodquam ad me: quin hæc mihi ostendi displicere. Aliis sane ejusmodi res acrius tractandæ videntur: ego perpetienda mihi multa persvasi potius, quam inimicitias cum quoquam gererem: multorum etiam animos fregi patientia. Ut autem nemo invitum quemquam in leges amicitiæ agere potest, ita neque si quis mihi omnino esse volet infensior, efficiet, ut se oderim. Nec puto odio dignum, quem judicio errare intelligas. Non mirum autem hominum militarium & forensium animos difficilius emolliri; at nos, qui humaniores litteras colimus, & vos, qui totos dies in componendis contentionibus ponitis, rectius omnino judicabitis. Quo tandem ὀργαὶ, ἔριδες, θυμοὶ, μίση, ἔχθραι. His publicum otium turbatur, & ipsimet nos conficimus: & modestissimi eodem sæpe trahuntur. Et ipsi quietis auctores auctores in suspicionem, sæpe etiam in periculum veniunt. Sed omnis hæc mea querela nulli usui est, nisi quod dolorem

me-

meum & intimum animi sensum tibi testatum facit. De adolescente velim vos capere consilium, quod illi maxime ex usu sit: ne quocunque eventu, mihi aliquando quidquam imputetur. Ego quid sentiam, non dissimulavi: & satis certo scio, veram esse sententiam, quam probo: nec primus etiam inveni: nec quis id invenisse putandus est, quod bonis rationibus comprobet. Qui has tibi reddidit, consanguineus meus est: ejus ego negotium tibi commendo: neque tantum te docebit, cujusmodi sit, sed etiam quo pacto ad ipsius patrem pertineat. Ego de re mihi obscura, sive potius à cogitationibus meis aliena, plus verborum non faciam: nec aliud peto, nisi ut quod æquum sit, obtineatur, nec ipse detineatur, qui in litteris his esse totos dies debeat. Vale. Helmstad. ex Academ. Jul. XI. Kal. Sept. clↄ Iↄ clv.

P. S.

E subito controversantium reditu conjeci, & statim comperi, exitum rei fuisse, quem prævisum in epistola ostenderam. Quan-

Quanto autem sit rectius, & cum nostro Ordini, tum dignitati Academiæ honorificentius, si talia eveniant, quæ nunquam evenire satius sit; tamen si eveniant, ut affectibus & errori obnoxii sumus, ut quemadmodum repente nata sint, ita ne in crastinum quidem foveantur. Præter autem publica & privata incommoda, quæ parit indignatio, hoc est vel gravissimum, quod τὸν νεμεσῶντα graviter cruciat, neque nunquam perimit. Contra quod venenum non valet Oceanus fortunæ, sæpe autem guttula sapientiæ & patientiæ: quod idem esse dixerim. Vale iterum.

EPISTOLA XIX.

LEgeris ni fallor, epistolam ad Dn. Gözium meam (monueram autem, ut tibi & Cludio legendam daret.) Videritis me de Nobilium adolescentum & universum de legum civilium studiis recte judicare, & mihi in omnibus facile adsenseritis. Etsi enim probo, quod vulgo fit, ut adolescentes se absque omnibus litteris aut eruditione quadam jejuna, quæ speciei forte aliquid, rei nihil habeat, in illam

illam diſciplinam toti demergant ſubito: tamen nequaquam ſum in ea, quam mihi tribuunt ſententia, quod quidam malitia, quidam re ex aliis audita, non ex me cognita faciunt. Facio enim primum diſcrimen inter eos, qui pro quæſtu hanc nobiliſſimam diſciplinam habere volunt, & futuros ſenatores ſaluti Reip. ſinamus, illos patare ſe ſe ad forum, ut ex cauſis diteſcant ocius: quos poſtea foro egredi & in curia ſententiam dicere, niſi cum quid in quæſtionem juris veniat, neque fas neque rectum eſt. Qui autem velint quoque πολιτεύεσθαι, cur non jubebimus eos, & ad omnem virtutem animos informare, & ea diſcere & conquirere ſibi, quibus comparatur prudentia, quæ latius omnino patet, quam quæ juris & eſt & dicitur. Quare dum probo (cur enim non probem, quod velim fieri & ſuadeam?) generoſioris ingenii adoleſcentes adſpirare ad eruditionem ſolidiorem, hiſtoriam in manibus tenere, dicendi facultatem prima ætate non negligere. Idcirco non improbo reip. & utile & neceſſarium

studium imo jubeo, ut mature discant leges iidem. Nec me deterret calumnia ab hoc consilio. Ajunt enim & hanc rationem difficilem, & longo tempore opus esse. Cui non sit ingenium, quem deficiant sumptus, pareat necessitati. Qui per ingenium & fortunas possit, cur nolit sequi, quod maximè honorificum & ex singulari usu est reip.? Qui autem parcit labori & tempori & sumptui, ei magnum aliquid cordi non esse, palam est: ac propterea negligendus, nec satis dignus bono consilio, & vero honore, quod quæ ad verum honorem ducant, nec scire desiderat, nec sequi in animo habet. Injuriam mihi facit, qui secus me sentire, aut suadere juventuti dicit. Vide quid diserte suaserim uxoris tuæ fratri ei qui apud me est. Jubeo, ut quæ cœpit puer, feliciter in iis perseveret. Cur enim abjiciat? hoc enim sit: tot annorum labores perdere: simul autem, ut vos mandatis, ad legum studium se referat: quod quo majore cum fructu fructu faciat, cum Cl. Cludio vivat: ubi eorundem studiorum

rum socium habiturus sit ejus primum natu filium. Hoc non sine causa ad te scribo diligentius. Scio enim siquid secus fiat, aut secus eveniat, id totum mihi imputari: qui ut juventuti prodesse, quacunque ratione queam, velim, ita alienam culpam sustinere neque ego debeo, nec transferre quis in me absque injuria potest. Vale. Helm. Ex Acad. Jul. IIX. Idus Sext. CIↃ IↃ CLV.

EPISTOLA XX.

INvitus in me suscepi, quod præstem volens, si res senilis vel etiam mei ingenii sit. Nam id genus inscriptiones nisi rotundæ sint, & venustatis aliquid habeant, nihili eas esse, ac ne oculis quidem dignas judicem. Tales cum nec in promptu haberem, meque inventurum diffiderem, tantum moræ peperit mea tergiversatio. Quia vereo toties desiderium hujus opellæ ostendisti literis, & mones præterea per uxoris tuæ fratrem: hic ne quotidie me appellaret, feci eas, non

ut perfectas esse oportere censeam, sed cujusmodi potui. Quæ cum sint longiusculæ, neque in saxum, neque in æs incidendas censeam: & hæc non minus corrumpuntur, quam alia: putem satis esse expressas typis in una charta pergamena tabulaque illitas, affigi parieti, inquo templo ambo conditi sunt. Quod si non videatur, de aliis potius inscriptionibus te cogitare jubeam, quam ut meis utaris: quæ uti dixi, ipsi nequidem mihi satis placent. Morem tibi gerere & debui & volui. Opto ut tua Jagemannia Ῥωμανίδας tibi plures pariat; quod, propediem futurum spero, & auguror. Vale. Helmstad. ex Academia Julia Non. Aug. anno cIↄ Iↄ CIV.

EPISTOLA XXI.

INgenium & litteras, & morum elegantiam adolescentis tibi prædicavi statim, & in ipso illa sunt singularia De animo nisi ab omni parte explorato pro-

pronunciare nihil aliud volui, nisi quod probæ notæ ex omnibus signis conjicerem. Non autem ille cum iis fuit, qui hic haud sobrii ipso meridie circumvecti petulanter Dionysia egerunt: neque adscendit Brucletum, quod tamen minus erat, ipseque concesseram uni atque alteri meorum familiarium. In vicinam urbem intelligo iisse non tam consilio suo, quam, quam coactu sive invitatu sodalium. Iis enim, ut mores sunt adolescentiæ, se dat facilius, quam expediat. De hac re etiam à me monitus referre pedem videtur. Nihil est illi ætati voluptate jucundius, sed ea voluptas non vacat periculo. Hoc si in tempore intelliges, ac sibi penitus persvasum habebit & optime sibi consulet; & colet studia, quæ volumus atque uti volumus. Estne autem ullum cum aliis tum illi cumprimis magis necessarium, quam Modestia? cujus tamen explicatio atque usus & latissime patet, & cultori suo salutem apportat. Vale. Helmst. ex ac. Jul. III. id. Sept. clↄ Iↄ Iↄ IV.

Epistol. XXII.

Quod rogat Cl. Dn. D. Grünfeldius Nob.mum Dn. Langmantelium & te, idem utrumq; rogo, ut hunc erudtum juvenem Petrum Cossenium petentem locum in Schola Mariæ-Vallensi, Collegis vestris commendare & ornare non dubitetis. Namque & modestus est & eruditus: neque hoc solum, sed & consilium nostrum cum in suis studiis tum in erudienda juventute se secuturum ultrò promittit: quod ego singulare operæ pretium esse censeo. Adolescens noster rediit. Eum ego monere non desino, & in instituto perseverabo, ut non temerè quærat sodales, & caute utatur quorumque consvetudine, & totos dies sit in studijs, quando est ingenio præstanti, profectu laudabili, firma quoque valetudine. Si mihi auscultabit, me amiciorem hic habebit neminem. Vale Helm. ex Acad. Jul. prid. Non. Octobr. cIↄ Iↄ c Iv.

EPI-

EPISTOLA XXIII.

DE fato CL. CLAMPII fama pridem nos docuerat. Ego profecto ſummum dolorem percepi ex veteris amici obitu, cujus ſtudia moresque mihi fuerant cogniti ab ipſius adoleſcentia. Verum ejus prædicandi erit alius locus. De amore autem tuo erga Hupæum, veterem ſodalem tuum, generum meum, te amo: utinam tandem aliquid inveniatur, à quo niti in vita poſſit! Quod dificultatem muneris non retices, univerſa vita hominum eſt conſideranda: nulla erit conditio vacua à moleſtijs: etſi aliæ alijs ſunt graviores: nec poſſunt nullæ ratione atque conſilio minui. Polliceris autem benigne tuam operam, nec minus verè Magnifici Domini Cancellarij, nec tamen diſertè judicas, ſitne ſuper ea re

vobis inter vos sermo habitus. Quæso autem, ut de ipsius Cancellarii voluntate nos doceas: si eam exploratam habeas: sin; explores, quod tibi erit facile. De ea si intelligam, ad vos veniet ipse, ac de vestro consilio administrabit cętera, nempe ut litetur τῷ Δεσπότῃ litteris supplicibus, quemadmodum tu de hisce sacris loqueris. Ut autem non è vestigio vel hodie advolet, facit vecturę penuria. Hunc hominem misi propterea, ut quod scire aveo, à te ad me referret. Adolescens rectè à te monetur de officio: accedit in dies magis ad litteras. Famulum habet supra modum petulantem. Vale. Helmstad. ex acad. Jul. prid. Non. Jan. clɔ Iɔ cv.

EPISTOLA XXIV.

QUid statuis de adolescente? Huic ego consilio non defui, ne dubites, paternis monitis. Nimium deditus est ὁμιλίαις: nec abhorret tamen à litteris, à quibus pro

ætate

ætate profecit plurimum & valet ingenio. Itaque non quidem autor fui, ut sibi adjungeret doctissimum Arnisæum: sed cum ille hoc ageret, improbare non debui, uti esset, qui cum conferret, quem audiret. Cum autem non nisi se audiat, cape de eo consilium. Nolim in conspectu nostro pereat, ne nos eum perdidisse videamur, de cujus salute noctes diesque sollicitus fui: nec eam curam negligam, si tantillum proficiam: nihil tamen nisi humanitate tentandum censui: neque ab hoc instituto desciscam. Vale. Helmstad. ex acad. Jul. 17. Mart. clɔ lɔ cv.

EPISTOLA XXV.

SOllicitudinem meam de adolescente perspexeris ex omnibus meis epistolis. Ea me liberari cupio: quod proxime quoque rogavi. Eum nunquam fere, nisi ad mensam, video. Quo eat, quid agat, neque scio, neque laboro cognoscere:

ſcerę: nimis eſt ὁμιλητικός. Curæ vobis ſit ne pereat. Qui ita vitam inſtituit, nullo momento abeſt à periculo; quod fervens ætas nec videre poteſt ipſa, nec ſibi perſvaderi patitur. Facite, ne aliquando dicatur, apud Caſelium periiſſe, de quo ſervando unice ſollicitus ſum. Etiam alterum rogo, ut quæ pro victu jam debentur, mittantur. Ita convênit mihi cum convictoribus, ut ad trimeſtre prænumerent. Hic quoque juva me. Helmſtadij ex Academia Jul. 3. Aprilis, cIↄ Iↄc v.

Epistola XXVI.

QUid in animo habet adoleſcens? aut quid eum facere jubetis, quod ipſe quoque ſequi velit? violentia enim cogi nolit: atqui eum bona ratione flectere, quò volumus, perdifficile erit. Quod queſtus item ſum proxime de ſolutione pro victu, profecto plerique mecum agunt ſatis ingrate. Utrumque velim tibi

tibi curæ esse. Multos jam annos implorat gener meus vestram opem: non libenter cogitationes omnes credo litteris: hoc tamen miror, aliunde advolitantibus & non satis cognitis esse faciliora omnia; qui morbus, in universa Saxonia est quasi ἐπιδήμιος. Mitto ad te exemplum Balanistæ Themistii, quo tanquam indice quis exploret, quantum profecerit in studiis sapientiæ. Exempla precum Cl. Clampii antè me misisse arbitror. Vale Helmst. ex ac. Jul. III. Kal. Maji cIↄ Iↄ cv.

Epistola XXVII.

Ajunt familiares, qui isthinc redeunt, voluisse te scribere: nec tamen litteras referunt: ego vero te ad negocia abripi scio, quibus te addixisti: nec hoc officium abs te flagito. Scribes igitur, quando erit commodum. Hoc autem necessarium, ut adolescenti nostro subveniatis bono consilio. * * * * * *

Ex quo rediit, raro ejus videndi fuit mihi facultas, nedum conveniendi: quæ si sit, quid cum eo sermonem instituam, quem mihi non auscultaturum sciam? Bene promittit ut plurimum: nihil præstat: etsi semel atque iterum cum ipso contendi. Hoc mihi facere porro non libet. Cur enim ego me commoveam, aut illum magis à me alienum, profectu ipsius nullo? Cum vestrum hoc sit negocium, statim vos de omnibus certiores feci, non dissimulans, quid esset mei consilii. Minus mihi hoc porro curæ erit, si se à me ad alium conferet, ut ejus sodales ajunt: nec faciet, me invito. Cogitate, obsecro vos, & in medium consulite. Vale. XVI. Maji, quo abit magistratu gener meus D. Theodorus Adamius, eique succedit D. Paffradius. Helm. ex ac. Jul. cIɔ Iɔ cv.

EPISTOLA XXVIII.

MAluit adolescens noster ex ædibus meis migrare, quam mea oratione, quamvis humana

mana & blanda παιδεύεσθαι. Quod quia ultro meque insalutato fecit, obstare nec volui, nec debui. Ea igitur cura ipse me liberavit in universum. * * * * * Velim ad se redeat, & si minus mihi, vobis auscultet: de qua re cum Cludio sermonem non institui, cum nec mihi, nec meis satis longo jam tempore, nullo nostro merito familiaris sit: nec ego queo ἄκοντα φίλον ποιεῖν: præstare alterum possum, & præstiti, ut mihi jure succensendi justa caussa sit nemini, plurima autem omnibus me amandi. Vale. Helmstad. ex Acad. Jul. d. XXI. Maj. cIↄ Iↄ cv.

EPISTOLA XXIX.

UT cum alii vivere maluerit adolescens noster, statim te docui: quod tamen & ex aliis cognoveris. De nemine non familiarium mihi valde curæ est, ut & modeste se gerant, & qua gratia advenerunt, id agant. Ea rei difficultas,

tas, & id juventutis ingenium est, & utrumque non æque obtineatur ab omnibus: tamen semper apud plerosque bonæ rationes locum invenerunt, & interdum auctoritate profeci: neque hodie apud omnes laterem lavo. Quid autem illis facias, qui servari nolunt? Non dubito, quin in nostro servando multum omnes posueritis diligentiæ: libere vivere omnino vult ea ætas, & à libertate facile transit ad licentiam, sodalitiis dedita, & aliis atque aliis se addicit. Quam velim hunc in viam redire? & coner revocare, si sciam, quo pacto hoc recte aggrediar: coram non libet; siquid scribam, id forte non leget per alios. Sane doleo, quoties prætereuntem video, magni viri filium, magno ingenio, singulari in litteris profectu pro ista ætate. Sed incassum queror: nec penitus frustra hic essemus, si ad monendum, quam ad connivendum essemus promptiores; nec tamen ego quemquam accuso, nequos in me irritem, in quem plures quotidie irruunt: neq; asperitate nimia proficitur. Vos πρωτο-

σύμβου-

νύμβουλοι invenite aliquid. Hoc quoq; ad partes vestri officii pertinet περὶ τῶν νέων ἀγωγῆς. Quæris de me? Non facio nihil, & amplius forte, quam à mea ætate postulet, qui æquus sit. Exemplum ad te mitto: aliam lucubratiunculam habeo in manibus, qua juventuti consulam: barbariem denuo mirum in modum offendero. Privari me Hupæi consvetudine doleo, nec genero fortunam invidere debeo. Filium autem exspecto sub autumnum: nepte pusilla me oblecto: ad meos & ad litteras me à calumniis converto. Vale. Helmst. ex ac. acJul. VII. Id Quinct. ɔIɔ Iɔcv.

EPISTOLA XXX.

NOn mirum, me hac ætate, & tam dubio & pene perdito rerum statu, perpetuare querimonias, quod tamen lingua & scriptis magis vito, quam animo vitare possim. Doleo plurium vices, in primis tuam, cui tot tantæq; caussæ annis adhuc florentib⁹ repente exortæ sint deplorandi & res tuas privatas & publicas. Tuam infelicitatem verbis non refrico, minime, quod præmisisti tertiũ jam filiũ,

De malis publicis satis dici non potest: vix etiam aliquid debet: quando non solum nihil proficitur, sed in periculum quoque veniunt, siqui queruntur asperius, aut judicant liberius. A consilio verò, quod de te capturus videris, me non abhorruisse, ex quadam mea epistola, bono animo & optima fide ad te scripta memineris. In istis autem difficultatibus atque ærumnis bene tecum agitur, qui uxorem inveneris singulari modestia & prudentia: quæ te, animo prorsus masculo & constante prædita, & semper oblectet, & consoletur, ubi opus sit. Video etiam, neque te prorsus carere medicina, nec inhiare divitiis, ut plerique: quanquam habebis patrimonium, ex quo cum liberaliter vivas; tum munificus præterea in multos esse possis. Meis præter educationem nihil relinquo, & bonum apud bonos nomen. Ferendum mihi, quòd multis multo præstantioribus, quod meam existimationem non desinit vellicare calumnia. Nunc autem in meos sese armant invidia, malitia, justitia. t Hoc erat alte-

alterum, quod attigi in superiore epistola, nec explicavi. Forsan ignoras, ut multa agantur ex insidiis. Nescire autem te, quæ innuo, & plerosque tui ordinis, qui illa omnia & novisse debebatis, & constituisse videmini, suspicor ex pluribus conjecturis. Epistola enim συμβουλευτῶν nomine ad Academiam in frequenti Senatu vestro mihi nata prorsus non videtur, neque profecto hoc fieri potuit. Certe qui id consilium invenit, nescio qua ratione nomen boni viri aut saltem intelligentis tueri possit. Nec enim satis intelligens ille est, qui nostrum neminem in vita aliquid sapere existimet, neque nos aut alios odorari, quorsum qua via quis eat: nempe hoc agitur, ut gener meus D. Theodorus extrudatur è collegio Jctorum, & infarciatur novus Molini gener: ac forte apud animum meditata habeat plura, quæ ex intervallo maturiora depromant. Nam quæritur, de ipso & D. Cranio, uter frequentius doceat, cumque majore auditorum fructu: transitur deinde in satis apertam accusationem, quæ item

item per calumniam introducitur: dici Adamium docuiſſe aliquo tempore rarius, & habere auditores non niſi duos tresve. Annon hoc eſt lædere viri exiſtimationem, & ejusdem commodis inſidiari? cum omnino ille ſit & longe modeſtiſſimus, & extra omnem dubitationem doctiſſimus, in legibus collegarum nemine inferior, in cæteris diſciplinis, ut dicam tenuiter, præſtet pluribus Jurisconſultis. Quod ſi aliter ſe habet, ego profitebor me indoctiorem omni ſubjectus quoque cenſuræ cujusque grammaticelli claſſis infimæ. Quaſi divinarem opus eſſe, ita in proximis meis ad te & Langmantelium litteris, contendi, cives ſive in ditione natos quibuscunque, niſi hi ſint multo excellentiores & pene neceſſarii, æquiſſimo jure anteferendos. Verum ex quibusdam ſuperiorum annorum exemplis, & ex hoc & ſecuturis, quæ præſentio, decretum conſtituetur, ut civium filii excludantur, & certi exteri regnum obtineant, ut multa alia jam occuparunt in his vicinisque regionibus. Cum vero in

ro in illo mandato à deliberatione re-moveatur Parcovius, ut alterius affinis, cui dignitas & commodum quæritur; & ego Adamii ſocer, cujus generi exiſtimatio graviter læditur, & commoda in periculum deducuntur; primum, quid decedit illi, etiamſi affinis abſit? Deinde quid æquitatis habet, ſocerum excludi à defenſione generi, pro quo non minus quam pro filio laborare debeo; tali præſertim viro, cum quo ille ſi ſe conferat, modeſtiæ limites longe tranſierit? quem ego tam impudentem eſſe ſuſpicari non poſſum, ſive ætatem, ſive multiplicem doctrinam, ſive uſum vitæ reſpicias, ut nihil dicam de potioribus. Annon ibidem præſcribitur, quid reſponderi ille velit, nempe indoctiorem eſſe, ad quem non accurrant ita multi, & officii negligentiorem? Sed utrumque in dubium per ſe venit. Nam auditorum frequens concurſus doctum non facit, cum doctiſſimi ſæpe deſerantur ab auditoribus, hique alia atq; alia de cauſſa ad alios tranſeant: aut non ſint apti ad percipienda graviora.

Sic qui primas litteras docent, abundant diſcipulis, ad philoſophiæ doctores vix unus accedit aut alter. Non dicam de uno incommodo, quod in pluribus academiis jam parvo diſcentium bono graſſatur ab annis aliquot. Poſtquam enim conſvetudo in privatis collegiis diſputandi in plures academias introducta eſt, & ipſi quidem diſſerentium præſides inveniunt aliquid commodi, & tirones ingenioſi, dum expeditius de multis diſſerunt, opinione doctrinæ imbuuntur, ſed nec fundamenta jaciunt ſolidæ diſciplinæ, ac ne ipſarum quidem legum mentem inveſtigant, aut accipiunt à doctoribus, quos publice audiunt rectius. Ita antè ſubactis ingeniis utiliter demum diſſererent, ut ego opinor, & habeo hujus ſententiæ auctores Borcholdum & Socerum tuum, ambos in iſto genere præſtantes. Huc enim primum adveniens illas diſputationum quotidianas exercitationes miratus, in ambulatiunculis ex illo quæſivi, quid de ea ratione ſentiret; molliter reſpondit, ut erat vir modeſtiſſimus, & nulla in re

aſper

aſper, hunc morem jam inoleviſſe, nec facile reprimi poſſe: unde ſatis, quid ſentiret, apparebat. Jagmannus autem acrior, & in deliberationibus graviſſimis & omnis generis cauſſis perpetuo verſatus, cum ſtomacho ſæpe invehebatur in eos, qui non meliore ratione juri civili operam navaſſent: infantes eſſe, nec ulli uſui, qui ex illa contendendi conſuetudine in forum venirent, & ad deliberationes cauſſarum difficilium. Novum igitur non eſt, ut, qui ſolida doceant, quod ſcio generum meum ſummo ſtudio agere, & totos dies propterea uni prælectioni impendere, ii non ducant greges auditorum; & profecto pauci quoque arripunt ad cognoſcendas Græcas litteras, quas ignorare facile eſt, non deſiderare, familiare omnibus, qui ſola ſpecie doctrinæ contenti ſe ad rem faciendam conferunt. Hæc cauſſa ſi nihil habeat ponderis, quæ habet omnino plurimum, an velit quis iis menſibus auditorium frequentari, quando hi motus omnem juventutem expuliſſent,

Digitized by Google

& nos ipſi vix hoc loco ſpiramus? Hæc autem atque inſuper alia nobis in frequenti ſenatu/in mentem profecto veniſſent, nec tale mandatum perſcribendum cenſuiſſetis. Unde ego apud me ſtatuo, litteras, præſertim ad academiam ab infimo veſtri ordinis ſubſcriptas, ab uno alteroque meditatas & confectas, aut ſecus deliberatas, ſecus ſcriptas, aut inter alia negocia, nullo bono Academiæ & in perniciem præſtantis omnino viri confectas: quod ego penitiſſime mihi perſvadeo: aut ea de cauſſa totum negocium, ſi modo ante in deliberationem venit, deliberandum denuo, & ſiquid de horum duorum diſſimillimorum comparatione decernatur, non ab iis judicium petendum, qui aut rem non intelligunt, aut absque affectu ad judicandum non veniunt, vel quia me oderunt, vel quia meos non amant, vel quia quacunque de cauſſa favent aliis. Sed me vobis conſilii aliquid ſuggerere, nihil opus eſt, quibus utriusque omnes conditiones ante ſunt cognitiſſimę: nec lateat quemquam animi multæ

do-

dotes & omnes vitæ rationes D. Theodori, qui hic vixit annos XX. ipſos, annos decem ſemper cum laude & auditorii utilitate docuit publice. Pro genero annon ego aut cogitarem, aut ſollicitus eſſem, aut loquerer, aut laborarem? an potius meos ludibrio haberi, qui honore digni eſſent, & hac de cauſſa magis quam ob affinitatem mihi cariſſimi, & exagitari, & multari bona fama, & commodis vitæ, ſtupidè ſtultéve ſinerem? Hoc neq; tu probes, neq; Langmantelius, neq; Petræus, neq; quisquam Conſiliariorum, neque quisquam vir bonus. Quodſi & illis & aliis meam hanc juſtam quærelam cognoſcendam dare velis, non impedio. Non patiemini, quotquot eſtis, ut ejusmodi artes invaleſcant, quibus lædantur & opprimantur boni; addo, quibus, quę publice, recte & bene fiunt, quantum fieri poteſt, paullatim avertantur, & omnia ſint, non in auctoritate legum, ſed in cultorum hominum arbitrio. Vale. Helmſtad. ex acad. Julia VI. Kal. Sextil. cIↄ Iↄ cv.

EPISTOLA XXXI.

MAgnifice, Clarissimeque Dn. D. Rhumanne, propinque observande. Velim SERENISSIMO paullum esse otii ad respiciendam Academiam: itemque vobis in Senatu aulico. Principem illius populi contumacia aliò aufert: quæ si non esset, aures illæ nobis etiam interdum paterent. Quid autem dubitem, de cujus sapientia & animo erga studia sapientię jam cognovit orbis? Vobis autem præter negocia obstat aliud præterea: quod non æque de rebus ab aliis erudimini. Num qui rem sive suam, sive suorum agunt, quicquid de aliis, aut de academia fiat, vos inveniunt propter familiarem consvetudinem faciliores, quam ex usu sit? Da veniam, qui libere, sed cum benevolentia & observantia erga vos, ad vos de vobis loquar: alios forte male habeat, non item vestrum aliquem. Semper enim salutem publicam spectatis. Non repetam molitionem superioris

rioris anni, quæ nihil erat iniquius: etsi, quos non oportebat, ex eo tempore mihi infensos video, & æquo animo fero. Quam ipse laborem pro dignitate academiæ, videris ex epistolę ad Principem exemplo. Certe enim singulare ornamentum & magnus doctor academiæ cum Duncano amittitur. Eo etiam nomine bis ad ἀρχιγραμματέα scripsi; ut placuerim nescio: nihil interea intellexi de negocio. Nunc audio generi mei fratrem sive peti, sive sugillari: quod tamen negocium mallem equidem non incidisse: tamen id, si benevolentia & æquitas sit in omnibus, facile consopitum iri censeam. Quæso, si quis sit, vel difficilior, vel iniquior, in eo flectendo non plus ages, quam rectum esse senties. Idem rogo Petræum. Pro re autem pluribus ipse quoque loqui possim, nisi, quæ ego sentio, vos pridem sentire, mihi persvadeam. Qui caussam agere videbantur, nusquam hodie sunt: credin alia de caussa quam quod iniquam caussam ipsi sentiant? sane vero occasione arrepta in longinquis

Digitized by Google

regionibus hoſpites circumſcribere, inſignis fraudulentia eſt, neque qui ſapiat, ſuorum quempiam irretiri velit: ſi fiat, minimùm animo tantam reputet injuriam. Vale. XX. Kalend. Junii cIↃ IↃ C VII.

EPISTOLA XXXII.

OBſervo conſvetudinem meam, ut generum absque literis non dimittam, etſi cum iis minus opus eſt, tum coram de quibuslibet ſermonem conferre vobis integrum eſt, ſepoſitis aliquando negociis. Quid autem ſcribam ſeu tangam potius? Querelis ſive etiam σκέψεσι de publicis nihil proficitur: proxima his ſunt, niſi cum illis ipſa quoque numeres academica. Hæc quoque dilabuntur, quę facillime fulcirentur: ſed hoc negocium aut non ſatis intelligitur, aut curæ non eſt. Quid ſuperiore ætate in manibus quidam haberent, recordamur: nunc Duncanus ultro abit.

Hoc

Hoc homine doctiorem non habet Academia: *nec de tanto viro retinendo quisquam cogitat.* Ubi abierit, vel hæc jacebunt, vel magno ſumptu quæretur aliquis fruſtra. *Nec putandum eſt: ſi cacula quiſpiam forti militi ſuccedat, in ordine nihil deſideraris.* Sed finem faciam ſcribendi: ad colloquendum, argumentum habetis & principium: ego vero velim ejusmodi ſermones inter alios atque alios veſtrûm inſtitui, cum reſpectu boni publici. Vale. Helmſtad. ex acad. Jul. XVIII. Kal. Maji. cIↃIↃC VII.

EPISTOLA XXXIII.

Ad unum epiſtolæ tuę caput ſcriptæ ſub id. Jun. nihil reſcripſi, nec ejus memini, cum ad meos veniſſes, quod eſſent alia, de quibus tum inter nos minus jucunda. Quæ recens prodideram, cum probares, ejus generis etiam inter nos benevolentiæ monumentum exſtare, ſubjiciebas velle te: quod cum neque ipſe nolim, tu de argumento cogita.

Digitized by Google

Tuum in recenti epiſtola judicium de duabus Academiis verum eſt: neque ego in alterutram adoleſcentem ad educandum mittendum cenſeo: quod altera fuit, quod etiam hodie audit: altera eſſe vix dum cœpit. Etenim in illa nihil invenias, in nova paullum quidquam ſatis academici. Quis hic ſtrepitus initio fuerit, recordamur: hodie quietiora ſunt, & ſolidiora omnia: neq; referre exiſtimare debemus, quod hodie minus frequentetur, cauſſas novimus, unam atque alteram: accurrant plures, modo alibi de pace conſtet, etſi nos, ut puto, non habemus, cur tumultum metuamus. Quicquid hic deſideratum, id fieri noſtro vitio ſive errore dixerim. Sunt enim, qui ſuo arbitratu conſtitui omnia volunt, neque facile ferunt rectius ſentientes de omnibus. De diſciplinis aliquis factiole decernere nefas eſt, facere hoc oportet ex rei veritate, & in finem publicnm: de hoc conſtat, ſive conſtare debet: neque obſcura eſt diſciplinarum veritas: ſiquis animadvertendum hoc potius exiſtimet, quam quid

quid & quos quisque velit. Aſſenti-ris, ut video, mihi de H. J. Jageman, ſive ego tibi: hoc conſilio ſi utimur, bene equidem ſpero. Cum Clariſſimo Cludio nondum fueram locutus, poſtquam legeram tuas litteras: ſpero & ipſum ejusdem fore ſententiæ. De Gôtzio enim non dubito, quem filius ex meis verbis erudierit. Vale. Helmſtad. ex ac. Jul. Kal. Octob. cIↄ Iↄ VIII.

EPISTOLA XXXIV.

AD quem de uxoris tuę fratre minimo te ſcripſiſſe, ad me ſcripſeras, egoque me cum eo poſtridie locuturum tibi nunciaveram, id neque à me neglectum eſt, neque factum. Occaſionem ſermonis ipſi dedi tuæ ad ipſum epiſtolæ mentione facta. Cum nihil ex tuis verbis referret. reliqui negocium: quod vobis potiſſimum curæ eſt, & eſſe debet. Cum te ſedulo docuerim, quid mihi videretur, vos quid ex re futurum exiſtimetis, conſtitueritis. Cum Jagemanni educationi ex animo conſultum cupiam, & ti-

& tibi & Gôtzii filio aperui, quid mihi videretur: nempe prudente opus eſſe educatore, qui in loco & ſeverus & humanus ſit, præter bonam in litteris inſtitutionem. Tu viſus es mihi aſſentiri, neque diſſentiet à te Dn. Gôtzius. Cognoveris jam & me docebis, quò inclinet Cl. Cludius: neque nolim adoleſcentem domi ipſius aut etiam apud alium educari. Multum enim in me moleſtiæ derivabitur, niſi idoneus adjungatur moderator. Gener meus D. Theodorus cum periculo gravi uſus acidulis nequedum domum rediit: exſpectatur quotidie. Vale. Helmſt. ex ac. Julia Kal. clɔ Iɔ cviii.

EPISTOLA XXXVI.

DE uxoris tuæ fratre quid conſtitueritis, & quando eum exſpectemus, nondum cognovi. Cl. Cludium interea non vidi, neque ille mihi quicqnam nunciavit, & ipſe raro prodeo, niſi forte per tempeſtatem in campum, valetudini obſequens

ſequens. Heri tamen ſalutabam D. Forſterum graviter decumbentem. Utriusque generis alimenta faſtidit. Parcovius ipſi propinat, quibus refocilletur: ut ſe colligat,non videmus. Me pauculis annis major, monſtrat, *quà brevis ſit eundum:* etſi multiplices & graves ærumnæ me ſatis erudiunt, de quibus lamentari etiam fruſtra videam: Illæ ſi non ſint, anni me moneant tamen. Nihil à te mihi expoſuit gener: ait te incommode habuiſſe, poſt profectum fuiſſe aliò. Vale. Helmſt. ex acad. Jul. XII. Kal. Nov. clɔ lɔ cviii.

EPISTOLA XXXVI.

EXpectabam tuas litteras, vel uxoris tuæ fratrem. Hic modo advenit absque tuis litteris. Pro iis erant mandata Cl. Cludii, quæ tamen nequedum mihi expoſuit. Audiam hodie. De adoleſcente bene ſpero. Quę prolixe promiſit, proxime repetiit: & tractabitur à nobis libera, liter-

liter, a me paterve hoc cum ipsius Patri debeam, debeo nominus humanitati. Cum dies circiter XIV. gravissime decubuisset D. Forsterus, hodie duabus ante lucem horis exspiravit, cum minor natu filius ante triduum, heri advenisset major cum conjuge & liberis. Vale. Helmstad. ex Ac. Jul. 28. Octobr. cIɔ Iɔ c VIII.

Epistol. XXXVII.

Bene de omnibus, pie de re omnium prima, prudenter de cęteris scribis. Forsterus autem interea præcessit, cujus quasi quoddam elogium ad vos misimus. Ego aliquot jam annis ad eandem migrationem accingor: monet me par ætas, monent ærumnæ neque leves neque unius generis. Tuam pietatem laudo, qui hanc meditationem mature aggrederis: quod tamen sic à te fieri velim, ut nihil de cęteris officiis remittas, inprimis autem habeas rationem valetu-

Digitized by Google

tudinis tuæ. Simus in hac ſtatione, quamdiu Imperator omnium nos eſſe juſſerit. Quæ autem fieri velis, de iis ex aliquo ſpacio cogitabo. Quod ad candorem, materia ſcriptione digna eſt, quæ absque offenſa quorundam tractari vix poſſe videatur. Semper enim ſuſpicantur & calumniantur malitia & inſcitia. In minutis mihi hoc ſæpius accidit, ne una quidem pagella mearum immunis eſt ab ejusmodi periculo. Neque tamen non tibi morem geram, teque omnino volam eſſe cenſorem ejus lucubratiunculæ. Sub autumnum ſcribebam φιλόξενον de prærogativa civium in honoribus & præmiis, correctum & deſcriptum: brevi Cancellario legendum mittam: in quo libello dicenda fuerunt, quibus aliquis offendatur iniquior aut imperitior. De uxoris tuæ fratre bene me ſperare proxime te docui: ejus educator nequedum venit: is eſt D. Cludii ſororis filius. Vale. Helmſtadio ex academ. Julia VII. Id. Novemb. cIↃ IↃ cVIII.

EPI-

EPISTOL. XXXIIX.

ADvenit juvenis, cui educationem fratris uxoris tuæ commiſſam intelligo. In qua ſpe ſint omnia, hinc conjecturam facies: quod ipſe utrumque de officio ſedulo monui, neque hoc facere deſiſtam: Cl. Cludius utrumque in officio eſſe ſevere item jubet. Sic autem tractandum eſſe hoc ingenium, ut ante ſcripſi, magis nunc video: me libenter audit, quotidie ad me venit: aliorum extra ædes conſvetudinem non expetit: hæc omnia ſigna ſunt ad modeſtiam & diligentiam. De modeſtia bene ſpero, quam in omnibus præ ſe ſe fert: ſecundum hanc de diligentia: & illa natura prior eſt: & per ſe de ſe alteram pollicetur. Vale. Helmſtadio ex academia Julia IV. Non. Dec. clɔ Iɔ c viii.

EPI-

EPISTOLA XXXIX.

DUo erant epiſtolæ tuæ capita, ni fallor, de quibus reſcribere attineat. De priore ego cogitavi & diu, meque ſuper his inveniſſe ſpero, quæ bonorum offendant neminem. Malignitas autem veritatem non fert, ſed ipſam, quam acerrime poteſt, calumniatur. Utrumque tuebor, integritatem eſſe in regiis, etſi, ut dicitur, rara avis; & in omnium tam humillimorum, quam ſummorum conſvetudine dominari τὸ ἐγκαίριον, quod cogitabo, quibus nominibus commode indigitem. Eſt enim difficile ea invenire, quæ ſcriptori non concilient apud pleroſque invidiam: quod me expertum multis exemplis teſtari facile valeam. Alterum eſt, quod me & generum ad te invitas: hic etiam cupide tibi morem geret: ego non reluctor, ſi vivam, ſi iis viribus ſim. Namque etſi tenere habeam hoc tenue corpuſculum, vix tamen me à tempeſtatibus

tuear: ſed quid fieri omnino poſſit, dies docebit, ſive τυραννικῶς jubebit. Eſt præter hæc, in quo velim, & rogem id fieri, quod ex re ſit ἰαχιμαννίδου, & è dignitate non veſtra ſolum, ſed etiam mea: * * * * * Mihi videtur, ſi æſtiva habeat Argentinæ, ſub autumnum recte, tuto & utiliter tranſiturus in Galliam. De quo conſilio velim diligenter cogites, cum Dn. Götzio conſilium capias: hoc recte decernetis, niſi melius conſilium habeatis. Prout jam habebitur, & educabitur, ita vobis gratias aget. Qui ipſi præeſt, & prudens vir eſt, & integer, inque illius animo informando nihil negliget. Atque eſt in ipſo educando aliquando freno opus, ne ruat, quo non debeat; aliquando calcaribus, ut pergat, quo capit & volumus. Ad te hæc ſcripſi pluribus: tu Collegam tuum quæſo excites, ſi forte ſit occupatior, aut per ætatem moræ locum det. Ad eum ero brevior: quando & ille, cum ſubito, tum paucis ſolet pleraque perſequi. Vale. Helmſtad. ex ac. Jul. IIX. Kal. Mart. cIɔ Iɔ cx.

EPI.

EPISTOLA XL.

CONSOLATIO

ETiam non ita multis abhinc annis, & facilior eram, & promtior, ad pręſtanda humanitatis officia, quæ à me proficiſci poſſe atque debere viderentur, ſive amico primario in rebus optatis eſſet gratulandum, ſive quis conſolandus in adverſis, ſive familiarium quispiam cohortandus, ſive de litteris vitáve erudiendus. Hujus generis enim & affinium extant lucubrationes meæ, numero fortè plures, quàm bonitate meliores. Neque verò ſemper volebam me rogari aut moneri, plurium quoque expectationem antevertens: ſæpius exiſtimavi, hæc mihi non negligenda, neque nunquam ſoli benevolentiæ ejusmodi meditationes & operas tribui. Cum in academia Julia inter nos notitia quædam, annis abhinc plus quàm viginti interior coaleſceret,

ſceret, ſatis & amicitiæ & propinquitati me facere cenſebam, ſi re ipſa, aut ſi minus poſſem, ſaltem oratione familiari, & benevola oſtenderem, te à me ſincerè, & præ plerîſque familiaribus diligi: idque feci conſtantius, quod iiſdem rebus me facilè æquaris. Cum autem uxorem duceres, in aulam publica de cauſa acciti, multi interfuimus veſtris nuptiis; quas erant qui eleganti carmine gratulabundi condecorarent, quod plerique te diligerent, & nemo non noſtrum plurimum deberet Socero tuo, Joanni Jagemanno, JCto & oratori clariſſimo, aulici ſenatus principi. Cum aliquot annis pòſt valetudini, & rebus fortè tuis, nonnihil conſulens, ab aula te, non à negotiis, removeres, (hoc enim nec obtinere poteras, neque civi provinciæ primario & neceſſario remiſſionem ſive vacationem tibi petere licebat) tranſlatâ in patriam familiâ & omni re familiari, dedi ad te uberiores litteras: quibus mirificè conſilium illud tuum ego probabam, ſimili olim uſus, cum in aula Megapolitana annis quatuor Principes educaſſem, mi-

hi vi-

hi vivere liceret in illo ſplendore, potius me in academiam ad Varnum retuli. Cenſebam enim tranquilliori huic vitæ me accommodatum, alteri ob tenuitatem valetudinis imparem. Non ſolum enim magno animo eſſe præditum oportet, ſed firmis etiam corporis viribus, qui ad alterius nutum vivere, & negotiis ſervitutem debitam ſervire debeat. Fuiſſe tibi autem officium illud meum gratum ſcio, atque utinam non novo, aut ſaltem non hoc mœſto genere hodie opus eſſet: de quo ſtatim quidem conſtitui. Sed incredibili ipſe mœſtitia anno abhinc abjectus ex obitu filii unici longèque chariſſimi, JOANNIS CAROLI CASELII, viri non ſolum doctrina, ſed vera virtute præſtantis, jamque ſingulari prudentia præditi, ingenio & litteris, confirmatique ætate & ἀποδημίαις longinquioribus; qui in ipſa Hetruria & Florentiæ & Piſis, integritate ſua, & aliis animi dotibus, ſibi meo exemplo, plures & nobiliſſimos juvenes,

& viros longè doctiſſimos, arctiſſimè devinxerat: in tanta, inquam, animi ægritudine, illi cogitationi, cui invitus antè etiam indulgebam, operam dare tùm ſtatim non potui: qui ſtudio fugiebam meditationes, quibus graviſſimum recens vulnus meum recrudeſceret. Etiam cum imperaſſem mihi, ut eo nomine calamum ſumerem, cœpta non tam abjeci, quàm ſepoſui: fatebor amplius, ſepoſita reliqui: neque prorſus ſcio, in quibus aliis chartis bis inchoata, quorum tamen jactura mihi nihili eſt, lateant; curæ autem fuit, & eſſe omnino debuit, ut priſtinum animum ex re ipſa videres, & tandem legeres promiſſam tanta facilitate, qualemcunque epiſtolam, quam pro conſolatione haberes. Cum enim velles & amicos eâdem de re moneri, me quoque flagitari intelligebam. Ad augendum autem potius, quàm minuendum iſtumdolorem, fortè faciat hæc commemoratio. Inter legendum enim, tacente me, venient tibi in mentem omnes illi anni, quos cum ſvaviſſima JAGEMANNIA egiſti, neque tamen

men ego ipſius virtutes, quoniam ad ejus laudes, quibus nemo, nedum maritus invidere poſſit, pertinent, premere ſive præterire ſilentio velim, neque debeam: tum quòd mortali vita cum laude functis præmium debetur, tum & aliæ, &, antè omnes, filiæ veſtræ, [filius te quem imitetur, habet] exemplum hoc nobile & illuſtre intueantur, & in intima iſta thori conjugalis conſvetudine moribus & ſanctimonia exprimant. A parentibus cum vitam accepiſſet, acceperat & genus & dotem, & educationem conditioni & ſexui congruam. Tradita tibi fuit adoleſcens admodum, annos fortè nata XVII. cultiſſimis moribus absque faſtu, animo non minus, quàm vultu modeſta, perpetua pudicitiæ cultrix: virgo non luxui, ſed laboribus domeſticis, & operis virginalibus, & pietati quotidianisque precibus dedita. Talem quòd domum ducebas, gaudebas non injuria: ita domi tuę vivebat, uti domi paternæ fuerat maternis præceptis & exemplo educata: quæ didicecerat apud parentes, in ædibus veſtris

excercebat. Ita ſeſe ſacris conjugii legibus addixerat, ut, cum nullum probæ maritæ & prudentis matrisfamilias officium omitteret, etiam ita imperio viri ſe ſubjiceret, non ſolum, ut in omnibus tibi morem gereret, ſed præterea occupato [quæ vita tua fuit, & perpetua eſt veſtri ordinis] ſemper omni ſtudio cederet: quod & ipſe de Cariſſima tua prædicaſti, & celebratum tam in patria tua, quam in aula fuit. Hæc omnia ſunt prudentis & ſanctæ mulieris. In eo enim ſanctimonia ineſt, quod nihil rarius: neque quod magis eſt neceſſarium, ut primum conjugibus, deinde liberis, demum omni familiæ bene ſit. Quaſi in fluctibus humanæ vitæ navigant, qui patrumfamilias, quamvis fortunati, officium gerunt: quod nemo ignorat: neque exemplis res caret, quoquò te vertas gentium: qui autem præterea ſunt in quacunque parte optimarum diſciplinarum, aut deſtinentur negotiis præſertim forenſibus & civilibus totos dies, meritò tum ab omni familia, tum à liberis & uxore meritiſſimè religioſè obſervantur:

tur : uxoris autem obſervantiæ cauſ-ſarum hæc quoque eſt graviſſima, quod cum maritus conjugem alat, ornet, & plus etiam quam ſemetipſum foveat, ipſam habet indulgentiſſimè præ omnibus mortalibus. Namque ut ſint nonnulli difficiles & auſteri domini, quos licet cum tyrannis comparemus, tu beniguiſſimè ſemper & tenerrimè habuiſti tuam iſtam Rhumanniam : quod cum ſemper conſtiterit omnibus, tum maximè aperuiſti, cum illa te abſente in negotiis graviſſimè cum periculo, omni ſpe deſtituta jaceret, occurriſti ſubito cum vitæ periculo : contagium enim illis menſibus per vicinas urbes & vicos plures ſuſtulerat, ut hoc eſſe mali omnes ſuſpicarentur. Tu recorderis extrema illius verba, & ultimos veſtros complexus, etiam profuſis lacrymis hæc relegens. Tum verò ipſa ſe totam deſperata caduca mortali vita, voce languida, gemitu, ſuſpiriis Servatori tradidit, fine precum facto, quibus quotidie certo tempore, certo loco vacare do-

conſueverat. Novimus enim, ut non ſuperſtitione, ſed veræ ſanctimoniæ ſtudio ſibi in ædibus cubile muſei inſtar, deſignaverit, ut ſemota à familia, alia ipſamet legeret, alia annotaret & vota ad cœleſtem Patrem faceret. Sic docta è ſacris libris fuerat: ſic rebus duris, ſive non una cruce duriter etiam exercita & coacta. Illæ enim, neque ſine cauſſa tentationes dictæ, quibus intimi animorum noſtrorum ſenſus explorantur, confugere nos ad ſapientes & ad ſuperos jubent, imo ad unum omnium Parentem, à quo præſidium & opem ſolo ſperamus, & in dies ſingulos petimus. Neſcio autem, quî fiat, ſed fieri ſcio, quod ſæpenumerò expertus ipſe ſum, ut hujuſmodi narrationes gratæ ſint, & ſimul animi vulnera refricent. Nempe homines ſumus: magis ſapiamus, ſi fatalia æquius feramus, ut beneficentiſſimo omnium Parenti de bonis exhibitis gratias agamus, cum jubeamur etiam ipſi gratias agere ἐν παντὶ, quod magnam in ſe vim habet, intellectu minimè facile, ſed inter agendum lon-

longè difficilimum. Itaque etiam undique aliquid opis conquirimus, quorum fortè ſingula non multum adjuvent, non negligenda tamen, quando nonnihil conferunt, ſive re ipſa, ſive opinione ſaltem noſtra. Horum unum eſt, neque prorſus leve ac propterea non negligendum, quod ego omiſi nunquam, & familiaribus oſtendi ſæpè, quo te uti noveram, & cum domum meam ad dies aliquot divertiſſes, apud nos uti, ipſe vidi. Neque tamen hoc loco tuas laudes ad te prædicabo, referens Legationes primarias, quas obieris, ad alia atque alia Comitia, vel ad ipſa imperii Comitia, vel ad Principes. Hodie autem non ſolum negotia tractas, ut annis ſuperioribus, ſed rebus gerendis te immergis profundiùs. In talibus quando ſumus, in triſtia illa minus intenti ſumus, ſive dolorum aculeos minus ſentimus: quibus quo humaniores ſumus, faciliùs fortè conficiamur. Quo ipſe me ab ærumnis referam, non ignoras, ſive etiam nunc vides. Tu verò te in hoc confirma, quoniam & ferendo labori

bories, & hoc iſtius muneris eſt, quod tibi Pater patriæ impoſuit. Invitet te eodem conditio, quod habes aliquot jam ſeculis à Majoribus. Claruit enim Rhumannorum nomen ductum à Rhuma fluvio, Northemiam alluente, quo in loco illi fundos habuêre, tuque amplos etiam hodie, eosque fœcundos poſſides, quibus quotannis augeas patrimonium, unde & Göttingam occaſio vos tranſtulit. Addam quod mihi diligens patriæ hiſtoriæ indagator Meibomius ſubjecit pagellis, quas Bertha Abbatiſſa Gandersheimenſis reliquit, annis abhinc trecentis, in quibus mentio Rhumanni fit. Mitto quam vim hæc conjectura habeat: ubi vivitis, illic nota eſt generis veſtri antiquitas, cum rerum abundantia: quę omni tempore habita fuit Nobilitas. Neque ſolum ſic populus ſentit, ſed & illi judicant, qui omnia ad veriores rationes exigunt. Itaque Patriciorum nomen & dignitatem habetis, ut in viciniis iſtis urbibus Göttinga, Hannovera, Eimbecca plures familiæ. Nobiles erant Romæ Patricii, quod equeſter

queſter ordo ſibi non arrogabat: hodie rerum alia eſt ratio, alius loquendi modus: atque nos hujus ſeculi legibus & moribus uti oportet. Citra invidiam tamen dicam, quod ratio evincit, & Patricios in noſtris urbibus eſſe Nobiles, ſi non artibus militiæ, certè artibus pacis: etſi & ipſi ſæpè militant, [quod & de Rhumannis annales loquuntur] non alieni ab ordine equeſtri, uti hodie plures ordinis equeſtris etiam litteras & ſtudia ſapientiæ colunt, quibus evehuntur altius, quàm ipſis fulgentibus armis: & majori ornamento uſuique ſunt communi patriæ. Intelligis autem hæc à me non falsò ſcribi, quod à pluribus cognoſci velim. Neque enim paullò plures de Patricio ordine ornando laborant, quibus judicant oportere modis, minimè otio & vino dediti, qua de re alibi diſſerui, neque multò tamen pluribus. Nec invidebunt in urbibus potentiæ, divitiis & ſplendori Nobiliſſimi fortiſſimique ordinis Equeſtris per regiones in arcibus habitantium, contenti quiete & mediocritate, neque

neque tamen ſentiemus de nobis humiliter. Etſi autem non reprehendendum prorſus videatur, & interdum etiam probandum, ſi civium honoratiorum filii, aut etiam humili loco nati, legitimis gradibus altius aſcendere cogitent, & hoc quoque ſingulari laudati honoris ſtudio agant: tamen quemque videre jubeamus, quid ſe potiſſimum deceat. Annon enim decet patricium in civitate ſuum locum ornare ante omnia? nec poteſt tamen quis facilius aut etiam melius, quàm litteris, nec patriæ utilius. Id quod te ſecutum bono fato arbitror, teque aſſecutum, & tu tibi gaudere debes, & nos gratulamur non injuria. Ad abacum & menſas regias torquati & holoſericati aſtare etiam poſſunt, analphabeti quique: non ſapiunt autem, ſi qui eos æmulati ſplendidi eſſe malunt, quàm verâ, quamvis laborioſâ, dignitate refulgere. Hanc igitur cum ab adoleſcentia quæſieris, in juventute inveneris, tueberis. Quod quando facis, & facies in perpetuum, ærumnas vitæ minues, aut etiam prorſus ſemovebis: non

non etiam nihil proficies hujus epiſtolæ lectione, vel hac ſaltem hora: atque hoc magis mihi ignoſces quod fui verboſior: ignoſcet etiam, ſi quis hæc prætcrea leget: etiamſi more ſenum nonnulla præter rem, neque ab re tamen omnia, attuli. Vale. Helmſtad. ex acad. Jul. prid. Kal. Feb. cIↃ IↃ CXII.

EPISTOLA XLI.

DEdi alteri ad te perbreves. Hic qui ſibi apud te negocium eſſe diceret, flagitabat alteras. Quas non negavi, ſi forte prior abs te aberraret. Nihil erat, quod illis adderem. Feci & facio tui judicii, quid de mea vetere epiſtola ſtatuas: ſaltem fac ut tuas legam: ſemper enim ferunt aliquid ſalis & novæ benevolentiæ. Vale. Helmſtadio proprid. Eid. Decembr. cIↃ IↃ CXII.

JO. CASELII EPISTOLARUM LIBER IX.

EPISTOLÆ *AD* PROPINQUOS ET CIVES.

CONRADO HEIDENREICH.

Gôttingam.

EPISTOL. I.

IPſe mihi ſæpè placeo, quod ad amicos ſcribam impigerrimè, etiam ad eos, qui ad me ſcribant rariùs, vel quod occupationibus diſtineantur, vel quod non

non habeant, quibus literas ſuas commodè perferendas tradant. Tuæ occupationes te non excuſant, ſed longum intervallum. Quis enim à vobis huc proficiſcitur? atque eadem cauſa eſt, quod ipſe hactenus à me nihil. Jam tum commodum erat, ut quid exararem, otium deerat. Itaque ſcribo brevius, quæ tamen brevitas ſilentio eſt prolixior. Ac ne tamen de Italia meisque rebus ignores, quæ malis cognoſcere, ecce frater meus Chriſtophorus meas partes apud ſe agit, qui hic aliquot menſes apud me hæſit. Et ſic minus tibi cauſæ erit, quamobrem longiorem à me epiſtolam poſtules. Fratrem Danielem non dubito tibi meo nomine eſſe commendatiſſimum, ad quem tuum erga ipſum amorem, ſi ex hac commonefactione aliquis cumulus accedet, nihil erit mihi gratius. Vale. Bononiæ IV. Non. Decembr. 1561.

CHRISTOPHORO HENCELIO

Göttingam.

EPISTOLA II.

PRimum quia es mihi συμπατριώτης, deinde quia συμμαθητὴς & μαθητὴς deniquefuiſti, non poſſum non te amare, tu verò me amas plurimum, & ſingulari obſervantia colis. Hæc omnia fecerunt, ut maximè vellem, minimè verò ad te poſſem copiosè ſcribere, & tecum vel de meis rebus vel potius de communibus ſtudiis plenius colloqui. Verum & meas res & Italiæ ſtatum ex fratre meo audies. Literarum verò ſtudia te ipſum jam perfectius cognoviſſe arbitror. Sic enim te novi, hoc eſt & diligentiſſimum & honeſti nominis cupidiſſimum. Quousque nunc progreſſus ſis, non conjicio. Ne autẽ ab hoc tuo inſtituto, hac præſertim adhuc florente tua ætate, deſiſtas, te & moneo pro mea in te ſumma benevolentia,

lentia, & ,ſi pateris, rogo. *Velim eſſe noſtrates quam plurimos, qui hujus laudis palmam mihi præripere conentur: futurum ſperarem, ut remp. noſtræ patriæ aliquando optimo loco conſtitutam intueremur.* Video certè eſſe nonnullos, quorum ego laudi & ſtudiis faveo , ut qui maximè. Patrem tuum ſaluto. Vale. Bononiæ Nonis Decembr. 1661.

CHRISTOPHORO WITTICHIO Affini.

Gottingam.

EPISTOLA III.

BRevius in præſentia ad te ſcribo, & quia ad multarum epiſtolarum ſcriptionem rapior, & quia ad patrem ſcribo prolixius, & quia cum fratrem audiatis de rebus omnibus, nihil erit, etiamſi ſim aliquanto hic prolixior. Meorum ſtudiorum is hactenus fuit curſus, quem non potuerim ita celeriter abſolvere, ut plurimi judicarent: ſed ego meas ipſe vires rectius habui perſpectas. Verum quia neceſſitati parendum eſt,

 ſpero

ſpero te minus moleſte laturum, præſertim cum ſpes ſit ex matura præſentia aliquando & parentes & vos majorem voluptatem uberioresque fructus percepturos. Quid enim à me potui? & hodie quid poſſim? plus tamen nunc, quando hoc anno ea hic didici, quorum me nunquam pœnitebit. Itaque & velim, ut omnes expetitis, reditum maturare; & jam rebus quoque meis imperfectis venirem, ſi per me ſtaret. Adhuc nihil mandatorum ab Illuſtriſſimo meo Principe habeo, quæ ut extorqueam, in aulam fratrem meum mitto, ex cujus literis, vel ex iis, quas ille ad me ex Megapoli mittendas curabit, ſciam, quid mihi porrò ſequendum ſit. Interea dum abſum, quæſo te, ut parentes meos tibi habeas commendatiſſimos, eisque præſtes quæcunque potes officia, etiamſi tibi onus hoc ſit graviſſimum. Ampliſſimos, crede mihi, ex hac mea pietate fructus demetes: egoque ſi vivam, omnia ſolvam, ne ullius rei jacturam feceris, imò conabor,

ut

ut te beneficiis ſuperem. Sed ne ego de tua fide dubitare videar, in rogando non progredior ulterius. Toties verò non poſſum non te monere pro eo amore, quo ſum erga parentes, quemque illis debeo, & ipſe præſtiturus ſum, ſi vivemus. Tua verò familia ecquid crevit? utinam domi tuæ Wittichiolum reverſus ludentem offendam! nihil neque tibi, neque mihi erit gratius. Vale. Bononiæ Nonis Decembris 1561.

SAMUELI CASELIO FRATRI.

VVitebergam.

EPISTOL. IV.

QUid hoc tandem eſt, urgeri te toties ad ſcribendum? tot vias tibi tuas huc ad me transmittendi lite-

ras oſtendi? ne unam quidem mihi à te reddi epiſtolam tot menſibus? Facile mihi initio te excuſabam, cum quanti me faceres, & quantum in procurandis rebus meis poneres diligentiæ, ſcirem. Sed hæc tanta mora facile fecerit, ut aut in te culpam conferam totam, aut te Viteberga diſceſſiſſe, vel valetudine adverſa affligi ſuſpicer. Quid verò eſt, quod tuas literas ita deſiderem? Num meæ res & negocia, quæ tibi conficienda perſcripſeram? certè de hiſce me certiorem fieri, intereſt meâ plurimum. Verumtamen magis me angit parentum valetudo, & tua itidem. Quid agitur? vivitisne? valetisne? ne hora quidem præterlabitur, quin de vobis hæc & alia cogitem. Vos verò iſtic ex creberrimis meis literis in eo nomine hac cura liberari potuiſtis. Sed nunc tandem ne quæſo hoc ſcribendi officium differas: ac ne dubites, quid à te velim perſcribi, id te rectè priores meæ epiſtolæ edocuerunt, quas te accepiſſe ex eo conjicio, quod quas ad Mylium ſcripſeram, ille pleraſque acceperit, vel ſi neſcis, primùm te in conſilium adhibe: deinde

de

de cæteris ex Chriſtophoro quære. Is tibi etiam multa & de Italia & de me narrabit, quæ velis avidè cognoſcere. Itaque ejusmodi nihil ſcribo. Quod mei amoris erga te eſt, breviter tecum de iis, quæ te meliorem hac tua ætate reddere poterunt, colloquor. Sequeris autem lubens meum in hisce conſilium, quod me plus cęteris in tuis rebus videre tibi ſit perſuaſiſſimum. Ac certe ſi quid poſſem ex intimo educationis artificio depromere, idipſum magno labore quęſitum tibi offerrem. Qua natura quibuſque moribus ſis, ſatis deprehendi. Quarum virtutum flammæ in te elucent, eas excita, & fac, ut earum initia tibi non fruſtrà omnium Conditor indiderit. Ad humanitatem, modeſtiam, pietatem, veritatem, comitatem, verecundiam factus eſſe mihi videris. Earum virtutum laudem apud omnes, ſi voles, facilè obtinebis: nec, quin velis, dubito. Verum quod proximè te monui, id vide, ut perpetuo, dum animum flectere potes, memineris. Primum τὸ ὀξύχολον exue: hoc enim πάθος cum ratione maximè pugnat, eſtque inimi-

ciſſimum conſiliis: ac certè placidi ingenii hæc vis eſt, non moveri acerbius vel ad offenſionem nihili, vel ad leve dicterium vel ad ſimile quiddam. Homines non poſſumus non iraſci; ſed leviter iraſci & fruſtra τῆς κακίας ἐςίν. Deinde *in pudore etiam peccatur* non à te tantùm, ſed *à noſtratibus plurimum ferè* omnibus. Quodcunque agis vel dicis [non dico ut impudenter vel dicas vel agas] ſed ut ſingulari animi præſentia & cum ingenua audacia & dicas & agas omnia. Id autem præceptum non tantum apud inferiores & tuos æquales memineris, ubi eò non admodum erit opus: verum multò magis apud quosque primos, hoc eſt, vel ſapientiſſimos vel illuſtri genere natos, atque adeò, ut ſi tibi coram Rege vel quid agendum vel quid dicendum ſit, non tantus tibi oboriatur ruſticus pudor, ut vel in agendo aut ceſſes aut pecces, vel in loquendo aut hæſites aut obmuteſcas. Ac quid eſt verecundia, in adoleſcentibus ejus ætatis, cujus tu es, quam vel ruſticitas vel ſtupor? Illa facit, ut etiam cum præclarè ſimus eruditi, ad res magnas nobis aditus intercludatur. Denique temperantię

perantiæ & continentiæ, ut es, ita ſtudioſus eſſe nunquam deſine; nec hac ætate te à virtute ne transverſum pilum ſine te abripi. Affirmo tibi, intemperantiæ & incontinentiæ nunquam adjunctam eſſe perfectam ſapientiam. Si qui ebrioſi habentur ſapientes, ejusmodi à ſui ſimilibus habentur: atque etiam ſi ſit in ebrioſo nonnulla, erit certè ebrioſa ſapientia. Hæc de moribus, ut fratrem te monere, ut filio pręcipere tibi non dubitavi. Vide etiam, ut decoros & graves geſtus in tempore addiſcas. Nec ſi rectè facis, levis noſtræ adoleſcentię cenſuram tanti tibi faciendam puta. Ac ſi de nonnullis etiam te frater monebit, id etiam æquo animo, ut debes, accipias: ego me à vobis facilè moneri patiar. Ad literas venio: Ingenium tibi contigit certè divinum & inſtitutio liberalis, qua certè non facilè tibi meliorem optaris: quæ ſi mihi id ætatis, quâ tu jam es, non defuiſſet, certè auſim mihi jam majora polliceri, quamquā vigiliis non contemnenda aſſecutus ſim, & his fundamentis, dum vivam, ſemper altiora ſuperſtructurū me confidam. Accedit ad hæc duo ea tua diligentia, quæ ſit neceſſaria. Qua autem ratione porrò tibi per-

gendum ſit requiris? Certè in gravem deliberationem deſcendimus, & in qua de tota tua vita decernendum eſt: eam igitur abrumpo, quod omninò ſperem futurum, ut hoc ſecundo anno tecum de omnibus coram loquar. Interea quò es ingreſſus, perge, nec te multiplicibus doctrinis addiſcendis obrue: imò volo, ne unius rei ſtudio ingenium obtundas tuum. Quo enim diſces unum quiddam (ut jam diſcis eloquentiam, credo) tardius, eò diſces etiam diligentius & perfectius. Defeſſum ingenium certè nihil poteſt, alacre omnia. Et ſic valetudini etiam tuę conſulueris, quæ tibi ut & mihi imbecilla contigit. Ut autem & animum exhilares, & corpus confirmes quotidiè, τὴν κιθαριστικὴν, ut cæpiſti, perfectè diſce, & palæſtricæ etiam da operam: ſed utraque rectè utendum eſt. Hæc fraterna inductus benevolentia ad te ſcribo, quæ tu non tantum leges libenter, ſed & ſequenda tibi pro virili arbitraberis. Vale, & fac, ut quamprimum tuas literas legam. Bononiâ VII. Id. Decembr. anni

ↀ Ↄ LXI.

AN-

ANDREÆ MYLIO, Conſiliario Megapolitano.

Sverinum.

EPISTOLA V.

OStendi iis literis, quas menſe Novembri ad te dedi, fratrem meum huc à parentibus miſſum eſſe mei monendi cauſa, ut quantum poſſem, reditum in patriam maturarem. Quod ipſorum conſilium etſi mihi ab omni parte nequaquam ſatisfacit, tamen me movet inter cætera, ut & ardentiùs, quæ mihi, dum abſum, agenda ſunt, agam, & vobis me, percurſo hoc feliciter ſpacio, quamprimum iſtic ſiſtam, ut, ſi parentibus ſenio & ærumnis confectis gratiam eam, quam vel debeo vel volo, referre non poſſim, eos tamen magna ſolicitudine liberem, quam de me ſuſcipiendam ſibi putant, præſertim mater, (utinam autem rectiùs ſentiat!) dum in Italia vel in Gallia plures annos verſor.

verſor. Nec verò deſunt alia, quæ me in hanc ſententiam perducant, quæ te etiam probaturum pro tua ſapientia & ſumma erga me benevolentia confido. Primum enim cogito, quantos ſumptus faciam, quos verecundè etiam ab optimo Patrono petere vix auſim. Scio enim & quotidie animo meo penſito, quanti ibi ſint coronati centum, qui hic parvi etiam æſtimantur, vel ut æſtimentur maximi, tamen in tanta neceſſariorum caritate etiam homini parciſſimo facilè diffluunt. Deinde valetudini quantum decedit meæ in peregrino cœlo? Nec jam ante annos alicui adhibebor muneri. Denique quid hic vel alibi, ubi multos menſes lateam, plus proficiam, quàm alicubi in Megapoli? Bononiæ, ut ante hac ſignificavi, nemo eſt, qui vel profiteatur πολιτικὴν vel eloquentiam. Fuit hic F. Robortellus; is Patavium diſceſſit: in qua ſchola habentur excellentes hic ipſe & Sigonius, qui inter ſe ſatis ſtultâ æmulatione concertant. Hæc fecit, ut utriuſque auditores capitali inter ſe odio ſint inflammati. Quæ res movit magiſtratum Venetum, ut utrique publicè

cè docere hoc tempore interdixerit, donec hæc odia ſedentur. Quid ſi doceant, & ego ibi ſim? Fortaſſis eos audiam: quid proficiam? fortaſſe nonnihil, at certe parum. Quin ſi ipſi mihi tali officio fungendum ſit, neq; indoctius, neque negligentius, neque infeliciùs eaſdem prælectiones, etiam eruditis me audientibus, tuear, quàm alteruter eorum; quod quidem ſine ſuſpicione arrogantiæ apud te de me vere poſſum gloriari. Etenim audivi hic Robortellum aliquot es auditores potius promiſſis detinentem, quàm ubertate doctrinarum erudientem. Sigonius, ut nihil niſi optimè & diligentiſſimè ſcribit, ita tali eſt in docendo infantia, qualem ſchola facilè reſpuit. Jam ſi neq; hîc, neq; Patavii aliis ducibus me profectus in meis ſtudiis facturum ſperem, quò me in Italia ire jubebis, ubi diu eorum gratia hæream? Neq; ego ſcholam ſcio, neq; aliis majorem eloquentiæ laudem tribui audio. Ac ſi jam Magiſtrum eloquentiæ quæram, profectò tu is eris, qui me ſimul maximarum rerum tractatione vel docendo vel ſolo exemplo tuo informaris.

maris. In Gallia enim ut Rhetores eſſe non negem, ita ſi eos viderim & ſemel iterumque audiverim, mihi ſatisfecerint, credo. Sed de hac poſtea: de Italia prius. In hac quia Bononiæ ſatis diu hæſi, ut ego judico, & tu mihi facilè fidem adhibebis: volebam me hinc aliò movere, ubi vel πολιτικώτερος fierem. Egi itaque cum mercatore, ut ad proximas Principis literas mihi, ubicunque eſſet, ſumtus procuraret: quod ut ægrè ſe poſſe præ ſe ferebat, ita voluntati Illuſtriſſimi Principis mihique urgenti facilè ſatisfecit. Quare, re apud me bene deliberatâ, conſtitui poſt Idus Dec. Florentiam ire: ubi vivit vir de literis noſtris optimè meritus Petrus Victorius, cui qui ibi ſunt Germani [ſunt tantummodo tres] eximiam ſapientiæ laudem tribuunt. Quod & mihi perſuadent facilè, cum animadverterim, ipſos quoque Magiſtri exemplo ſummâ eſſe virtute & ſapientiâ. Et haud ſcio, an Germanos, qui alibi vivunt, hisce velim præponere: ita ſunt literis ab omni parte expolitiſſimi, & ea re humanitate præ cæteris ſingulari. Ac fuit ea reſp. Florenti-

na,

na, cujus hiſtoria, quam hic quoque attigi, non erit mihi planè nullo uſui: videbo etiam rectius, quæ hodie ſit gubernatio. Ajunt enim hunc Medicen eſſe *πολιτικώτατον*. Ad Febr. Cal. cum Camerario filio Romam ibo & Neapolin. Quod ſi expreſsè non habeo nunc in mandatis, tamen, cum non vetueritis, hoc, quod nunc ago, non improbabitis, credo, præſertim cum, ſi procraſtiner, majore deinde cum difficultate & jactura temporis eſſet agendum. Scire autem vos volui omnia, quæ facerem, & cur mihi facienda putarem: ut, cognitis mearum rerum rationibus, impenſarum nihil vel profuſè vel temerè facere intelligeretis. Adeſt præterea frater meus, qui ſi quid præterea vel de aliis rebus, vel de me requires plenius, commemoret rectiſſimè. Eum verò rogavi, ut meo nomine ad vos proficiſceretur, ea præcipuè de cauſa, ut cum tu has literas legiſſes, ipſumque præterea audiſſes, quid velletis me ſequi diceres, ipſeque ad me tuam orationem & Principis mandatum quamprimum perſcriberet. Ipſum te rogarem, ut id faceres; ſed ſcio, quibus

negotiis tu quotidie diſtentus vivas, ut facilè, quæ vellem, tibi excidat, nec ſatis ad ſcribendum ſit otii, quanquam proximè ita ſcripſiſti ad me prolixè & amanter, ut filio te aliquando neque copioſius neque benevolentius ſcripturum arbitrer. Itaque & hoc nomine tibi debeo omnia, quod nunquam negabo, pleno ore paſſim prædicabo, dum memor ipſe mei, dum ſpiritus hos reget artus. Jam ſi per benevolentiæ abundantiam ad me omninò ſcribes, breviter id facies, jubebisque quod voles: aut, ſi quid ad me ut exares, negocia publica non ferunt, quorum ego magnitudinem tibi incumbentem metuo, fratri explica de iis rebus, quarum jam meminero, quid mihi ſit faciendum. Seſquiannus jam temporis meo ſtudio deſtinati præteriit: reſtet alterum ſpatium, prout voletis. Non cupio, ut hoc me in Italia opprimat, mihique fruſtrà elabatur: ejus initium certè, utcunque ſtatueritis, deprehendet: vix enim quod deſidero, à te reſponſum habebo menſe Martio, quod primùm Febr. hæc lecturus ſis. Citiùs verò ſeſquianno quod cupitis me conſecutu-
rum

rum quodammodo ſpero: ſed tuum erit conſilium, velisne me ad vos hoc LXII. an LXIII. anno redire. Si voles [id eſt, ſi Illuſtriſ. Principem hoc velle intelliges] hoc anno iſtic ero: ſic & fient ſumtus minores, & tamen vel illa, quæ venor, vel illorum principia ero conſecutus, niſi quod fortaſſe Gallicè minus callebo. Nam ſi in annum LXIII. abero, fortè & Gallicam mediocriter ſciiam & nonnihil intelligam Hiſpanicè: ſic enim utramque linguam deguſtavi jam, ut hoc mihi polliceri non dubitem: ſed ego & hoc velim, & illud ex cauſis, quas initio commemoravi, non abnuo. Sed utrum tempus mihi dabitis, non erit ex uſu meorum ſtudiorum, ut vel hic vel alibi in Italia vel uſpiam in Gallia multos menſes commorer: nec credo te judicio hac in re à me diffidere, ac niſi graviores te rationes moveant, ne à me diffideas rogo. Rogo & alterum, ut, ſi me meis rebus rectè proſpicere putetis, quibus itineribus commodum eſſe videam, proficiſcar, quibus locis, quamdiu velim, mihi liberum relinquatur. Credite enim mihi,

non meo tantum, verum etiam ſapientum conſiliis hic utar. Impetrabo, opinor, hoc facile: ſed nodus ille eſt duriſſimus. Hoc pacto, ego me ad Politicen rectè induci putarem, pervagans peregrinas regiones, non quemadmodum *οἱ πολλοὶ*, ſed quo conſilio id fecit Solon, quo Romani Græciam inviſerunt. Sed quid tergiverſando nodum celo? Quid enim, quod neceſſitas, quod veſtrum judicium, quod Principis noſtri honor poſtulare videtur, reticeam? Viatico me inſtructum eſſe oportet, quod toto tempore mihi ſufficiat. Cum enim non conſiſtam annum vel diutius in uno loco, quî ad me pecunia perſcribi poteſt? Hoc ſolum ſi habebo, cetera, adjuvante Deo, per me mihi conſtabunt. Sit ne autem hoc à mercatore Bononienſi mihi petendum, definite: vel quodcunque voletis, facite. Hæc tamen via meis ſtudiis commoda viſa mihi eſt: quam ſi non ſequar, reliqua ferè omnia vel planè omnia minoribus ſumtibus iſtis conſequar, ut dixi. Etſi autem hac mea ſententia mihi ipſi placeo, tamen in judicio acquieſcam tuo, quem me plus videre

non dubitem, cum & eruditione ſis divina & ætate major, & uſu rerum maximus. Exemplum mei conſilii iter hoc Romanum primum eſt: ſi probabitis, deinde in Patavina ſchola ero ad menſem, aliquanto plus Venetiis: illa me de literis, hæ de rebus politicis erudient. Proximo itinere totam Lombardiam cognoſcerem, hoc eſt, Mediolanum & Genuam. Sed quid de Gallia & cæteris, cum mihi de veſtra voluntate nondum conſtet? Verum etſi conſtet, (ut arbitror) tamen commoda quædam mihi etiam ſequenda erunt, quæ, antequam me in viam dem, omnia nequeo præmeditari. Ignoſce mihi, MYLI CLARISSIME, qui te hiſce meis nugis obruam, quas tamen ſi ocioſus leges, aut amabis, aut ridebis certè, atque uno nutu, quo mihi benignè annues, quæ futura mihi uſui ſtatues, comprobabis, idque facies avidius, cum quod tibi ſim cariſſimus, tum quod tui honoris interſit, plurimum me eſſe vel eum, quem me futurum Illuſtriſſimo Principi recepiſti, vel etiam majorem, vel ſi utrumque nos fruſtrabitur, propè tuam mei commenda-

tionem cum laude conſiſtere. Facie-
mus etiam ægre barbariei, ſapientiam
inquirendo & adducendo, tu me juvan-
do, ego, quantam poteſt mens mea re-
rum cognitionem capere, laborando.
Perſvaſi mihi jam te cum voluptate me-
cum colloqui, ut cum iſtic eſſem, quoti-
die ſolebas: itaque audi etiam alterum.
Sæpè in meis ad te literis memini, quæ
hic ταῖς μούσαις comparari poſſent, quæ
item in Gallia, quod ſcirem hoc genere
Illuſtriſ. Principem delectari. Quid enim
de te dicam, qui totus Muſis natus es?
Non eſt mihi reſponſum, quod expecta-
bam: nam & quo genere plurimum cape-
remini, & quantum eſſet in libros im-
pendendum, cognoſcere volebam. Tu
tantum in literis Principis, ut mitterem
Dionis librum de regno, &, ſi quid eſſet
editum à Manutio, adſcripſeras: in tuis
generatim jubebas, ut quid librorũ mit-
terem. Hoc in genere quod potui, præ-
ſtiti. Dionis enim ille liber non venit: &
Manutii paucos qui aderant, coëmi, quos
per eorum feſtinationem, qui huc erant
miſſi, compingendos curare non licuit.
Gladium itidem, quem mihi, qui rogati à
me

me emebant & probabant, miſi. Hoc ſi tibi ſatisfactum eſt, gaudeo: ſin vis meliorem, & hoc & qualem velis, ſcribe. Invenietur Mediolani optimus. Quod ad libros attinet, dedi negocium fratri, & pecuniam ad emendum Dionem, itemque alios præſertim Manutii, quos ſe ad vos ferre poſſe conſideret. In reliquis ſunt Ethica Ariſtotelis à Lambino eleganter verſa, qua verſione vobis nihil erit gratius, præſertim Illuſtriſſimo Principi, cum ea tu non egeas. Cum verò neque ſic vobis ſatisfecero, ipſi Romæ mercabor, quæ videbuntur. Rogo autem, ut certior fiam, quousque mihi in hac re ſit progrediendum: ſunt in Italia ſcriptores Græci, qui alibi non veneunt: ſunt Venetiis Latini expreſſi typis elegantiſſimis: ſed cogito, ut poſſim & quantum debeam. Me etiam valde oblectant Italici libri: Itali certè mirum in modum hanc ex barbaris initiis progenitam linguam excoluerunt. Taceo horum poëtas, oratores, fabulatores, ſcriptores artium liberalium, item architectonices, muſices, interpretes

Latinorum Græcorumque autorum: hiſtoricos, qui & elegantiſſimè & ſapientiſſimè hac lingua ſcripſerunt, præterire omnes nequeo, nec tamen eorum mentionem facere, ſi ad eundem modum Latinè extarent. Recèns Florentiæ edita eſt Guicciardini hiſtoria admodum laudata, refertiſſima conſiliis: hac ſua tēpora proſequitur à Jovio exorſus, verum hoc habetur verior, in aliquibus, quæ iſte vix attigiſſet, etiam plenior. Villanus ſui temporis hiſtoriam item plenè perſecutus eſt ab anno M. CCC. XXX. VIII. ad M. CCC. XLVIII. Corius Mediolanenſem ſcripſit: Pandolfus Neapolitanam: Genuenſem Auguſtinus Juſtinianus, Nebienſis Epiſcopus: Florentinam Maciavella: Turcicam Sanſoninus: Bononienſem Leander, &c. Atque hic etiam libro utiliſſimo totam Italiam Geographicè & hiſtoricè ſimul exornavit. Eſt itaque vel horum tantum nomine operæ pretium Italicè intelligere. Quam verò lubens hos ſcriptores habeam, ut me iſtic etiam erudiant? Atque unum præterea: Magna mihi eſt familiaritas cum Camerario filio,

lio, juvene cum literis humanioribus ex-
politiſſimo, tum eruditiſſimo medicinæ: Is cum ante me hîc verſatus, & vixerit Patavii, & ſæpius venerit Venetias, & familiariter utatur Græcis & Venetis, commodè, qui eſſent libri Græci, Venetiis potuit perquirere: ac ſunt ſanè utiliſſimi plerique, quorum aliqui ne eduntur quidem. Nonnihil ad deſcribendum impetrare poſsimus pari precio: hic ſive, tu ſive Illuſtriſsimus Princeps, aliquid impendet, & mihi & tibi, ſi quid tale conficiam, naſcetur. Et quia in ſcriptorum librorum mentionem venio, vidi hic quoque pulcherrimos, licet paucos, quorum nonnulli editi non ſunt: Eſt ἥρων περὶ πνευματικῶν, id eſt, de organis, quæ vi ventorum regantur: eſt hiſtoricus Græcus (magnum volumen & egregium) ὁ συγγράψας τοὺς βασιλεῖς ἀκακαθολικούς. Romæ infiniti. Atque ea de cauſa advocatus eſt à Pontifice Manutius, & præfectus Bibliothecæ & Typographiæ Pontificiæ: ac futurum eſt, ut quædam prodeant ſcripta veterum. Ipſe Manutius ſcripſit in epiſtolam Fam. Cic. accuratas explicationes, qui liber

adhuc ſub prælo: ubi exiit, exemplum ſtatim habebis. Nova alia item reverſus Bononiam. Vale, & fac, ut mihi de mandato Principis & de tua in his omnibus voluntate per fratrem quamprimum conſtet. Bononiæ anno M. D. LXI. Idibus Decembr.

MATTHIÆ CASELIO Patri cariſſimo.

Göttingam.

EPISTOL. VI.

SEmper ajebas, totam noſtram vitam non humanis conſiliis, ſed divinitus gubernari. Id verò hactenus accidit: nec fiet de nobis aliter. Etſi autem hiſce viginti annis, quos ipſe bene totos recordor, penè nihil nobis fuit calamitoſius, ſi ad fortunæ bona reſpicias, tamen quid fuit nobis felicius, quibus & cœleſtia bona ubertim impartiverit Deus, & impartire abundè quoq; fortu-

fortunæ bona cœperit? Fortunæ verò bona ea quæ fluxa non ſunt, neque caduca, ſed hominibus ſanis ſola perfecta bona exiſtimata ſunt. Neque enim vel virtus vel ſapientia cum opibus aut etiam regnis conferri debet. Quæ ſuperiora & ipſe quotidie oculis animi intueris, & ipſe ea aliquot meis epiſtolis tibi protuli. **Etiam ſummum mihi eſt, parentibꝰ me eſſe iis genitum, qui, cum non obſcuro eſſent genere neque abjecto, nos ſui ſimiles procrearunt. Ut enim vos pietate & aliis animi donis præſtatis, ita certatim filii enituntur. Ipſe qui maximus inter eos natu ſum, exemplo meo fratribus præeo: ſtudeo & virtuti & ſapientiæ, quibus humano generi meo loco proſum, quantum quidem per humanæ naturę fragilitatem mihi licet. CHRISTOPHORUS noſtræ ſpei ſatisfacit, eamq; ſi, ut ſpero, patronum liberalem nanciſcetur, etiam ſuperabit. SAMUEL ætate pręmatura, vel rectè potius matura, egregium de ſe & virtutis & eruditionis ſpecimen edit. DANIELIS progreſſus mihi incogniti ſunt, quod ad modum; tamen bene de ipſo ſpero, & eum jam ex-

hortor diligenter epiſtola quadam, ut & noſtrum exemplum ſequatur, & ſatisfaciat voluntati parentum. Ipſe verò cum cæteris duobus tum minimo natu mea ope adero. Utinam verò eam diem videatis, ut & vobis gratias pro viribus referam, & nos matura ætate florere, hoc eſt, hominum uſui natos eſſe, conſpiciatis! Ac fiet certè: nec fruſtra ſe & à vobis & à nobis in re facili orari ſinet Deus. Atque jam appropinquat id tempus præſertim meum, ut ante etiam vos docui. Quod ſi in me fuiſſet poſitum, jam iſtic eſſem, etiam, ſi quædam mihi, quæ vellem, quæque ad me ornandum & meam, hoc eſt, noſtram felicitatem ſpectare videntur, ex parte negligenda fuiſſent. Sed [teſtor Deum!] æquali ardore ad virtutem & ſapientiam contendo, quanto ego vobis ſolatio & adjumento eſſe deſidero. Quid, (conquerimini,) moraris? Quid nos retines? Equidem hic retineor maximis difficultatibus; primum iis rebus non ſum inſtructus, quibus iſtuc proficiſcens indigeam, ſed forte acquiram etiam ægerrimè illos ſumptus. Mandatum Principis expecto; quo inſcio, neque

que debeo, neque poſſum id, quod volo præſtare. Scripſeram autem eo nomine ſexcentas ad Mylium epiſtolas; qui cum graviſſimis fuiſſet negotiis diſtrictus, ne verbum quidem mihi ad eam partem reſpondet: mitti mihi tantum pecunię procuravit, cum antea hic eguiſſem turpiſſimè, non ſine meo ſummo dolore, qua pecunia æs alienum diſſolverem, ut nihil ſupereſſet. Hic mercatori in mandatis datum eſt, ut neceſſaria mihi ſuppeditet, quod quidem faciet, etſi gravatim ad proximas Principis mei literas. Cæterum ut meæ res certo loco eſſent, ſcripſi ad Principem, meumq; conſilium ita ipſi expoſui, ut, volente Chriſto, anno LXII. ad vos certo me conſtituerim venturum. Aut enim toto abſoluto curſu, hoc eſt, peragratâ Italiâ & Galliâ, ſi Principi placebit, & ſi fieri poterit, me vobis ſub futuram hyemen ſiſtam: Aut ſi neque hoc mandaverit Princeps, ego pervagatus Italiam æſtate iſtic ero, etiam Megapolitanis inſciis, & ſi quid vobis re vel conſiliis præſtare potero, faciam, proſpiciam item fratribus, ut cœptum ſtudiorum curriculum de

mea

mea ſententia feliciter continuent, quo facto unà cum Chriſtophoro ad noſtras Venlium contendam, eos inviſam: notitiâque inter nos & obortâ & confirmatâ per inferiorem Germaniam in Galliam ibo, ibique ero anno LXIII. atque eodem in Germaniam meum munus, quodcunque ſummus Moderator meis impoſuerit humeris, ſubibo: vitamq;, ut debeo, Deo & hominum utilitati magno animo, relictis & repudiatis omnibus, conſecrabo penitus. Hoc meum inſtitutum & vos & Deus omnesque ſimul approbabunt boni, utroque vero conſilio vobis, ut ſpero, ſatisfaciam, primò quidem perfectius, quo certè libentius utar, ſi potero. At ſi hoc non ſuccedet, neque vos ſecundum improbabitis. Dum verò abeſt Chriſtophorus apud vos & in Megapoli; & quid velit Princeps, mihi perquiret, partem potiorem itineris mei abſolvam: quod confectum (eſt autem tutiſſimum) plurimum mihi apud vulgus admirationis, apud illuſtres commendationis conciliabit: Me enim de rebus graviſſimis cognitione viſuque dignis erudiet. Non eſt nihili faci-

facieudum, quod hic aliquamdiu fuit Chriſtophorus, quod item Venetiis, mihi majori ornamento erit non tantum vidiſſe Romam & Neapolin, verum etiam utriuſque politiam cognoviſſe & perſcrutatum eſſe diligentiùs. Hoc menſe ero Florentiæ, Cal. Febr. Florentiâ Romam & Neapolin proficiſcar: & quamprimum deinde me iterum recipiam Bononiam: quò cum venero, legam & tuas & fratris & Megapolitanas literas, ex quibus cum veſtras rés omnes, tum, quid mihi ſit agendum, ſciam. Non requiratis, ut ſcribam prolixius, pręſertim cum de mea voluntate & conſilio vobis poſſit rectiſſimè teſtari Chriſtophorus: item quid hic agatur, quomodo vivatur, qui ſint mores, quæ ſtudia, quæ nova, copioſiſſimè narrare. Valete, & Chriſtiana fortitudine adverſa tolerate, & quæ nobis proſpera largitur Deus, grata mente accipite. Quod cum faciemus, tantis beneficiis etiam porrò nos cumulabit, ut magnitudinem eorum ipſi capere non poſſimus, faterìq; cogamur, veriſſimum

id ſacrum eſſe dictum: *Mirificè ducit Deus Sanctos ſuos.* Iterum atque iterum valete. Bononiæ anno LXI. poſtridie Id. Decembr.

DANIELI CASELIO FRATRI.

Roſtochium.

EPISTOLA VII.

IN tempore ad fratrem veni. Jam enim iterum, unde vix redierat, iter parabat, & nunc ipſum ingreſſus eſt. Reliqua coram audies. Heri huc veni ante tempus, ut video. Neque dum enim adeſt Schoſſerus, quem hodie hic & cras exſpectabo. Si Hubnerus erit Cechelini, ad quem nunc ſcripſi, forſitan cras unà erimus. Vides, me Nonis primùm, aut etiam poſtridie Non. regreſſurum. Declinabo autem ad Othonem Hanium. Sic vobis ad VII. VIve Idus primum adero. Sed adero certè, niſi multum impediar, quod non credo futu-

futurum. Jam ſunt, credo, Naumburgenſes nondinæ: neque igitur veniet tam citò auriga Vitebergenſis, neque Samuel. Domeſtica cura accuratè, ut omnia rectè habeant, & Victori ſatisfiat, & puer ſe in ſcribendo exerceat. Vale frater cariſſime. III. Non. Quintil. cIↃ IↃ LXIII.

ANDREÆ MYLIO Duc. Megap. Conſil.

EPISTOLA VIII.

BReviter proximè ad te ſcripſi. Nunc ſum brevior. Etſi enim eo loco res meæ ſunt, ut accuratâ prolixâque epiſtolâ potius opus eſſe videatur: tamen tuus in me amor, qui te mei, ſive iſtic ſim, ſive à te abſim, oblviſci non patitur, facit, ut, ſi in rogando nimius ſim, me tibi diffidere viderì exiſtimem. Quod autem meæ in te eſt obſervantiæ, te tuamque familiam plurimum ſaluto. Roſtoch. IX. Cal. Sextil. cIↃ IↃ LXIII.

CHRI.

acceptosque vel ipſe adferes, vel cum Tunichæo certove alio homine, morâ omni ſublatâ, mittes. Ecquid fit de itinere Livonienſi? nihil ut arbitror. Tu Pfeiffero in Poloniam ablegato adjungeris. Sed antequam iter ſuſcipias, ſcribes ad me. Nec deerit, qui literas has perferat. Vale. Roſtochio VII. Cal. Octobr. 1564.

EIDEM.

EPISTOLA X.

VEhementer me commoviſti re illa parva quidem, ſed tamen te minimè digna. Per vim retinuiſti, repoſcente Samuele, ſaccum illum Joan. Jacobi. Et hic profectò præter modum mihi ſtomachatur. An non ſatis erat mihi miſeriarum, niſi tu eas talibus nugis cumulares? Igitur eum mitte ſine mora, niſi vis me in lites & jacturam pecuniæ minimè fraternè intricare. Summam item illam ſi accipies, integram mihi mitti volo, ne minimo diminutam: niſi fortaſſe hoc rectè putas fieri, ut ego ab omnibus deridear, & ab

iis quoque, à quibus minimè debebam. Novi, quid poſſis prætendere. Æs tuum à Principe tibi poſcito, cujus gratia cum tuam vitam in diſcrimen etiam conjicias, æquiſſimus tibi certè & eſſe debet & erit Dominus. Vale, nec mihi pro vobis omnibus ſemper laboranti & curas ſuſcipienti iraſcere, quod tibi in præſentia merito tuo ſubiraſcor. Reſcribe.

MATTHIÆ CASELIO
Patri cariſſimo.

Göttingam.

Epistola XI.

Etſi & in alteris literis, quæ cognoſcere vos velle arbitror, perſecutus ſum omnia, & mihi cum à publico munere, tum à meis rebus nihil planè eſt otii, tamen impius mihi eſſe videar, niſi ſeorſim ad te quoq; ſcribam, quo & tu quoque plenius intelligas, & quantopere in noſtris rebus laborem, & quo loco meæ ſint. Velim verò

me

me aut fortunatiorem eſſe, aut majoris fortunæ ſpem habere; idque non tam mea, quam veſtra fratrumque gratia. Verum his moribus vel non niſi tarde mihi ſperandum eſt. Fatum enim hoc meum eſt, ut quantum cæteri puerili quadam eruditione ad dignitates opesque adipiſcendas adjuventur: tantum mihi meæ literæ, de quibus nemo niſi doctiſſimus facile judicaverit, obeſſe videantur: præter enim quam quod me ita negligi patiuntur, faciunt, ut & malevoli me calumniis onerent, & invidia quantum poſſint, premant. Sed ego & illos & hanc ita ſatiabo, ut ſe ipſas conſumant & exedant. Utriſque verò quotidie & judicia ſanorum & perpetuum virtutis ſtudium oppono. Fortunæ verò aſperitatem patientia facilè placarem, ſi aut ſolus eſſem, aut ad magnos animi rectosque eos impetus non magnis etiam nervis opus eſſet. Alias verò oſtendi & in alienis quoque literis doceo, quæ ſpes ſit: hanc fovebo. & quidem eo modo, ut ſi ferax futura eſt, non tam ille me adjuviſſe, quam ego optimè de ipſo illo optimo adoleſcente meritus eſſe videar,

& à bonis etiam judicer. Sed hæc hactenus. Cum hoc tabellario expectamus à te vel breviſſimam epiſtolam. Hæc noctu ſcripſi. Vale, *Pater cariſſime cum cariſſima Matre*: vobisq; perſvadete, nos cum omnib9 virtutib9, *tum maximè pietati*, quam Vobis debemus, omnem daturos operam: neque citius quieturos, quam & Vobis haud dubia exempla probaverimus. Roſtoch. IV. Non. Octobr. 1564.

CONRADO HEIDENREICH.

Göttingam.

EPISTOLA XII.

PRo noſtra amicitia & tuas res ſcire cupio, & meas tibi notas facere debeo. Meę igitur hominis in literis viventis non ſplendidę ſunt, ſed mediocres: ita tamen, ut ad ea, quæ ſpernimus, magis accedant, quam ad altera, quæ optaverimus. Quid vos agatis, mihi cum hoc tabellario perſcribes. Ecquis verò nunc veſtræ ſcholæ præeſt? Ecqui civium filii aliquid de ſua virtute doctri-

doctrinaque polliceri videntur? Si qui ſunt tales, velim meo nomine ad ſtudia excites, & ipſorum mihi nomina perſcribas. Salutabis verò etiam à me amicos, *Gœbelium, Zachariam*, cui indicabis me ad ver, niſi ſingulare mihi impedimentum objiciatur, Göttingæ adfuturum, hactenus non potuiſſe, *Hencelium*, *Thomam Strumbergium*, & ſi qui ſunt alii, qui vel de me ſciſcitabuntur, vel noſtras Muſas non oderint. Familiam tuam ſaluta. Vale & reſcribe quam potes pleniſſimè. Si epiſtolam meam tibi gratam fuiſſe intellexero, copioſius ad te ſcribam. Roſtochio IV. Non. Octobr. 1564.

CHRISTOPH. SELIGER.

Göttingam.

EPISTOLA XIII.

VEllem ſuperiore anno ad me veniſſes: ſed me J. D. bonæ ſpei puer, docuit, te brevi tempore mihi hic adfuturum. quod ſi in itinere es, expectatus advenis. Sin te fama de peſte hactenus deterruit, ipſe quoque autor ſum, ut hanc hyemem,

quocumque modo potes, domi te contineas. Id erit & mihi & tibi non incommodum. Etſi enim nequedum hic peſtis eſt, tamen tanto magis metuenda eſt, quanto nobis eſt vicinior; ex adverſo enim graſſatur in Dania; ex uno latere Lubecæ, quæ bidui itinere abeſt; ab altero in extrema Pomerania. Quod ſi etiam huc ſerpet, & tu eris in periculo. Sed facies, ut tibi tuisque amicis videbitur, vel potius, ut res tuę ferent. Quod ſi domi conſiſtere decreveris, facies, me cum hoc tabellario de te, tuisque ſtudiis certiorem, atque item ſignificabis, quando hic ſis futurus. Vale, & propinquos, quos noviſti, ex me fratribusque meis ſaluta. Roſtochio IV. Non. Octobr. 1564.

CHRISTOPHORO CASELIO FRATRI.

EPISTOLA XIV.

VOlebam ne ante diſcederes, quam nobiſcum prandiſſes: ſed tu te ma-

maluiſti ægritudine conficere. Mihi verò ipſam rem accuratius conſideranti videtur nihil metuendum. Nullius enim culpæ te reum agere poſſunt. * * Redeas ad me Roſtochium: tum deliberabimus, quid ſit conſilii capiendum. Alios quoque conſulam, & ante omnes Rotromundium, qui ex Boruſſia rediit. Sed tu quoque cogitationem ſuſcipe, & ſcribe ad me cum hoc homine, dum abes, ego Stargardium, tu Roſtochium ſcribes, ſi poterimus commodè. Ecce præteriit tuus Climactericus, cum hæc leges. Redeat igitur ad te animus, & fortuna melior accedat. Saluta familiam Baſſevitiam. .·. Nihil mihi venit in mentem, quod ſcribam præterea. Tu ne te nimium excrucies, frater ſuaviſſime. Satis alioquin mali eſt. Vale. Sverino. Dominicâ Exaudi. 1568.

ANDREÆ MYLIO, Cancellario Megapolitano.

EPISTOLA XV.

HEri miris modis exhilararunt me tuæ litteræ: neque hæ tibi gratiores

tiones erunt, quas ſcio fore gratiſſimas, quam illæ mihi fuerunt: multis ſine nominibus, quæ quid attinet referre? vel hoc ſolo, quod à te veniebant; vel alio, quod erant ea de re, de qua cuperem maximè. In hoc agnoſco non tam incredibilem, quam perpetuam humanitatem tuam. Quæ enim in tua poteſtate poſita ſunt, ea nobis videris propemodum in univerſum permittere. Id ego ſic accipio, ut velim te de omni re, ut æquum eſt, conſtituere; quando imperium tuum ſequi debemus. Tamen ſi quæris, quid mihi videatur: à ſumma ſententię tuæ non diſſentio, *ut ſcilicet maturentur nuptiæ.* Quid enim malim, quam nos & his curis quamprimum expediri, & voti quamprimum compotes fieri? Quando igitur filia tua à te mihi deſponſa eſt, quid malimus jam? ſponſalia ne an nuptias? ego ſanè non illa jam, ſed has expecto. Puto etiam eodem animo eſſe & vos & filiam. Neque videmur hac via tantum noſtro deſiderio, ſed etiam nomini conſulere. Volumus enim & velle debemus, ut intelligant homines, hæc rectè conſulta & perfecta eſſe. Sæpè mihi in mentem venit, quod in multas partes interpretor, illius Ἡσιοδείου: Μὴ γείτοσι

χάρματα γήμῃς: quod in opinionibus, quas tamen declinare omnes neque poſſumus, neque velle debemus, nonnullas autem etiam debemus, partim poſitum eſt, partim in re ipſa. In hac vos noſtramque conjunctionem non fallam, neque, ut ſpero, fallar. *Noſter enim amor, qtantum poſſum animadvertere, inter filiam tuam & me*, (ut Lyrici verbis utar] *creſcit occulto velut arbor ævo*; & jam radices egit bene firmas. Dicam quod auguror, quod ego præſtabo; amiciſſimè nos & ſuaviſſimè victuros. Obſequetur enim ipſa mihi cum ſua ſponte, tum mea humanitate, in qua ſi mihi aliquid ſumam, non ſuperbè fecero, & intimo amore, ratione magis quam impetu ſuſcepto; quod facilè de me, quibus inſtitutis quaque ætate ſum, tibi perſvadebis. Tu, quod eſt officium patris, [hic enim ut illi natura, ſic mihi voluntate tua, meoq;, ut ſic loquar, delectu es] ſi diutius aberis, epiſtolâ; ſi ſtatim reverteremini, ſermonibus tuis hoc ipſum docebis, confirmabisq; ipſius tenerum animũ. Hujusmodi eſt enim & in omnes partes flexibilis, fœminarum. Non illa minorẽ ex communi concordia & felicitate voluptatem capiet, vos verò etiam fortè non majorem, ſed tamen parem. Te

dico omnesque tuos, qnos tu meos eſſe vis, & certè mei ſunt. Jam verò, ut tui mei ſunt, meique tui perpetuò, quoniam in te ſolo, in prudentia auctoritateque tua poſitum eſt, effice quæſo: quicquid ego potero, faciam ſedulò. Suave erit nobis vivere. Liceat enim mihi nunc ſecundùm Epicurum loqui, quando pro fundamento, quod ipſe quoque faciebat, ipſum honeſtum ſtatuo. Sed accedo propius ad id, quod quæris. Ante Kl. Octobr. ut video, non poteſt. Quid ſi octiduo ab inchoata juridica? id eſt VIII. Id. Octobr. ſi rectè rationem ineo. Nos jam non exſpectamus, quid decernas: ſed te ipſum, hoc ut audiamus: neque enim dubito, quin brevi adfuturi ſitis, vel ſatis tamen maturè, ut maturè coram ex te audituri ſimus, quid jubeas. Tui, in quibus me non potes non numerare, vel, ut vis & dixi, mei valent bene & firmiter. De litteris meis Berlinum miſſis amo te: quem ſemper & amo & obſervo. Sverino IV. Id. Sept. M. D. LXXI.

El.

EIDEM.

EPISTOL. XVI.

EGo jam duobus ulceribus, quorum unum ita graviter infeſtavit crus ſiniſtrum, ut aliquot dierum & noctium ſomnum prorſus mihi ademerit, duas ἑβδομάδας domi teneor. Præter chirurgum aliquoties ad me venit Brucæus, qui vel ſales adſpergeret, ut ſolet. Sed meliuſcule incipio nunc habere. In cæteris hæc ſeſſio περιπατητικῷ moleſta eſt. Mitto quæ nova his diebus domum meam perlata ſunt: niſi iſtuc per alios præmiſſa ſunt. Studium tamen probabis. & ſi viſa nondum ſunt, communicabis cum Dn. Marſcallo von der Lühe, cui ſalutem pl. Vale. Roſtoch. die XIX. Jan. 1580

JOANNI ULRICO CASELIO FILIO.

EPISTOLA XVII.

ADes igitur, FILI, cum æqualibus. Ad Cal. Majas vos exſpectamus. Dein-

Deinceps in hoc ſpacio, quod ingreſſus es, non puerili paſſu tibi, me ſpectante, procedendum erit. Non enim te ad curſum incito, ne aut repente defatigatus aut offendens alicubi, concidas. Satis mihi, ſatis ipſi rei feceris, ſi maturabis, quod mediocri diligentia, facili labore, ſincera cum voluptate aſſequeris. Intelliges, quò & quàm benè Latinæ & Græcæ linguæ ſtudium poſueris, & deinceps ponas. Qui Latinè ſcient, non nego, audire Muſas poterunt: qui etiam Græcè, intimos earum ſenſus accipient celeriùs. A Romano quidem illæ ſermone non abhorrent, quod invidia non laborant: quin quovis alio loquantur (quem enim ignorent magiſtræ ſapientiſſimæ) ſi animum advertere velimus: ſed Attico mirificè & præ ceteris unicè delectantur: neq; illo aliove ſic uti velint, ut non hujus plurimum admiſceant, quem nativum habent & expolierunt maximè. Proinde, ut in aliis omnibus, ita in hoc quoq; mihi morem geres, quod ut facile & minimum, ita neceſſarium eſt ad ſolidam eruditionem contendentibus. Sed de omni genere bonarum literarum me

poſthac

poſthac quotidiè audies: videro etiam, ut in unoquoque ducem idoneum habeas: ipſe tamen animum tuum fingam, & mores informabo paterna cura & diligentia. In hoc cum primis mihi es confirmandus, ut tuum officium facias: quod curioſi turpiter negligunt. *Miſeri ſe ex animo ſuo delent, res ſuas obliviſcuntur: in alios conjiciunt oculos, & de aliorum animis, moribus, vultu, verbis, actionibus, arbitratu ſuo cenſuram agunt, ſemper temerè, nec rarò ſuperbè, nullo bono fine.* Sed de hoc pervulgato ſanè, ſed perverſo tamen ſtudio & fuga perniciſsima fugiendo, audi & diſce Plutarchum, unum ex graviſſimis ſcriptoribus, cujus mentem ut aſſequamini, ego tibi & aliis præiero, nec addam pauca, quæ ad rem faciant, vosque acuant in odium tam deteſtabilis & pernicioſæ malitiæ, & in amorem diligentiæ cognóſcendi vosmetipſos & faciendi officii. Vale. Roſtochii Id. April. anno cIↄ Iↄ xIIC.

JOAN-

JOANNI CAROLO CASELIO FILIO.

EPISTOLA XVIII.

VEnit quidem mihi in mentem natali tuo conſilii mei. Sed tum ita, uti ſcis, afflictâ eram peneque deſperatâ valetudine, ut te vix uno verbo alloqui poſſem, nedum hortari, ut ſolebam. Nunc, ne tui meive oblitus videar, paucis tecum agam. Ita enim te geris, ut multis minimè opus ſit. Namque & mores tuos probo, & ſtudia utriuſque generis, tum ea, quę animi gratia tractas, tum altera, quæ præcipua ſunt, quòd animum informent, & mentem erudiant. Te in illis multum quoque proficere, non equidem nolim, quod iis nec abuteris, nec abuſurus videris. In literis nihil novi tibi præſcribo: Tu modo eâdem viâ perge, ſed ſi potes, celerius: *Nec tamen ita properaris, ut ex iis, quæ neceſſaria ſunt, quic-*

quam

quam negligas. De minutis & ſupervacaneis nihil urgeo. Pone verò tibi ante oculos non ſolum præcepta mea, ſed & exemplum fratris, quem, uti ſpero, maturè aſſequeris. Ille videbit, ut porrò veſtigia ſua tuis plantis premenda relinquat. In quo ita vos velim contendere, quemadmodum in cæteris omnibus convenire gaudeo. Vale. Helmſt. ex Acad. Jul. x. Kal. Jan. cIↄ Iↄ xciii.

E I D E M.

EPISTOLA XIX.

SCribo ad te, FILI, potius de conſvetudine, quam quod ſit, de quo te monendum putem. Facis enim, quæ volo, & qua volo diligentia facis. Nec puer negligebas, quæ te agere volebam; jam cum ætate, ut fit in bonis, & amor liberalis doctrinæ & ſtudium in te crevit. Nec igitur habeo, quod te nunc moneam, ſed, ut,

Quod facis, ut facias, teq; imitere, rogem.

Tamen hoc addam; quando iter vitæ hu-

JOANNI ULRICO CASELIO FILIO.

EPISTOLA XX.

NAtalis tuus iterum me monet, ut de more meo tecum etiam per literas loquar, quo magis, quid velim, memineris. Hactenus mihi ſatisfacis & probitate, & profectu: quod ex re tua eſſe, ipſe jam intelligis. Virtutem porrò cole & literas, nec alio, quam quo inſtituiſti, modo. Si putarem de aliqua re te commonefaciendum, aut excitandum, id facerem, etſi perbrevis epiſtola diligentiam tuam in omni genere ſtudiorum, quæ colis, acuere & facile poteſt, & omninò debet. Ego enitar, ut, quomodo & ab aliis tractentur literæ, hoc annò videas, nec ſumptui parcam in re tibi futura perutili, & penè neceſſaria. Cum etiam ea ſit ætas tua, ut, ad quod genus vitæ te à literis per eas conferas,

di juveni eximia eruditione & ſingulari virtute prędito, Theodoro Adamio J.U.D. nato in Salinis Heroum prope Einbecam ad Lainum fluvium. Nuptiis diem diximus XII. Octobr. Quarum ſolemnitatem tua quoque, uxoris tuę liberorumque veſtrorum præſentia cohoneſtari pervelim: & rogo te magnoperè, ut in hac re pro animorum noſtrorum conjunctione te non difficilem præbeas. Quod te cumque velle contra intellexero, in eo experieris quoque ſtudium meum. Vale. Helmæſtadio ex Acad. Jul. Kal. Octobr. cIɔ Iɔ XC.

JOANNI CAROLO CASELIO FRATRI.

EPISTOLA XXII.

Quando facis ea, quæ volo, & quomodò volo, non opus eſt epiſtola, neque cohortatione nova. Quod tibi perpetuum eſt, perpetuum eſſe jubeo, ut quantum ingenio præſtas, tantum ſtudii in literis

ponas, quod quidem facis à puero; nec potes aut debes aliud, qui præter imperium ſeu voluntatem patris, habes & præeuntem fratrem. In eo multum eſt, niſi omnia eſſe arbitreris, ut hac pueritia ſolidas & profundas veræ vitæ & recti ſtudii radices agas, quod pauci mortalium maturè conſequantur. Quin beatos judicamus, qui in juventa à vitiis refugiunt, quod ad ea plerique natura feruntur vehementius. Places mihi in ſermone Muſis caro, & ſtudio *μαθημάτων*; in utroque velim te progredi. Sine his nunquam penetrabis interiores literas. Studia autem ſapientiæ felicius coles, ſi Græcè didiceris. Video quibuſdam ſecus videri: errant; id alias tibi oſtendam: nunc nihil, niſi hoc: qui negligunt, iis aditus ad principem Poëtarum, quem eloquentiæ & ſapientiæ fontem priſci perhibebant, in perpetuum interclusus eſt. Hunc tu puer leges, & deguſtare etiam nunc potes; ad quam rem Magiſtrum habes, & me præter eum: ſi per occupationes docere vos minimè potero, ut velim confirmare, & ducere & debeam & potero. Vale. Helmſt. in Acad. Jul. Kal. Jan. cIↄ Iↄ XCIII.

CON-

CONSULIBUS & SENATORIBUS Civitatis Göttingenſis.

EPISTOLA XXIII.

MUlta ſunt adeò, quæ civitates mirificè commendant, earumque adminiſtratoribus veram cum primis laudem pariunt, à me pridem diligenter onſiderata: à quorum tamen cum plura ſint, recenſione excludit me loci anguſtia. Nihil enim malim: ſic enim laudes patriæ ſive veſtras & majorum commodius perſequar: & adſpergam ſimilia, quæ abs re non eſſe docti prudentesque viri exiſtiment. Sed quia ex hoc argumento, mihi ad meditandum & perſcribendum, vobis itemq; uti confido, aliis ad cognoſcendum grata, oratio facilè naſcatur, iccirco potius, ut me intra metam epiſtolæ teneam, non niſi de una re ad vos ſermonem inſtituam. Ex quo conſilio ſive facto laudabo avos veſtros: intelligetis ſimul, quantam

laudem illis imitandis ipſi conſequamini, mihique conſecuti videamini. Nam relinquam etiam, quæ ulteriora ſunt. Illis autem ſingulari curæ fuit educatio pueritiæ ad virtutem & pietatem in bonis litteris, ab annis inde circiter octoginta, ſub cœptam emendationem in Religione. Tum teneræ ætatis primam curam demandaverant patri meo, *Matthiæ Caſelio*, quo tempore populum docebat *Joannes Sutelius*, quem ego pòſt adoleſcentulus docentem ſæpè audivi, & cognovi *virum doctum, diſertum & moderatum, alienum ab omnibus turbulentis conſiliis*, uti hac extrema ætate mea multò magis judico. Intelligo enim, quod omnes maturè intelligere & ſequi fas ſanctumque erat: quantum omnium, qui quocunque loco præſunt, animi moderatio in quacunque parte reip. conferat: nec minus ad cultum Numinis, & prorſus requiratur ad vitæ ſanctimoniam. De Patre autem meo referam, quæ mea in ipſum pietas jubet, mihique licet per modeſtiam. Etenim neque de meis, neq; de me quidquam arrogantius ſentire videri velim: qui alios etiam laudibus cu-

cumulare nunquam dubitaverim. Erat autem Pater meus & probus vir, & obſervans officii, & ut illud ſeculum ſinebat, non ineruditus: ut qui ex diſciplina *Alexandri Hegii*, hujusque æqualium, qui primam ſementem elegantiorum litterarum in illa parte Germaniæ fecerant, nonnihil & ipſe accepiſſet. Adhibuiſſe autem ſingularem diligentiam in erudienda juventute res ipſa docuit, *cum ex illa primum oriente adeoque prima ſchola* prodirent, qui in Academiis feliciter doctrinæ ſtudia perſequerentur, & ornati teſtimonio publico patriæ ex intervallo ornamento ipſi quoque fuiſſent. Ex iis quare unum nominem, cauſam intelligetis ſtatim. Poſt bellum Germanicum eidem ludo litterario, re ſcholaſticâ adhuc magis conſtitutâ, præerat Matthias Heiſo, bonarum artium Magiſter, idem meus quoque præceptor, quo tempore major erat diſcentium frequentia. Proficiebamus pro ingeniis alii magis aliis; ſemperque ex eo tempore civium filii alii aliorum exemplo coluerunt litteras, quas patres veſtri etiam liberalius fovere cœperant. Eſt autem Matthiæ

fratris Andreæ filius Gabriel Heiſo, quem ego do operam, non ut commendem, ſed notiorem vobis eſſe cupio. Quibus enim de dotibus ingenii innotuerit, ab iis eum diligi neceſſe eſt. Sanè ut juvenis probitatem, ingenium & ſtudia cognovi, benevolentia ipſum ſingulari complecti cœpi. A qua probum & litteris deditum excludo neminem, adſciſco in eam populares, ut ſolent boni. Docet namque hoc nos natura, ut peculiari affectu proſequamur ex iiſdem majoribus procreatos, & ſub eodem cœlo natos. Ipſe autem à puero acceptis rudimentis pernecesſariis, neque proximè ſequentibus neglectis, ſine quibus magnarum rerum cognitionem alii aut fruſtrà aut infeliciter affectant: & ſatis bono profectu, ad difficillimam ſed utiliſſimam generi mortalium ſcientiam animum adjecit, quæ cuſtodit vitam & prorogat. In hoc Hippocrateo campo quemadmodum currat, indicio eſt difficilis diſputatio, quam patriæ dedicat, omnia præterea vobis, quæ præſtare unquam valeat, ſtudia prolixè pollicens. *Quod ejuſmodi ingenia amatis, quod filiis veſtris doctos & fideles educatores alitis*, his nominibus vos merito

veſtro

veſtro colo: teneram autem ætatem rectè iſtic magnaque cura erudiri gaudeo. Namq; ita nobis relatum eſt,cui hoc negotium hodie demandaſtis, facere omnia ordine,& videre,ne quid à quoquam negligatur, aut ineruditè novatorum in morem,qui non ad veritatem,ſed ad opinionem omnia referunt, ſuſcipiatur. *Primùm eſſe rationem habendam honeſtatis morum & cultus Numinis, aſſeveramus omnes: ſequitur, quòd eſt litteras docentium proprium munus,ut utramque linguam ſedulò doceant ingenioſiſſimos quosque: rudimentis perceptis ad lectionem veterum ſtatim adſvefaciant, in ſcribendo eos potiſſimum exerceant, qui ad litteras à natura quoque facti appareant: Diſputationes & Declamationes vel relinquant Academiis,vel in Gymnaſiis ante tempus pueris non demandent: quod adoleſcentuli, hoc pacto inflati opinione doctrinæ, nè umbram quidem deinceps ſcientiæ adipiſcantur.* Quorum eſt ea ætas & ingenium,eos neque falſis novatorum dicendi diſſerendique præceptis,aliquando dediſcendis, ſi rectè malint ſapere, imbuere oportet, neque aliis ineptis & futilibus, quibus chartę completæ circumferuntur. Sed hæc à me non uno loco explicata ſunt diligenter & diſertè:quod cuiquam contradicendi ſtudio non feci, etſi rectè & rationibus refutantur, & auctorita-

te objurgantur, præſertim cum petulanti verboſitate freti, opiniones tueri non deſinant. Verum hoc vobis, *Ampliſſimi Viri, qui hodie in Senatu, quàm ullo antè ſeculo, & doctrina legum & liberalibus aliis diſciplinis exculti plures eſtis*, porrò curæ erit, de quo loco non dicam pluribus. Etenim & vos tenetis, quod poſt Philoſophos quoque cecinit Callimachus:

Αἱ δὲ κόμαι θυόεντα πέδῳ λείβοισιν ἔλαια,
Οὐ λίπος Ἀπόλλωνος ἀποστάζουσιν ἔθαιραι,
Ἀλλ' αὐτὴν πανάκειαν. Ἐν ἄστει δ' ᾧκεν ἐκεῖναι
πρῶκες ἔραζ' ἐπέσωσιν, ἀκήρια πάντ' ἐγένοντο.

Facit autem ad rem admodum, quod honeſtæ mercedes deſtinantur Magiſtris, quod confertur aliquid in ingenia beneficii, quod qui in curſu ſunt, amantur & foventur, præſertim ſi qui diſciplinas & difficiliores, & à plerisque neglectas ſcientiæ amore & publicæ ſalutis ſtudio cum exigua ſpe privatæ utilitatis, longo tempore & magno labore excolunt. Sed, ut modò ajebam, non opus eſt vos de iis moneri, quæ non minus intelligitis, & ſingulari cura facitis. Accedit, quod ſuper educatione cum uno alterove veſtrum pridem vel coram egi, vel per litteras: neque.

neque deerit hujus rei occaſio, ſi vobis ita aliquando videbitur. Valete. Helmſt. ex Acad. Jul. Kal. April. 1603.

Interpretatio Latina verſuum Græcorum:

Cæſaries oleum in terra deſtillat odorum,
Cæſaries Phœbi haut adipē largiſſima fundit,
Ipſam ſed panacean In qua defluit urbe
Phœbi Cæſaries, in ea immortale fit omne.

ERNESTO VOLCMARO Eccleſiaſtæ VVillershuſano.

EPISTOL. XXIV.

VUltis, qui nos iſtic affinitate attingitis, qui multi eſtis, & viri boni, & cum primis noſtri amantes, mei etiam, ut jam vitæ veſperam agentis, obſervantes, tu autem ERNESTE VOLCMARI, ſolennitatis auctor, magnoperè etiam rogas & obteſtaris, ut in nuptiis iſtic frequentes compareamus. Mihi verò plures etiam cauſſæ ſunt, quamobrem, quo loco erunt, eſſe potiſſimum velim, ſi queam per

per anni & ætatis tempus: quas tibi cauſſas propterea referam, ut non prorſus à vobis abfuiſſe videar, qui tecum, & cum eruditis hoſpitibus veſtris, ſermonem inſtituam per litteras. Principio ipſe nullus dubitas, quin conſobrini tui, generi mei, D. Theodori Adamii, parentes iſtic quoque videre admodum deſiderem. Cum ſene namqne æquali ferè meo Theodoro Adamio, non ſolum gemina mihi eſt affinitas, ſed notitia quoque & amicitia pervetus, nata è communi litterarum ſtudio. Habet filius in matrimonio majorem natu meam filiam; Theodorus Hupæus juniorem natu habuit, ex qua habet decennem filiolam ingenioſam & lepidam puellam, neptem mihi cariſſimam. Nec verò uniformis eſt hæc affinitas, quod neque propinquitate uniusmodi vos contingitis. Etenim generi mei Theodori Adamii matertera te in lucem edidit: ſoror autor autem patris Theodori Hupæi mater eſt: & ipſam autem matrem tuam videre & noviſſe auream; omnem denique opt. & doctiſſimi Theodori Adamii familiam, ſi æſtas ſit, hoc iter mihi veſtra, imò mea cauſſu imperem: ſic enim ex

re

re ipſa intelligatis, me affinitatis eſſe obſervantiſſimum. Quod & tu omnibus affirmare poteris & voles, quando & veteribus & novis affinibus referes, quo loco te domi meæ tot annos habuerim, nec minus ipſe te dilexerim, quàm conſobrinus ille tuus. Fuiſti autem utriq; cariſſimus, illi è conjunctione ſanguinis, mihi ex affinitate: ſed multò magis merito & virtute tua. Virtus enim devincit bonos inter ſe quàm maximè, & quàm arctiſſimè. Namq; etiam fratrum animi ſæpè dirimuntur: boni in mutua odia nunquam abeunt. Veniſti autem ad nos ea modeſtia, quæ decet adoleſcentiam, iis doctrinæ principiis, quæ ætati reſponderent: nec in te diligentiam diſcendi nec laborii patientiam deſideravimus. Unde etiam augurari nobis licebat, & augurabamur, juſto tempore te futurum, quem vellet pater Henningus Volcmarius. Sic enim & à bonis prædicatus, & à nobis cognitus fuit, cum domum meam veniſſet ad utriusq; filiæ meæ nuptias. Sic enim etiam ex intervallo videam, & alloquar, quod pro humanitate ſingulari & ipſe velit, εὐεργέτην tuum, Henr. à Gittelt, non minùs

minus doctrina & prudentia, quàm vetuſtate familiæ clarum, unum è ſenatu ſapientiſſimũ & integerrimum virum. Joannes enim à Gittelt Henrici & Ludolphi pater, vir gravis, unus de ſenatu provinciali, cujus de ampliſſimo ordine magna eſſet auctoritas, cum ex re ipſa de neceſſitate ſive maximo uſu doctrinæ in vita hominum, & cum primis in republ. ipſe quoque conſtituiſſet, quos dixi, filios ſingulari cura in litteris educandos juſſit. Henricus porrò & ſui in omnibus confirmandi gratia, & ob uſum rerum, etiam Alpes tranſiit, demum ex Italia reverſus à Duce Julio in aulæ ſenatum lectus, patriæ in rep. ſanctam operam navavit. Idem Dux Julius Ludolphum filio Principi Joachimo Carolo juſſit eſſe condiſcipulum in litteris, in familia verò à cubiculo, primum in Academia Julia, poſteà verò etiam Argentinæ. Denique Ludolphum, juvenem virtute & doctrina præſtantem, Dux Henricus Julius primum aulæ primi natu filii Friderici Hulderici magiſtrum fecit: quod munus cum gereret magna cum laude, in gravem morbum incidit: atque ex Ludolphi

dolphi ſubito obitu & aula,& propinqui, & nos dolorem accepimus. Erat enim & mihi & eruditis peramicus, litteris, ſi viveret, præſidio, & equeſtri ordini, non ſolum exemplo,ſed auctor eſſet colendi doctrinæ ſtudia, non minus quàm hodie eſt Henricus frater. Henrico autem Gittelio agerem gratias coram,quod facere tamen litteris non negligam, qui te potius, quàm quemquam alium, in iſta dignitate patri ſuccedere voluerit,& intelligens doctrinam & pietatem tuam, & cenſens, nihil eſſe æquius, quàm in dignitate patri ſuccedere parem filium. Hoc namque patris meritum hac potiſſimum de cauſſa, quod potius de educatione filii, quàm de re familiari curam ſuſceperit: neque dubito idem ſtatuiſſe Theologos, & ſervare hanc legem, ut æquiſſimam, non incognitam veteri Græcæ Eccleſiæ, ut filius patri ſubrogaretur,qui patris veſtigiis inſtitiſſet. Neque non verò eſſent, quæ de aliis conferremus. Libenter namque & nos audiret,qui etiamnum totos dies eſſe prædicatur in doctrinæ ſtudiis, & frequentior quàm in venatione. Neque negamus tamen,

tamen, nobili & fortunato viro & hanc dignam: quo nomine se Episcopus Cyrenensis Synesius olim efferebat, cum libros sibi cordi esse, canes voluptati diceret. Sed, uti dixi, & ad ipsum litteras dabo, aut mittam, quod erit in promptu de meis lucubrationibus. Neque nihil est, quod me moveat, ut non nolim videre Gandershæmiam, ubi tu tibi sponsam delegisti: atque hoc ferè iisdem verbis ex meis litteris, quas paucis diebus ante dedi ad primarium civem Imperialis Goslariæ, Christophorm Strubium, exponentem vos quoque audite quæso. Seculum est, sub bellum videlicet id erat, quod Germanicum postea dictum fuit; quando puer admodum, frequentans ludum Gandershæmensem, cujus moderator erat Christophorus Noricus, gubernante illa omnia Patre meo, Matthia Caselio Brachtono, viro beneficentiore, quàm facultates ferebant, habebam in cæteris æqualibus tres fratres Strubios, Joannem, Christophorum, & Henricum: quod eò magis mihi hæret in memoria, quod ferè quotidie ipsorum avi domum ventitabam: qui senex liu-

humanissimus delectabatur nostra puerili discentium consuetudine. Oppidum videre etiam nunc velim, etsi notum ibi habeam hodie fortè neminem : accepi autem Joannem Strubium paucis annis antè vixisse in sacerdotum collegio. Fuit Joannes amicus haud dubiè & collega tui Soceri, & ut conjicio, in dignitate successoris (fuerat enim ille collegii senior, non quod consenuisset, sed ut in senatu ab ætate nominantur) Georgii Jacobæi, quem hac de re ipse audies. Et illum virum doctum & bonum fuisse scio, & successorem esse ex omnibus audio: quo nomine & tibi & illi gratulor. Fuisset autem inter Strubios & me nata amicitia perpetua, si nobis uno loco contigisset vivere: sed me studium doctrinæ aliò rapuit: tamen cum, potissima vitæ parte acta in Megapoli, huc migrassem, relatus in notitiam Christophori Strubii, qui tum & Duci nostro erat à consiliis, & sententiam ipse dicebat in provinciali Prætorio, post annos ferè quinquaginta, quamdiu ille superstes fuit, amicitiam coluimus. Hæc, quæ tu quoque, credo, hactenus ignorasti, cum salute, etiã in ipso strepitu nuptiali, aut cum putabis esse como-

modius, narrabis. Atque ita habe tibi pro me epistolam, quasi gratulationem. Nec enim cui veniat in dubium, me omnibus de caussis omnia vobis fausta precari: u- bi multis verbis non opus est, animus præstat omnia. Quæ autem cogitatio & oratio tua à nobis discedentis fuerit recordamur etiam plures, ominati hoc futurum, quod evenit. Ita enim solet nec ipse consilium hoc improbavi, modo neque alterum ex animo tuo dimittas. Multum enim pollicebaris, quàm in o- mnibus disciplinis, quarum te solida fun- damenta in Academia Julia jacere vi- dimus, & ut jaceres auctores tibi & du- ces fuimus, perpetuus esses futurus. Ni- hil faceres omninò rectiùs, nihil sanctius. *Namque & sacra litteræ multis adminiculis egent & assiduo studio: nec in iis multum quis profece- rit, qui ad populum non nisi satis disertus sit* quod ut non negligendum est, ita pro- fectò non in primis habendum, neque putandum in eo esse omnia, ut verborum ἐκκλησιάζοντι, abundè suppetat: sacra perpetuò, sed alia sunt multos annos le- genda, discenda, consideranda, iterum meditanda. *Vestibulum autem est ad virtu- tem sinceram & pietatem non simulatam, Modo-*

stia

stia, quam in scholis Philosophi σωφροσύνην, in templis Theologi ταπεινοφροσύνην nominant. De hac loca sexcenta tibi in promptu sunt: *operæ pretium est, eam sacrarium fecisse in præcordiis cujusque nostrûm, sed maximè cujusque sacerdotalis ordinis.* Erudiit me, & erudiet te non parum, sanctus vir Basilius Magnus. Cæterùm alterum consilium, de quo prius constitueras, difficilius tibi deinceps eris persequi, implicato altiùs re familiari: neque tamen non facies juvenis, bono ingenio, certis principiis, quod omninò debes, & antè ipsemet probasti. Novi ego multos, quos nuptiæ campum litterarium ingressos non retardarunt: atque minus optima quæque studia colui ipse paterfamilias, quàm antea. Cum autem super hac re inter scribendum mihi multò plura in mentem veniant, quibus fortè uti tu quoque velis, & alii possint, si qua ejus generis desideras, fac me aliquando de studiis tuis certiorem: non erunt nulla, quæ etiam tibi depromam è *Theologorum scriniis, eorum dissimilia, qua doctrinæ inopes, ferventes animis, & acriores opinionum & contentionum, quàm veritatis & sanctimoniæ cultores indies proferunt.* Vale. Helmst. ex Acad. Jul. x. Kal. Nov. clɔ Iɔ cx.

JOACHIMO MYLIO.

Viro Nobili in Gœdebenda ad ripam Varni, propè Crivitium.

EPISTOLA XXV.

QUod velle vos sciebam, ut magno viro, Andreæ Mylio, Patri tuo, socero meo, orationem funebrem conscriberem, id ultrò in me statim recepi, etsi hoc fortè alius faceret rectius, qui omnia citra reprehensionem exponeret uberius, & illustraret luculentius: neque non id ipse mallem. Ejusmodi enim scriptor & filii & generorum, & in his meas, si quæ essent, aut esse putarentur laudes explicaret, jure quodam suo, plenius. Mihi in ipso socero laudando & cura & cautio major fuit adhibenda: de affinibus dicendum parcius, de me tenendum silentium. Quis enim propriarum rerum præconibus aures dat absque fastidio? quin, qui faciles sunt, ut pleriq; sumus, in prædicandis suis bonis, ante partarum etiam laudum, sæpè jacturam faciunt. Ego verò quia

quia ex generis primus eram, & socero multis ipsius beneficiis devinctus, suscepi in me hoc negotium. Quod aliis videtur leve, & in promptu est, in eo quamvis non prorsus inexercitatus plusculum difficultatis reperi, quàm initio arbitrabar, nec tantum ea de caussa, quam dixi, sed & ob aliam, quam tu quoque majoris esse momenti dixeris. Cum enim non prætereunda essent negotia, quibus dissimulatis deterere viri laudes viderer, cavendum esse mihi intelligebam, ne culpa mea in gravem plurium censorum invidiam incurrerem. Calumniam autem, quæ est malevolentiæ, etiam in clara luce veritatis declinare ne prudentissimus quidem & disertissimus scriptor potest. Eam igitur à me tum delineatam sive perscriptam orationem (namq; meditabar eodem tempore, ac ferè eadem opera conscribebam) misi ad vos, quorum in ea censuram esse primam oportere existimabam. Nam & filius & generi videretis, si quid aut præteritum esset, aut non satis explicatum. Alii monuistis de aliis: ego ad emendationem accessi

lentius, ut tergiversari etiam vobis videer. Ostendistis enim ex intervallo, subvereri vos, ne editionem prorsus relinquerem, quæ maturanda tamen esset vestro judicio. Nam talia nisi in tempore gerantur, nihil habent amplius ad populum gratiæ. Ajunt enim solemnia quæque, sive lugendum sit, sive gratulandum, debere in tempore fieri. Quod etsi neque mihi secus videtur; nam si funus clari viri celebrare velis, id eo loco aptissimè eoque tempore facias: alia tamen est, ni fallar, eorum ratio, quæ monumentis litterarum consignantur, ut longè gentium & futuro etiam forte seculo vigeant, & legantur. Quod etsi plerique sibi pollicentur, ut est in unoquoque plurium scriptis, & omnium ferè vocibus nobilitatus amor sui: quotus id quisque tamen adsequitur? Nec enim libri, nisi velut ad unguem perfecti, esse potest vivacitas: quin multi quo die lucem adspexerunt, occidunt. Caussæ igitur multum est, cur in ejusmodi operis non celeritas & maturatio, sed maturitas potius & bonitas flagitanda sit. Vilia namque si sint, cujusmodi ferè quodqui

ex.

extemporaneum, ne officii quidem, atq; adeò vix studii nomen mereantur. Nec tamen hæc cura me tantum retardavit ab exspectata editione. Inciderunt enim cum privatæ calamitates, quas tu non ignoras, pridem amicis cognitæ, obitus carissimi filii, & lis deinceps nec opinata & infelix, non tam exitu, quàm diuturnitate contentionis, tum publicæ, cum nos morbi populares triennio vexarent, & in Transveseranis agris peregrinorum militum populationes nobis quoq; non timoris nihil incuterent: quæ tot tantaque mala si animum meum non penitus affligerent, non leviter tamen afficerent. Etenim & longinqua mala humanitate præditos commovent. Itàque non tam objurgatione, quàm commiseratione dignus videar, qui quædam inchoata, quædam perfecta penè abjecerim, vel invitus certò sepoluerim. In iis est & hæc lucubratiuncula, quam quoties interea adspexi, piguit inter tot molestias, & in tanta animi ægritudine ei manum denuo admovere. Nec sum hodie ad rem paratior, quando tempestates & inundationes à bruma factæ & ani-

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

animum meum tentarunt non leviter, & valetudinem magis labe tactarunt, quam & annis attenuatam injurato creditis. Tandem flagitationum vestrarum quasi convicio excitatus relectioni orationis tribui hosce dies aliquot, multa induxi, pauca adjeci, aliqua emendavi, pleraque reliqui, vel quod meliora non habebam, vel quod ferri posse judicarem. Nam quæ à me proficiscantur, tenuia esse, facilè perspicio, nec ejusmodi, quæ acutissimorum hominum censuram sustineant. Hactenus de mora ea ad te scripsi, quod tute instares potissimum de editione, veritus quoque opinor, ne si quid mihi gravi ætate humanitus accideret, aut opella nostra mecum unà occideret, aut publicaretur negligentius. Laudo te, Joachime, qui honori Patris in omnibus consultum velis, in quo me habes à te secundum, ac fortè tibi parem. Viri enim laudes in ipsius nepotes, liberos meos, æquè redundant. Laudo magis, qui ut paterni ruris, ita paternæ dignitatis hæres unicus, quemadmodum illud colere ab initio constituisti, ita & hanc omnibus rebus tueri studuisti, ut te equestri loco dignum

dignum gereres: quod ut commodè faceres, à puero prorsus nihil tibi defuit. Magnum esse creditur, nec ipse negarim, *quod sapientissimus Imperator Maximilianus* Patrem tuum ob virtutem & merita in patriam adscripsit in album Nobilitatis Germanicæ, insignibus de more tributis: majus, quod ultrò fecit, Paterque tuus munus illud Imperatorium prius accepit, quàm paratum sibi intellexerat, de quo ipse neminem compellasset. Cum autem cognitus & carus esset proceribus Regiæ, existimo auctorem ejus beneficii exstitisse *Huldericum Zasium* secundum, summi judicii, & primæ auctoritatis virum, cujus manum adscriptam vidi Diplomati. Pater erat ea modestia, ut minus ostentaret, quod tamen in rebus pretiosissimis habebat: tu ea prudentia & animi magnitudine, ut partum à Patre decus conserves sedulò. Dixi, ut posses, omnia tibi in promptu fuisse. Indoles primum animi rara & paterna, nec quod ad corporis bona, negligenter te natura habuit. Quid de educatione dicam? qui puer domi paternæ in aula, & deinceps domi meæ in

Academia Rostochiensi adolescens cum Nobilissimis adolescentibus & Principibus fideliter eruditus fueris, & prima ætate ita te gesseris & eleganter & modestè, ut cum in eorum consuetudine te nemini anteferres, omnes te amarent plurimùm. A studiis quidem doctrinæ tibi non recedendum putabas, sed accedendum etiam ad artem equestrem. Itaque tum Dux Megapolitanus, optimus Princeps, *Joannes, Joannis Alberti F.* te in familiam suam adscivit in ordine equestri: neque non semper fuisti jucundus & carus juventuti Nobilissimæ, donec Pater tibi rem omnem familiarem tradidit, cui ipse per negotia non præfuisset, mater per gravem ætatem, ut ante, præesse amplius nequiret. Est hoc genus vitæ, ut sapientes etiam scriptum reliquêre, & quetissimum, & justissimum. In eo ut te geras, ipse tibi non occinam, qui aliis exemplo sis, & boni patrisfamilias nomine prædiceris à vicinia. Istud autem Mylianum, quod Pater Musis dedicavit, quas cum in aulæ strepitu atque negotiis non posset, in isto recessu religiosè coluit, cùm litteris ca-

rere

rere non posset; non dubito, quin tu quotidie aliquid legas aut mediteris. Voluptatem certè capiebas ex historiis. Pulchrum est & te dignum, ea esse & virtute & doctrina, ut cum res tuas commodè administres, tum si patria, si propinqui, si amici, si vicini te consulant, ne ista ætate, ac multò minus graviore, consilii penuria labores. Boni autem consilii copiam non tantum usu, sed multò magis doctrina & exemplis (utraque libri veterum suppeditant] comparari, te fugit minimè. Unum superest, quod te frustrà hactenus monui: non fallus autem animi sis, si de eodem te à Patre moneri existimes: *vide, ne longius annum transeas, quem nuptiis non solum Plato determinat, sed alii quoque viri sapientes, qui de conservanda progagandaque civitate fideliter nos docuerunt.* De quo consilium plus quàm satis diu ceperis, id aliquando maturandum memineris. *Alii fructus alio anni tempore proveniunt, hyeme nives, & frigora, & quæ non tempestates? fructus ferre non sinunt.* Vale.

Helmst. ex Acad. Jul. Kal. Mart. cIↄ Iↄ cxi.

RABA-

RABANO CHRISTIANO Gottingensi, Philosophiæ Magistro, Scholæ Parchimensis Rectori.

EPISTOLA XXVI.

Diris devoventur ab omnibus, nec injuria, qui multiplices & perpetuas generis mortalium miserias suapte culpa, aut etiam studio, sive publicè, sive privatim cumulant: contrà magni facimus & prædicamus, quotquot & se & alios parte aliqua calamitatum, quod in ipsis est, perpetuò sublevant. Ab hac parte stant omnes boni, dum propulsant bella, seditiones, inimicitias, contentiones, ut avertatur & dissipetur infelicitas: conciliant autem pacem, concordiam, amicitiam, omniaq; humanitatis officia. In hoc genere, qui nos profitemur, utinam perseveremus omnes: sic & nos beati, sive minus miseri simus, & plures vindicemus ab ærumnis. Tales, ut & nos essemus, semper operam dedimus; de me testari multi passim

passim quoq; possunt, qui dum ipse senectam tolero, paullatim mecum consenuerunt: & te ipse talem, ab adolescente, annis jam viginti novi, cumq; te omnibus de caussis diligerem, ob hanc unam dilexi maximè, qua tamen una atq; sola nemo præditus est. Ut enim vitia, in quibus sunt, coacervantur, sic plures virtutes, sive honestæ actiones se comitantur, ut fidi sodales assolent. Te cum apud nos litteras coleres, vidi sodalium amantem & popularium, majorum observantem, & cum iis non minus mei. *Non tam patria autē,* quam hæc virtus me tibi devinxit, ut vellem tibi, & bene, quod possem, facerem. Postquam, veniens ad Parchimios, munus educandæ juventutis in te suscepisti. iisdem moribus, primos in ista urbe in amicitiæ leges coëgisti. Statim enim te, in quibus erat doctrina, prudentia, pietas, benevolentia complecti cœperunt: quod non solum de tua prædicatione, sed & de aliorum litteris cognoveram. Itaq; non mirum, si religiosus, clarissimus, doctissimus, & longè humanissimus vir, Joannes Nivinius, Protecclesiastes, te sibi generum delegit, tu filiam viri,

JO. CASELII EPISTOLARUM LIBER X.

EPISTOLÆ *AD* VIROS CELEBRES.

HIERON. WOLFFIO.

Augustam Vindelicorum.

EPISTOL. I.

SAlutem à te, & Camerario, qui cum vivo amicissimè, & mihi Menius adveniens attulit. Is quo tempore Augustæ fuit, nondum alteras meas literas, ut conjicio, acceperas. Jam tertium scribo,

scribo, ac rogo, ne tibi homini literarum studiis occupatissimo meæ interpellationes molestę sint. Ego verò & lubens ad amicos scribo frequentius; & hoc meo studio: fateor enim quod res est: cupio me viris summis devincire, in quibus tu facilè principem tueris locum. Tantum enim præstas ad conservationem humaniorum literarum, quantum vix quisquam alius nostratium. At verò nostri homines in hac re ne Italis quidem hodie cedunt, ut & ipse experiris; & te vir clarissimus Simon noster [quem istic firmiore opto esse valetudine melioreq; fortuna, quam hic utraque usus est,] quæ hic sint studia, docebit rectius. Bononiæ certè jam nemo est. Robortellus & Sigonius Patavii æmulationibus contendunt, idque satis ἀφιλοσόφως. Hę verò etiam ita utriusque auditorum animos incenderunt, ut utrisque adhuc publicè docere interdictum sit. Quæ hic jam gerantur, & quo loco res meæ sint, frater meus tibi exponet coram, qui tibi hanc chartam tradit. Octavo Calendas Decembris tribus quatuorve ante lucem horis levi terræ motu tota Bononia

nia concussa est. Sed is nihil quidem ruinarum secum attulit, tamen ab omnibus sentiri facilè potuit. Idem accidit Patavii. Vale, & me in eorum numero habe, qui de te tuisque laboribus sentiunt quam honorificentissimè. Bononiæ prid. Non. Dec. 1561.

VICTORINO STRIGELIO.

Jenam.

EPISTOLA II.

CUm ad te essem scripturus, multa mihi veniebant in mentem, quæ & possem recte scribere, & te libenter lecturum confiderem. Quod autem in primis mei esse officii arbitror, tibi, *Victorine optime*, gratias ago, quod me tua singulari illa benevolentia complectaris, idque, cum apud te essem, humanissimis verbis ostenderis. Hæc verò facio parcius, ne cum in tuas laudes esset, si facerem, excurrendum, aut eas minus, quam

debebam, attingerem, aut, si apud te eas quasi penicillo delineare conarer, in adulationis suspicionem incurrerem. Tantum sic habeto, & tanti te apud me esse, quanti apud quemquam, & nihil mihi esse magis in optatis, quam ut tibi sim carissimus. Magis verò hoc opto, dum te hæ ærumnæ premunt, ut videas merito tuo te à me observari, nec fieri quidquam tale ullo alio rei studio. Subeo enim sponte partem tuæ fortunæ, eamq; tibi meis literis mitigare conarer, nisi te fortissimũ & piè patientissimum omnes boni cognovissent. Crede hoc non mihi, sed Deo, cujus tu promissiones uberrimas non solum quotidie ob oculos positas habes, verum intimo pectori insculptas geris: futurum est, non ut tu emergas, tanti enim hoc non est, quanquam & hoc fiet, sed ut tua opera Ecclesiæ vicissim & literis inservias, ut fecisti antea summa fide. Cætera, quæ has literas prolixiores facerent, quæque tu de Italia, meisque rebus lubens cognosceres, exponet tibi Christophorus frater meus, quem & literarum & meo nomine tibi inter cæteros tui observantissimo:

mos commendatum esse patieris. Vale. Bononiæ IV. Id. Decembr.

JOANNI STIGELIO.

Jenam.

EPISTOL. III.

JAm XVI. mensis est, quando te istuc proficiscens sub imbecilla reliqui valetudine: tibi nihil vehementius accidisse mirum in modum gaudeo. Quod interea temporis duos illustres Poëtas Sabinum & Lotichium amiserimus, & meo & literarum nomine doleo. Id verò opto, ut tu, *Stigeli optime*, Germaniæ nostræ vel potius orbi terrarum diu supersis, & cum tuo exemplo tum saluberrimis institutis ad veram poëticen plures excites, qui quasi per manus illam à te accipiant, & eodem modo iterum posteris tradant suis. Fiet autem hoc certè, si te, ut facias, neque rogare neque monere te debeo, ne vel te docere, vel minus tibi, quam habes ani-

mo tribuere, vel diversum quam ætatis meæ est, facere, videar. Itaque huc me convertam, ut tibi gratias agam, quod me in iis facile esse pateris, qui & tibi sunt carissimi & te unicè colunt: quorum hoc ego cum semper præstiterim, tum præstabo perpetuò. Ut me itidem perpetuò ames, si sint illæ in me virtutes & literæ, quarum me esse studiosissimum ire inficias non possum, te & audacter rogem & statim impetrem. Conatus tamen illi, quibus me omnibus bonis probatum reddere laboro, te mihi devinctum facile conservabunt. V. IV. id. Dec. 1661.

DAVIDI CHYTRÆO.

Rostochium.

EPISTOLA IV.

Diu nihil est è Saxonia de turbis Ecclesiasticis narratum, quod gaudeo, quod inde nullas esse colligam. Non enim si quæ essent, abesset, quin citissimè Italiam pervagarentur. Utinam verò si quæ sint

quam

quamprimum divinitus ſapientia primorum, in quibus tu facile principem locum obtines, conſopiantur aboleanturq; aut ſi nullæ ſint, in poſterum nullæ renaſcantur. Mirum quantum non ibi ſolum, ſed & hic & alibi detrimenti Eccleſiæ adferunt: impios confirmant, imbecilles in diverſum rapiunt, pios in ærumnas curasque conjiciunt. Tamen ut certius quid ſciam, facient tuæ literę. De bello Livoniæ proximo Novembri accepi Clariſſimi Domini Mylii literas, qui certè oſtendit ea, quæ non velim. Hodie item Auguſtà huc ſcriptum legi, parari copias in Saxonia, quid futurum ſit, adhuc non conſtare. Hæc de vobis cognoſcimus. De Italia ferè nihil habeo, quod ad te perſcribam rectius, quam frater tibi coram commemoret. Dedi enim hoc ipſi negocii, ut Venetiis primùm de omnib9, deinde de concilio Tridenti perquirat diligentiſſimè: atq; quæ cognoverit, & tibi & aliis amicis communicet: idq; faciet ſedulò. Sermonetta Cardinalis hac ante triduum tranſiit, profecturus itidem Tridentum. Narratur hic dixiſſe, ratione rem tentandam cum hæreticis, ſi nolint, *μάστιγι καὶ πληγαῖς*. VIII. Cal. Dec.

 hic

hic levi terræ motu tribus quatuorve ante lucem horis tota Bononia concussa est: qui etsi nihil secum ruinarum attulit, tamen ab omnibus facilè potuit sentiri. Idem Patavii accidit. Verum & de me quæris. Hoc mense Florentiam ibo: sub Cal. Februarias Romam; inde Neapolin. A Paschate huc reversus, accepto ab Illustrissimo Principe mandato, quid mihi porrò agendum sit, videbo. Fratrem meum & meo & suo nomine tibi cupio esse quam commendatissimum. Vale cum familia. Bononiæ IV. Id. Decembr. 1661.

TILEMANNO STELLÆ.

EPISTOLA V.

SÆpè de artibus Mathematicis cogito, quam divinæ sint, & quàm ab hominibus negligantur. Irascor etiam nonnihil, quod iis non sim eruditus. Tibi verò, quod omnem in ipsas operam contuleris, opto fortunam

fere-

sereniorem, præsertim cum ea te non tam Mathesis, quàm virtus dignum faciat. Nec verò etiam dubito, quin claritatem nominis amplificaturus sis, & præmia adepturus laboris decennalis, editâ tuâ Germaniâ: quæ ubi à te fuit illustrata, non adeo ingrata futura est, ut te & alumnum suum & ἐυεργέτην neglectura sit. Avidè eam reversus videre cupio: atque etiam sequar tuum exemplum, adjuvaboque patriam cum in ejus historiis ex tenebris in lucem proruendis, tum in prorogandis elegantioribus literis, quas *fontes virtutum* appellat Xenophon. In quorum illo tuam ego tuorumque similium opem & simile studium, quo vel ipse superer, exspecto. Sed quorsum hæc? ut scilicet aliquid scriberem. Nec poteram aliud, quam de rebus nostris nonnihil. Etenim ut Venusinus Poëta ait, tractant fabrilia fabri. Vale, & tibi persvade, te mihi cum ex virtute, tum ex tua erga me benevolentia merito tuo esse carissimum. Bonon. IV. Id. Dec.

M. ANTONIO MURETO.

EPISTOLA VI.

EGo verò quam sum importunus? qui toties te interpello: sive hoc facit tuus in me animus, sive mea de te persvasio: sive hominum tui sitis. Mihi enim quævis harum causa sufficit ad excusationem. Ut autem prætercam, quæ in nobis mutua esse lubens mihi persvadeo, nemo est vel modicùm tinctus literis, quin & te magni faciat, & si istuc proficiscatur, audire vocem tuam, vultum contemplari, & humanitatem experiri velit. Vides quid dicturus sim. Hi amici mei *Joannes Lubecius & Gallus Beccius* Germani fama tui nominis permoti, & ipsi te salutare jam pridem in animum induxerant. Quod cum mihi mirificè placere intelligerent, ut qui te jam penitus perspexissem, visi sunt à me epistolam hanc cupere, quam ipsis dedi bre-

vem

vem & incultam, ut vides. Hæc tamen munus suum obierit, si ipsis fores in sermones tuos patefecerit. Quod haud dubiè sive illa etiam antequam huc legendo processeris, sive tua humanitas faciet. Si tamen hoc requiris præterea, cognosces viros & virtute præditos, & literis probè excultos, & cum omnium eruditorum, tum tui observantissimos. Quæ cum in iis deprehendes, erunt tibi, me quoque tacente, commendatissimi. Cui commendationi si fiet quædam quoque ex hisce literis accessio, multò magis & ipsos & me tibi obligabis. Vale, MURETE CLARISSIME. FLORENTIA. Kal. Martiis. Anno M. D. LXVII.

PAULO MANUTIO.

Jenam.

EPISTOL. VII.

TErtius jam annus est, PAULE MANUTI, quando fama tui

nominis excitatus Romæ te salutavi. Tu & me libenter audisti, & mecum multa de literarum studiis liberaliter communicasti, meque de iis quæ nomine Ducis nostri *Joannis Alberti Principis Megapolensis* ex te quæsivi, amicissime & prolixe docuisti. Vide verò, quam illius nostri colloquii sim memor; neque tibi excidit, opinor, etsi quotidie hominum eruditissimorum salutationibus non interpellaris solum, verum etiam, quod acceptum ante ex aliis ipse quoque vidi, plenius obrueris: & quam mihi hoc, quod in aliquam notitiæ tuæ partem perveni, laudi ducam. Neque enim tantum retuli amicis omnia, sed & ipsi Illustrissimo Principi meo, quem dixi, qui cum sit doctrina eleganti, atque Latinis etiam literis probè imbutus atque perpolitus; cum ante te & è scriptis, quæ legisset, tuis suspiceret; tum & ex aliis, quæ ipsi ex Italia attuli, & ex meis verbis multò te magis cœpit admirari, & quidem tantopere, ut ne suspicionem adulationis tibi moveam, epistola totum exprimendum non videatur. Sed mihi hoc unum crede, si quis est, quem maximi faciat, is equi-

quidem tu es, quem penè unum & certè summum Latinæ linguæ vindicem hæc vidit ætas. Cum igitur illius hoc sit de te judicium, quanquam tu re ipsa non aliorum censuris niteris, & singularis in te benevolentia: & si neque monere neque rogare te ausim, tamen optarim, &, si ignoscis huic meæ audaciæ, aliquantulum rogarim, ut hanc scribendi occasionem nactus, aliquid ad ipsum non gravatim des literarum. Quare & ipse plurimum inibis gratiæ, ne quid temerè pollicear amplius, & me quod tibi in proclivi, & ex meo usu erit, in multo majore collocabis. Perferet autem ad me, si quid scribes, qui has à me tibi reddit, Joannes Schosserus Æmilianus, acceptas ita curabo, ut intelligas eas adhuc venisse expectatissimas. Gratificatus est autem mihi nunc cupidè Schosserus, qui, cum mihi ab adolescentia & literæ & omnia fuerunt communia, ut te quoque, (nam doctorum hominum & Philosophiæ gratia in Italiam proficiscitur) istic salutaret, teque à nobis plurimum coli, quod jam pridem exploratum habes, ipse quoque ostenderet. Quem homi-

minem profectò haud vulgariter erud
tum & eximiæ eruditionis sitientis
mum, tua humanitate & benevole
tia ultro complecteris. Quod cum il
summi beneficii loco ducet, tum ego
ille & hoc nomine prolixè tibi, si te hæ
non invito legisse intelligam, gratias
etsi hoc non requiris, agam. Vale
Vir Clarissime, meque in iis, qui tu
sunt studiosissimi, numera. E Schol
Rostochiana XIV. Cal. Sextil. M. D
LXIIX.

CASPARI PEUCERO.

EPISTOLA VIII.

GRatissima mihi fuit epistola tua, *Caspar Peucere*, cum quod sive notitiæ sive amicitiæ nostræ incunabula refert, tum quod nihil mihi ferè quidquam jucundius accidit, quam colloquia & literæ amicorum. Hæ verò etiam mihi tanto plus volupta-

tis

tis afferunt, quanto illis fruor rarioribus. Et quidem potissimum conquiesco in optimorum doctissimorumque virorum consvetudine, quam missione literarum exercemus atque agimus. Quo in officio cum me esse vobis inferiorem mihi turpe est, tum quo sum cupidior animorum optimorum, eo magis ad scribendum feror, quod mihi, quoniam tu quoque mandas, parebo tibi, & faciam, ut non me tibi esse cariorem, quam ego tui sum, non paucis nominibus, observantior, intelligas. Nec me parum movet in altero tua authoritas, quod bonis doctisque viris, contra iterum exsurgentem barbariem pro humanitate & sapientia, virtute & literis conspirandum censes. Cui rei, affirmo tibi, promptiorem fortè me quàm aptiorem reperies. Quantum tamen valebo, non patiar in me desiderari, aut si nihil possum, autor ero nobili indole, & fortunatis adolescentibus, ut se ipsi virtute & doctrina bene instituant, & quod

vel

vel ingenium meum, vel angustia à m
fieri non patiuntur, exsequantur. Se
hæc nimis prolixè. Vale. Rostochi
Cal. Sept. Anno cIↃ IↃ LXXI.

JUSTO LIPSIO.

EPISTOLA IX.

PER eam valetudinem, qua nunc sum, cum, ut volebam, ad te minus possem scribere, idcirco hac scriptione supersedissem modo, nisi me denuo excitasset PTOLOMÆUS GRYPHIUS. Affirmabat enim literas à me, vel brevissimas, vel ἑ λκ tibi fore gratas, viro non minus omnia humanitate predito, quam recondita, & copiosa doctrina instructo neque mihi non de utroque constabat. Satis enim id loquuntur monumenta ingenii tui, quam totus sis in studiis sapientiæ: neque consentaneum est, horrido animo & alienis moribus esse, qui is perpetuo occupetur. Itaque hæc scripsi, non magis jubenti amico, quam voluntati meæ obsequentis,

quentis. Nihil enim in omnibus rebus mortalium mihi magis cordi est, quam cum viris doctis iisque virtute præstantibus, qui & apud nos & passim gentium vivant, amicitiam aut aliquam hujus similitudinem colere. Est enim, ni fallor, valde affinis amicitiæ, mutua inter bonos benevolentia, utrique non ignota, declarata vel oratione aliorum, vel per epistolam; quod si fiat sæpius, quasi consvetudine magis coalescunt animi jucunda: si contingat requiri officium, & id præstetur κατ' δύναμιν. Sed de te apud me dixit ille communis noster amicus, dicat idem apud te de me: quod ut faceret, rogavi etiam, antequam exarare hoc literarum constitueram. Vale. Rost. III. Cal. Majas Anno clɔ Iɔ LXXIX.

HIERON WOLFIO.

EPISTOLA X.

Nunquam fortasse nos videbimus: per literas etiam rarò nobis licet colloqui. Ipsa tamen jucunda raritas; vel brevissimæ tuæ, quas ante Calendas Januarii dedisti,

d isti, ego sub Calendas Majas accepi quam mihi fuerunt jucundissimæ. Re tines igitur memoriam veteris amici neque tui ipse queo oblivisci. Hoc di gnum literis; hoc literatis: disjunct tantis locorum spatiis vivimus conjun ctissimi. In vulgus, qui eadem provin cia, in eodem oppido, in iisdem ædibu vivunt, vix tuentur umbram concordiæ Sed ne tuam quò nolo, nihil de aliis nos cæteris disputationes, vel potius stu dium contentionis relinquentes, aga mus seriò, quod profitemur. Ego e meis vindemiolis proximè mittam ali quid. Tua in promptu sunt multa & bona, quibus nobis uti licet quotidie Vale. Rostochio XV. Cal. Sext. Ann cIↃ IↃ LXXX.

CAROLO SIGONIO.

EPISTOLA XI.

Quo rarius ad te scribo, CA ROLE SIGONI, hoc no scribo accuratius. Sæpè no queo scribere, quoniam anni pluribus vix aliquis hinc istuc proficisci

tu

tur; cum nostri cives navigationi magis studeant. Jam verò accuratè minime. Festinat enim hic adolescens; & plures flagitat epistolas, & se à comitibus urgeri ait. Itaq; ipsi non succenseo: & tamen gratificari cupio: nec te prætetire debeo, non tam, ut jam ipsi gratificer, quam tibi constantiam mei erga te animi benevolentissimi probem: etsi hoc fortè necessarium non est. Non enim minus bene de me sentis, quam ipse de te. Persvadeo autẽ mihi, me à te amari, etiam cum longissimè istinc absum. Quin hoc recognovi ex Livonii sermonibus, qui hoc mense ex Italia ad nos rediit. Ajebat enim, se tibi adfuisse Bononiæ: te mei amicam mentionem fecisse. Ne nos ingratos esse existimes, ferè quotidiè honorificã tui mentionem facimus; tibique absenti gratias agimus, qui non desinas bene mereri de literis. Etiam tuo exemplo excitamur, ut ipsi quoq; nostro loco aliquod earum patrociniũ suscipiamus, tum docendo, tum scribẽdo. Doceo quotidie, in altero minus possum: non tamẽ nihil conor, & inprimis hoc ago, ut juvẽtus nostra indies rectius colat literas. Et hoc magnũ esse existimo, etsi tua sunt longè majora,

immo maxima. Tu enim multis gentibus & posteritati consulis. Utinam tuis tantis vigiliis digna etiam præmia persolvantur. Apud nos rem faciunt, qui quæstuosas artes tractant. Quo loco sint studia sapientiæ, non libet queri, ne patriam trans Alpes accusare videar. Neque nescio, ut Italia perpaucos etiam ornet, & sæpè dignissimos prætereat: neque nos ejus rei causæ fugiunt. Sed quid hoc ad te? cum sciam, te hominem philosophum, neque auri acervos, neque insignia honoris admirari, quorum possessio etiam penes nefarios sæpè sit. *Sapientia & virtute si contenti sumus, tranquillè vivimus: neque agit vitam miserè, qui utrique semper studet seriò.* Ego mihi polliceri nihil his moribus queo: in animum induxi, me in primis erudire, & de quam multis potero, bene mereri. Tu meritis tuis omnes bonos viros tibi arctissimè devinxisti, & vives cum immortalibus ingenii tui monumentis. Vale.

Rostoch. XV. Kal. Sextil. anno M. D. LXXX.

RÆNE-

RÆNERO RÆNECCIO.

EPISTOLA XII.

Conjunctionem animorum prædicant omnes uno ore, nec minus hodie, quàm omnibus seculis. Neque desunt boni viri, qui in illa stabilienda per societatem hominum laborent: profici autem parum, nimirum res ipsa indicat. An ea est rei natura, ut in vulgus manare non possit? Hoc enim minimè mirum: quoniam in quibus virtutis sensus non est; nihil prorsus habent, quo animi sincerè conglutinentur. Nam qui suavia spectant, in iis voluptatis quædam fragrantia momento exhalat, & fumi instar evanescit: qui utilitate metiuntur omnia, quandam amicitiæ similitudinem colunt paulò fidelius, quoniam mutuis operis vita indiget, quas utrimque, quoniam ipsis commodum est, libenter præstant: in alterutro si tandem aliquid desideretur, & horum animi ut plurimum dissiliunt.

liunt. Nihil igitur mirum, inter plerosq; minus convenire: sed hoc mirum, qui humanis & divinis literis studemus, non facile coalescere, sed multo etiam magis dissidere: de quo scelere sive fato, sæpius queri & stomachari soleo, penè invitus, vel alieno loco. Sed ni fallor, nos, hoc est, quotquot nostri ordinis sunt, non facimus id, quod longissimè fugiendum esse cognovimus, nobisq; ita penitus persvasimus, ut neque velle, neque facere possimus aliud. Sed avertam calamum à barbaro illo temerè controversantium grege. Ab ultima pueritia ex re ipsa didici: in quibus aliquod studium esset virtutis & sapientiæ, semper abhorruisse à contentionibus, & cupidè studuisse amicitię, cujus leges vel soli tenerent, vel certè non prorsus ignorarent. Hi non solum, si unà educati fuerunt, aut aliquandiu unà vixerunt, se amant, sed complectuntur etiam, quos dividunt οὔρεα τεσκιόεντα καὶ ἠχήεσσα θάλασσα, licet se nunquam viderint. An in animis bonorum eam vim esse negabimus, & horum maximè, qui pectus litteris expolierunt, ut ad sui similium animos sibi quàm arctissimè copulan-

pulandos rapiantur? Vacamus enim invidia, & humanitatis jura didicimus: neque anteponimus fortunæ bona animi dotibus. Sed quid hæc tam altè repeto? Nullam ſanè ob cauſſam, niſi quod ejusmodi meditabar, ad te ſcripturus, quæ ſi legeres, jacturæ ſaltem nihil faceres, & videres fortè, ſenſibus eſſe nos congruentibus. Hinc autem ordienda erat epiſtola: placuiſſe mihi monumenta ingenii tui, quæ jam pridem apud amicos vidiſſem: neque potuiſſe non tuos prǽclaros conatus probare. Itaque etiam te amabam: ſed ultrò ſuſceptam animo benevolentiam erga te confirmarunt amici vel tui, vel communes. Ex his quoque primum, deinde ex tuis litteris vidi, tibi perinde accidiſſe de me: quod facile patior, & gaudeo. Eſt enim profectò ſatis cauſſæ, cur gaudeam. Intelligo enim me à veteribus amicis amari, & cumulari novis. Utrumq; jucundiſſimum: hoc eo jucundius, non quod multitudinem in amicitia ſpectandam putem, ſed quod iis, qui decedũt, [amiſi enim aliquot his annis proximis] ſuccedant, quos velim accedere

In ceteris suavissima mihi accidit mentio Joannis Michalovitii. Seculum enim, ex quo de ipso nihil cognoveram: colebamus adolescentes amicitiam, ut sodales, & græcas litteras, ut bonæ doctrinæ cupidi: legebamus, ut utriusque captus ferebat, quotidie, poëtas, oratores, historicos Græcos: si tum quis extitisset qui ducem se fuisset professus ad Philosophiæ penet alia, quàm nos ejus vestigia cupidè fuissemus secuti, ὥστε θεοῖο? sed, ut etiam nunc, passim perquam frigidè tractabantur, & vix pueriliter recondita illa sapientiæ studia. Progressi fuimus aliquo, ego non desino urgere illud iter, quod ingressus tum fui: neque desum tamen aliis: ille dignitate præstat, & auctoritate valet in patria: quæ omnia ipsi, & ipsum patriæ tantum virum gratulor: qui quantus esset futurus, tum apparebat. Præter enim litteras, erat in adolescente gravitas, quæ rarò in eam ætatem cadit, prudentiæ argumentum: nec quidquam erat eo sincerius, nihil modestius, nihil humanius. Præstantem habuisti apud Boëmos hospitem: qui cum te amicum mihi cum primis fecerit,

rit, me quoque tibi nesciens facit amiciorem: quod si ex litteris tuis cognosceret, non minus mihi gratum esset, quàm ipsi: sciret ex meis, si essent, qui hinc illuc iter faceret. De Hubnero & Censorio non agam multis: cum vivas cum altero, ad alterum sæpius venias: & utrumque domi suæ vidi. Censorius etiam apud me fuit: Hubnerum sub ver exspecto. Sed gratum fecerunt ambo utrique nostrum: mihi certè, quia & tibi meum in te animum, & mihi tuum in me nunciarunt. Quod in officio scribendi, quod præsertim per illos tibi ostenderam, me antevertis, te amo, neque tibi in hoc genere palmam invideo, etsi non inferior amicis esse studeo. Sed multa obstant, quod video te quoque animadvertisse, ut purgatione apud te mihi non opus sit, etiam hujus cessationis. Pro ea habeto loquaciorem hanc epistolam, quam tamen ipsam, neque res patitur perscribere. Tamen unum non debeo preterire, quod suprà attigi: tuos conatus omnes probant intelligentes & docti viri: ego mirificè: neque sapiat, qui patriæ lucem invideat. Tu igitur

In ceteris suavissima mihi accidit mentio Joannis Michalovitii. Seculum enim, ex quo de ipso nihil cognoveram: colebamus adolescentes amicitiam, ut sodales, & græcas litteras, ut bonæ doctrinæ cupidi: legebamus, ut utriusque captus ferebat, quotidie, poëtas, oratores, historicos Græcos: si tum quis extitisset, qui ducem se fuisset professus ad Philosophiæ penetralia, quàm nos ejus vestigia cupidè fuissemus secuti, ὥςε θεοῖο? sed, ut etiam nunc, passim perquam frigidè tractabantur, & vix pueriliter recondita illa sapientiæ studia. Progressi fuimus aliquo, ego non desino urgere illud iter, quod ingressus tum fui: neque desum tamen aliis: ille dignitate præstat, & auctoritate valet in patria: quæ omnia ipsi, & ipsum patriç tantum virum gratulor: qui quantus esset futurus, tum apparebat. Præter enim litteras, erat in adolescente gravitas, quæ rarò in eam ætatem cadit, prudentiæ argumentum: nec quidquam erat eo sincerius, nihil modestius, nihil humanius. Præstantem habuisti apud Boëmos hospitem: qui cum te amicum mihi cum primis fecerit,

:, me quoque tibi nesciens facit amici-
tem : quod si ex litteris tuis cogno-
eret , non minus mihi gratum esset,
uàm ipsi : sciret ex meis, si essent, qui
inc illuc iter faceret. De Hubnero &
Censorio non agam multis : cum vivas
um altero, ad alterum sæpius venias : &
trumque domi suæ vidi. Censorius
tiam apud me fuit : Hubnerum sub ver
exspecto. Sed gratum fecerunt ambo
utrique nostrum ; mihi certè, quia & ti-
bi meum in te animum, & mihi tuum in
me nunciarunt. Quod in officio scri-
bendi, quod præsertim per illos tibi o-
stenderam, me antevertis, te amo, neque
tibi in hoc genere palmam invideo, etsi
non inferior amicis esse studeo. Sed
multa obstant, quod video te quoque a-
nimadvertisse, ut purgatione apud te mi-
hi non opus sit, etiam hujus cessationis.
Pro ea habeto loquaciorem hanc epi-
stolam, quam tamen ipsam, neque res
patitur perscribere. Tamen unum non
debeo prȩterire, quod suprà attigi : tuos
conatus omnes probant intelligentes &
docti viri : ego mirificè : neque sapiat,
qui patriæ lucem invideat. Tu igitur
 rectè,

rectè, qui è tenebris domestica ornamenta eruere cogitas: erit illustrior Germania: erit melior. Si enim suorum majorum præclara facinora legent Principes, magis, quàm longinquis historiis ad virtutem regiam excitabuntur. Sed hic campus jam relinquendus est, in quem exspaciabor, cum iterum scribam, quando & cetera persequar, quæ te velle intelligo. Vale Rostoch. V. Id. Martii. Anno M. D. XXCII.

DANIELI HOESCHELIO, Rectori Gymnasii August.

EPISTOLA XIII.

DE filii ex Italia reditu non recordor, an scripserim. Salvus cum sodali rediit X. Kal. Octob. Iter autem fecerant per Galliam Cisalpinam & Helvetios. Paullò post allatus est tuus Origenes, in quo legendo statim pluscules mihi dies sumpsi. Antè te collaudavi, & cohortatus sum ad veterum editionem, in quo te strenuum esse gaudemus: quod facere quoque *Casaubonum* video, nec minus exemplo, quam verbis. Quis enim illo est ad subeundos

eundos labores promptior? quis ad beneficia rei litterariæ depromenda opulentior? Ita præstat hic vir ingenio, memoria, judicio, non dicam de modestia, quâ etiam vincit satis doctos, nec ignaros tamen suæ tenuitatis: nec patitur se cum illis comparari, quibus parem esse judicamus, aut certe ab iis abesse proximè. Opto, ut quæ agitis, iis vires vobis in multam ætatem sufficiant. Quod verò Remus in tanta turba negotiorum, qui forte ne à strepitu fori quidem semper abest, & ipso accurrit ad tuendam rem litterariam, hoc ille plus laudis meretur; singularem autem adeptus est ex orationib9 Themistii. Sed dum hæc cogito, in mentem mihi venit ea quam rectissimè interpretari, quæ optimè intelligit: intelligere autem quis potest melius architectonica, quàm architect9? politica, quam qui in iisdem totus est? Ad nos Academicos venio, qui si juventutem ad eos fontes deducamus, & abigamus sophisticum gregem, satis opinor, fecerimus suscepto muneri. Quorum hoc illo est tanto difficilius, quanto invidiosius: quod discentium bono, nec absque meo malo
 didici.

didici. Cumque me non pœniteat, quantum in utroque præstiterim, non solum in proposito pergo, sed alios instigo, ut & novatorum somnia dissipent, & veterum studia, non ad ostentationem, sed ad veritatem comparata tueantur & illustrent. In his omnibus quanto minus ipse valeo, tanto magis gaudeo, esse & oriri in dies plures, qui salutem procurent generi mortalium in doctrinæ, virtutis & pietatis propagatione. Vale. Helmst. ex Acad. Jul. XII. Kal. Januar. ↀ IↃ IↃ CV.

LAURENTIO RHODOMANO.

EPISTOL. XIV.

Liberius existimasti de mea litterarum omissione, ne dicam perperàm. Nec enim usus sum data opera aut libenter silentio. Quis enim me ad scribendum impigrior? de qua mea sive diligentia, sive consuetudine tibi constare poterat, & debebat,

bat, cui à tot annis familiaris & carus fuisses. Me verò invaletudo, huic ætati proprium, in omni ferè genere officii tardiorem facit. Accedunt curæ, de quibus hic non est querendi locus: sed & facessunt mihi negotium novæ & frivolæ calumniæ, quarum quædam etsi per se pluma leviores sunt, ac propterea floccifaciendæ, tamen in quem jaciuntur, eum si non pondere, saltem multitudine & adsiduitate admodum gravant. Interea denuò ad te litteras dedi, tuque ipse rescribis tardius, quas magnoperè desidero, ut cognoscam, satisne firmiter convalueris. Jam verò tibi nihil narro novi, sed ut soleo, quædam à nobis non magni momenti legenda mittimus. Sic enim de nostris sentio: non de cæteris, quæ edenda non putaremus, nisi ea in primis haberemus. In nostris est epistola super obitu Zamoscii, talis argumenti, ut id mihi obiter tractare non esse difficillimum putarem. Namque de magni illius herois vita aliquid litteris mandare, nec exigui temporis, & magni negotii res est: quod ipse in me non facilè fuscepero, etsi cum urgerer multò

etiam

etiam ante, nonnullam spem feci ejusmodi lucubrationis destinatæ honori, & quodammodo historię Zamoscianæ. Nec enim invitatus benevolentia & beneficio præcisè omnia negare audebam; nec fortè debebam. Miserant quoque ad me, quæ eò pertinerent, quorum quædam absq; invidia tractari vix poterant: eorum quod præcipuum caput sit, conjectura, credo, facilè adsequeris. E cæteris enim me facilè expedirem, si scribendo valerem, quantum amici illi suspicantur, ego mihi sumo minimè. Nunc postquam justa ætate exacta, rebus magnis militiæ & pace gestis, rebus humanis exemtus est magnus ille Zamoscius, cunctandum mihi non putavi eo præsertim tempore, quo aliquid à me expectaretur, & flagitari poterat, egoq; flagitatum iri prævidebam, & flagitatum fuit, cum pro consolatione scripsissem epistolam: ac meum studium illis erit eò gratius, quando amicorm literas illa antevertit, & quo ego tempore has legerem, illi à me, si non in quam vellent, non tamen in alienam sententiam, eodem ferè aliqua cognoverint. Velim hac officii parte sibi

latis

ſatis factum putent: illi verò cum requiſituri ſint amplius quiddam & luculentius, in hoc quidem debeo conari aliquid,& me facturum ſcripſi,modò vivam atq; valeam: quorum de neutro multum mihi polliceor. Verum prius videre cupio, quę in Polonia alii ſcripſerint, aut familiares annotarint, ne de primis aliqua relinquantur, & ut ante perſcripta,ſi non perfectius explicentur, meo ſtilo hoc mediocri tamen elaborentur. Quia vero ego parum, & lentius aliquid præſtaturus ſum,velim, ut in funebri certamine,apparere ſimul plures. Hoc animo cum ſponte eſſem, rogavit quoque me Zamoſcii familiaris,amicus meus,David Hilchenius, vir integer, & homo gratus, præcipuè erga hunc ſummum in rebus ſuis ſecundis amicum, & in adverſis patronum certiſſimum, ut quod in me pridem recepiſſem, ne obliviſcerer, & ad ſimile excitarem officium cæteros, quorum ipſe ſtudioſus eſſet, quique doctrinæ nomine in Polonia præſtantibus viris innotuiſſent, viderenturque nonnihil illius manibus de-

bere,

bere, cui & ipsi fama cogniti & cari fuissent. Non enim ille tantum sapientiam venerabatur, & litteras magnifaciebat & fovebat, sed diligebat etiam viros doctos & ornabat. cum illos gentis Sarmaticæ, tum exteros & quidem longinquos in aliis atque aliis gentibus: de quo nisi tibi constare scirem, docerem te pluribus verbis, & ordine recenserem doctrinæ principes, quorum quibusdam benevolentiam suam missis litteris & muneribus testatam fecit. Suspicetur quis non factum hoc, quod tanti nos faceret: fecisse quodcunque hujus fecerit, gloriæ caussa, qui celebrari passim gentium & ad posteritatem voluerit. Ego verò sapientem virum sapientiæ cultores in precio habuisse credo, nec aliter fieri potest. Ut enim regum nobilitati & potentiæ nemo nostrum invidet: ita non cadit in quenquam nobilissimorum & potentissimorum Principum, ut in quo minimum sit virtutis & sapientiæ, eum in vilibus habeat, sive negligat. Contra verò tyrannorum hi mores sunt & insolentium hominum, virtutis & doctrinæ nullam rationem habere, & ni fallor, re-

ctè

ctè sentio: alterum verò etiam nequaquam negem, & minimè reprehendendum statuo, si quis heroicæ virtutis præmium expetat, & singulari præterea cura hoc agat, ne fraudetur illo. Non enim nisi divini hominis est, sic rectè facere & præclaras res gerere, ut & eas & te oblivione in perpetuum sepultum potius, quàm memoriam tui & earum in æternum conservatam malis. Qui non nisi philosophantur, neque nunc, neq; in perpetuum plerique latere desiderant. Quod igitur probamus in nostro etiam ordine, cujusque improbandi veram caussam nullam habemus; id ne culpemus in Regibus, & Regum præstantiæ æmulatoribus: sed in eo illos adjuvemus, quod fit non minore nostro bono. Dum enim [modò hoc adsequamur] illorum gloriam immortalitati consecramus, nostrum quoque nomen cum laude memoriæ prodimus. Non enim nullam habet commendationem, res mortalium intelligere, de iis ipsis sapienter judicare, & quamque historiam perspicua & diserta oratione explicare. Quorum ego ingenii bonorum fortè non in

universum expers videar: sed ea tribuo confidentius aliis, quos velim servire Zamoscianis laudibus. Talem esse judicabat heros ipse doctissimus Paulum Melissum: qui si viveret, hoc nomine à me primo loco compellaretur, etsi familiaribus ipse se ultrò dare consueverat. In versu enim valebat plurimum, in lyrico potissimum, quod ex ipsius cultissimis & sublimitatem sapientibus odis apparet. Tu verò quantum in Græcis pangendis valeas, monumenta tua testantur, quæ non hoc seculo, nec ad Boream, & quidem sub Bructero, vel ad Albim, sed ætate illa felici sapientum Athenis, nata videantur, si ea cum veterum etiam politissimis scriptis comparentur. Quod si hac in re mihi non credis, velim tibi credas. Artificem enim rectiùs judicare statuimus, nec minus de semetipso, quàm de aliis. Nec obstat, quod quisque sui amantior esse dicitur, & vulgò ita fieri consuevit. Artificum enim quisque artem pluris, quàm semetipsum facit: & rectissimè intelligit non solum quàm procul à perfectione absit, sed etiam, quantum ipse viæ in spatio suo confecerit.

rit. Sin hæres, ſcias ſic de te ſentire Joſephum Scaligerum, de cujus judicio neq; nos diſcedere poſſumus, neq; tu debes, niſi tuum ipſius anteponas, quod tibi, quæ tua eſt modeſtia, non arrogabis. De aliis ingenii tui monumentis in litteris non agam, quod & majora ſunt, & ſingularem commendationem merentur. Cum olim filiæ meæ natu minori, Annæ Sophiæ, de nuptiis gratularere, quam admirabili tranſitu de ipſa ſapientia uſus es? ut ejus cauſſam ſtudio ſuſcepiſſe, & contra ingruentem barbariem divinitus peregiſſe nobis viderere. Nec facilè dixerim, quam gratum mihi feceris, qui natalem meum illo infelici anno, quo circa hoc oppidum & in vicinia hoſtiles excurſiones fiebant, celebraris. Nec enim ſolum meas laudes ab invidiæ cenſura vindicatas cum aliqua voluptate legi, ſed tui carminis puritas & nitor me ſimul valde delectabat. Quare mi Rhodomane, tibi auctor eſſe non dubito, teq; rogo, ut quantum virtus & omnis liberalis doctrina & viri, cum virtute, tum literis prædити, Zamoſcio debere nobis videantur, tantum laboris in te

suscipias in ipsius laudibus illustrandis. Quod sive arguto epigrammate facies, uti me conatum vides, sive potius, cum pauculis versibus tangi multa, explicari vix aliquid possit, dies plusculos justæ lucubratiunculæ impendes. Novi, quam in exponendis narrationibus perspicuus & luculentus sis, & præter Poëtarum consuetudinem nihil affingas, non pigmentis orationis, quæ tamen non negligis, sed veritati juratus. Quod cur probemus maximè, caussa est gravissima, nempe ipsa veritatis ad futuram ætatem propagatio. Quod autem te rogo, idem rogo Taubmannum, quem natura finxit ad poëticam, exercitatio perfecit, lectio optimorum scriptorum quotidie confirmat. Velim autem te mihi in hac petitione esse internuncium, ne nova ad ipsum epistola opus sit: immò habeat ille sibi hanc tecum à me communem, dummodò nobis hic obsequatur. Idem rogavi hîc viros duos opt. & doctissimos, Depholdium & Pepatinum, quibus par in scribendo facultas suppetit. Depholdium aliquot annos erudiit aulæ consuetudo, cujus pertæsus aulico

lico splendori hanc vitam, ut vulgò loquimur, otiosam prætulit, ut perpetuum ipsi negotium esset cum studiis sapientiæ. Peparinum autem, postquam litterarum quantum adolescentis mens capere posset, à nobis accepisset, informavit plures etiam annos Lutetia, sed debere se plurimum Galliæ doctorum principi Casaubono prædicat. Rogarem idem Cornelium nostrum, nisi cum philosophię meditatione, tum sacræ linguæ studio, perpetuò occuparetur. Sed fortè de nostro exemplo horam huic eidem rei aut diem tribuet: etsi quod egregium esse velimus, quamvis breve, unius diei non esse & ille sæpè dicit, & ego ei adsentior, quantò mihi omnia sunt difficiliora. Sublimitas argumenti difficultatem parere videatur; sed in tanta rerum copia fortè quis etiam deprehendat facilitatem. Vix aliquot seculis privatus altius adscenderit aliquis: qui cum armis consilioque præstiterit in Senatu Regio, tum inclaruerit non solum domi & in cultis gentibus, sed terrori quoque Moscis, Tartaris & Turcis fuerit. Haud scio, an in orbe Christiano

tantum decus sibi quis parare possit alibi, quam in florentissimo illo regno. Cum enim in Polonia Regis majestas dependeat ab auctoritate Procerum, & ordini Equestri proposita sint præmia prima, non solum amplissima Sacerdotia, sed & omnis generis Satrapiæ, quod te non fugit historiæ interpretem; aliquando tantum heroa exortum minus mirum videri debet: & sunt inter optimates etiam hodiè, & dum erit ista forma regni, semper futuri sunt, quorum alii in aliis excellant. Verum quò digredior? Cogita verò, sive cogitate, quid hac in re valeatis & velitis. Rectum est & gloriosum virtuti præconium canere: & inibimus gratiam apud Thomam Zamoscium, magni illius Zamoscii filium, quem heroicæ indolis, & amplissimæ spei unicum reliquit: nec minorem apud ejus tutorum principem, Nicolaum Zebresidovium Palatinum Cracoviensem, regni florentissimi Primatem: de cujus humanitate, sapientia & in omnem virtutem beneficentia, multa vobis exponerem, quæ memoratu digna pridem accepi à viris præstantibus, nisi eadem ac fortè plura

vos

vos cognovisse mihi persuaderem. Non latet enim illustris virtus, sed longè latèque uno eodemque tempore radios suos per orbem diffundit. Vale. Helm. ex Acad. Jul. X. Kal. Octobr. clↄ Iↄ cv.

FRIDERICO TAUBMANNO.

EPISTOLA XV.

ET ab aliis aliquid expectabam, & à te uberiores. Scribis autem brevissimè, quod, ut scribis, & ipse fatetur, itineri jam accinctus te compellet hic celer, qui tamen lentè satis tuas mihi reddit, reliquo itinere absoluto, hac rediens: atq; itidem festinans. Meos *εἰς Ῥοδομᾶνα* versus flagitas, & ipsius Zamoscium desideres, quem satis maturè mecum communicaras, ut apud nos ederetur. Moram injecère operæ, occupatæ jam magni cujusdam voluminis tractatione, unde certum & singulare lucrum speratur. Agunt enim, quod mercatorium est, & ipsi ante omnia: nec id nostri ordinis etiam plerique negligunt. Adjicio Zamoscio

ante publicata quædam, & alia ab instituto non aliena: eam lucubrationem Septembri faxo videas. Quæ memoriæ Rhodomani scripsi, modò mitto: carmen Depholdii missurus propediem, ubi inchoata perfecerit. Siberi liber nobis accidit gratissimus: accurata ibi omnia, nihil purius, nihil luculentius: in quo longior ad me Scaligeri epistola passim mendis scatet: mittam proximè exemplum emendatius: & scribam, etsi sua misit absque litteris, satis credo ratus, quod mei non uno loco amicè atque honorificè meminit. Vale. Helmst. ex Ac. Jul. Idibus Sextil. clↄ lↄ cvi.

ISAACO CASAUBONO.

Epistol. XVI.

Non erat, cur ad te scriberem. Etenim non minus è communibus familiaribus, quàm ex litteris meis pro certo habes, me tui æquè observantem, quam tu mei aman-

mantissimus es. Hoc cum nullus ipse dubitem, de me tibi sic affirmo, ut vir bonus sum, & haberi desidero. Scribo eo potissimum, ut recognoscas, & plures & meliores esse, qui te sincerè omni observantia colant, quàm qui calumnientur. Hoc genus contemnere te certò scio, & me quoque oportet, etsi nulla me re vobiscum comparo. Ut hic habitent Musæ, acceperis ex Arnisæo: plura è Peparino: hic etiam fortè has tibi reddet; optimè autem, patrono Henrico Julio, Principe sapientissimo, nisi tumultus è vicinia ipsius super hac re & aliis gravissimis cogitationes interpellent. Vale. Helmst. ex Acad. Jul. IV. Kal. April. clɔ Iɔ CIIX.

TOBIÆ PAURMEISTERO à Kochstet.

EPISTOLA XVII.

SAnè ab abitu tuo, tristi quodam nuncio graviter admodum fui conturbatus, quo te quoque non leviter commotum iri scio. Ete-

nim magnus item vir [tu verò me neq; de generis splendore, neq; de aliis fortunæ bonis loqui, per te intelligis] Adamus Κρουσιάδης cum paucis diebus decubuisset id. April. diem suum obiit. Eum novi adolescentulum, cum apud nos in Academia ad Varnum literis viveret, & nobis modestiam diligentiamq; suam, cum primis patri, qui primus erat in senatu aulico, mirificè probaret. Hoc autem loco ætate major, majoribus etiam passibus processit ad prima. Ex Italia reversus in Senatum lectus à Principe, res magnas, uti suas, administravit, & haud scio, an quid majus, seque dignius gesserit, quam quod aulę Principis Magister, educationis regiæ bona & solida fundamenta jecit. Verum de eo erit aliis scribendi locus, & mihi quoque, si valebo, alius. Si ferre poterit exempla tabellarius, & quod poterit, feret. Vale. Helmst. ex Ac. Jul. prid. Cal. Maji cIↃ IↃ CIIX.

ISAA-

ISAACO CASAUBONO.

EPISTOLA XVIII.

SUb Non. Majas tuæ mihi redditæ ſunt. Votum tuum pro ſalute mea ſic accipio, ut minus iniquo animo expectem, quæ univerſæ ſenectuti impendent: *τεθνάναι δὲ ὐκ ἔτ' ἀνθρώπῳ θεῷ.* Interea noſtræ juventuti auctor ſum, ut tu quoque de me ſentis, ſtudii ſapientiæ. Ita autem paſſim negligi & contaminari meliores literas doleo, ut quis alius: pauci admodum nobis auſcultant: plerique ad ea contendunt, in quibus ſplendor eſt & utilitas. Quod etiam in luctu tuo me compellas, hoc me tibi cariorem intelligo: *συμπάσχω* deploranti immaturam mortem cariſſimæ filiæ. Rectè te ipſum colligis, quod tuæ præſtantiæ eſt, & omninò potes, inſtructus omnibus, quæ à quoquā ad conſolandum depromi poſſunt, mihi ſæpè

solatio fuit amici sermo lugenti obsecundans. Fuisse apud te Arnisæum ex aliis mihi audivisse videor. Fortè & Peparinus tibi adfuit. Minimè enim te prætereat, qui & secum ducit, quos intellexeris. Moneor, ut ad te mentionem faciam cujusdam mihi familiarium Livonis, Pernobilis Juvenis, Theodori Faresbachii, cujus patruus GEORGIUS, cum quo etiam mihi notitia fuerat, fortitudine & usu rei militaris nomen & amplissimas dignitates sibi comparaverat, atque ille ipse est, qui has tibi reddit. De Oveni filio quid factum sit miramur, & parentes ipsi sinistrè suspicari incipiunt: modò vivat: comperiemus denique: etenim multos rogavi, ut inquirerent. Vale. Helm. ex Acad. Julia Non. Jan. clↃ lↃ CIIX.

JOSEPHO SCALIGERO.

EPISTOLA XIX.

QUi isthinc mihi literas attulit, & aliorum, & tuas, familiaris meus, eidem

Digitized by Google

dem altero tertiove abhinc mense, tum statim, ut putabat, redituro, meas ad te dedi, & alteras ad familiarem tuum Heinsium: illum cum negotia in aula Brunsvigensi retinerent, dedit fasciculum alteri accincto ad iter Belgicum: jam verò ad me redeunti non nihil denuò dandum est. Nec tamen ferè erat, nisi quod animo meo obversaretur maximè, vellem autem minimè. Non dicam hoc maleficum seculum, quo tamen, qui è literis emergunt in omni genere, alii ex aliis prodeunt ad convitia & calumnias. Pessimè illi posuerunt laborem in discendo, quibus beatius erat, expertibus esse litterarum, quam iis cum sua infamia abuti in bonorum contumeliam. Familiaribus interdum refero, quæ mea memoria, à quibus, inter quos, malo etiam publico, publicè istiusmodi proposita sint, nec ulla probitas aut modestia à talibus tuta est, nec merita cujusque tanta sunt, quæ ejusmodi rabiem compescere valeant. Eo perventum est, ut in academicis etiam disputationibus se mutuò proscindant, publicatis scriptis. Ejusmodi vidi his diebus in ma-

manibus familiarium ; à quorum lectione abhorreo, quædam degustare necesse habeo, ut qui spurca loca prætereunt, fœtoris aliquid tamen naribus accipiunt. Etiam recordari te puto, mihi quid evenerit, cum læsissem ipse neminem: sopito tum negotio, legitima sententia & auctoritate Principis, non desunt, qui neque in hunc diem molliantur mea patientia, cedentis omnibus. Hoc unum habeo in remediis: alterum nescio quid meditationum, quibus indignationem & dolorem aliquantulum amolior. Tu autem quod ejusmodi graves & crebros ictus clypeo fortis animi excipis, & contemnis, quidquid in te jacitur contumeliarum & calumniarum, tibi gratulor. Expectabamus apologiam, cujus spem feceras: prodiisse cognovimus: exemplum allatum unum, quod in manibus familiarium est: legam & ipse statim, efficiamq; ut me diligenter legisse intelligas: honoris vestri me studiosiorem cognoveris neminem: neq; φιλοσκάλαγ© esse desinam. Vale. Helmst. ex Acad. Jul. Kal. Octobr. cIↃ IↃCIIX.

JO.

JO. CASELII EPISTOLARUM LIBER XI.

AD ANDREAM CLUDIUM

JCtum, Professorem Primarium Academiæ Iuliæ, Senatorem Curiæ Ducalis Brunsv.

EPISTOLA I.

POtius in iis, quorum superiore hyeme, cum fortè domum tuam venissem, mentionem ad me faciebas, pluriũ dierũ operam tibi pręstem, quod profectò cum animi alacritate faciam, quam epistolã hanc

hanc brevem & squalidam mediter in luctus tui inexspectati consideratione. Etsi autem scio, quam parum, cum in omni genere ad scribendum valeam, tum præcipue, si animus tristitia affectus, medicinam flagitet: tamen qualecunque esset, quod mihi in mentem veniret, perscribere malui, quam in hac parte amicitiæ videri negligentior. Nudius autem tertius, cum de natu minimæ filiolæ tuæ obitu prius, quam de morbo aut invaletudine, per viciniam nunciaretur, hoc magis ipse cohorrui, quod pauculis admodum diebus ante, domum tuam fortè præteriens, præ foribus stantem, etsi pallidulam, compellaveram, de te, ut solemus, sciscitans. Hoc ipsum tanto gravius animo tuo vulnus accidit, quod illo ipso fatali illius die aberas. Jam amici partes sunt, qui ad consolandum veniat, ut quod malum re nemo possit, oratione saltem sive consilio minuat. Ego verò primùm & potissimùm declarationem mei doloris proferam, eam pro aliquo solatio esse ratus. Neque enim magnitudine tui doloris leviter afficior. Alterum nec in animum induęam, neque

Digitized by Google

que opus est, ut depromam ad te aliquid è monumentis sapientum aut è sacris literis, quæ omnia ipse didicisti à puero, & in promptu habes, & potes, cum voles, haurire, ex utro voles fontium. Exponam tibi potius paucis, quid ipse, qui annis plusquam triginta tot carissimorum funera extulerim, secutus fuerim: primum cavi, ne in solitudine me mœrore conficerem, amicorum literas libenter legi, familiarium sermones aliis de rebus audivi quotidie. Namque qui hoc animi ulcus assiduè tangant, eos ingratos nobis esse necesse est: neque id posse existimem, qui ex animo malis nostris afficiantur. Quod autem minus ipse feci, & ægrè in tanta animi ægritudine facere possumus. Jubeam eos, qui doloribus conficiantur, à tristibus aliò animum convertere: ut qui ὀφθαλμιῶντες, quid contueri velint, è tenebris, versus lucernam, vel ad lucem, oculos vertunt. Mihi iccirco hoc erat sub difficile, quod uti non sum ea firmitate membrorum, qua plerique, ita forte & animo imbecillior: itaque me litteris & ratione aliquantulum sustentavi. Te, CLUDI, natura

natura & corporis & animi viribus donavit, confirmavêre cum ipsæ literæ, tum usus rerum, ut non dubitem rogare, sive jubere, ut respicias ad bona tum fortunæ tum animi: in re familiari nihil desideras, peperisti tibi gratiam potentum, invenisti à puero benevolentiam bonorum: habes liberos plures, alios jam præstantes, alios non minoris expectationis, quæ singularia bona qui adepti sunt, à populo beati censentur, & sunt profectò felices, cujusmodi est humana felicitas. Occupationes verò etiam tuæ, & negotia, quæ ratione officii deponere tibi non licet, si non obliterant, obscurant nonnihil dolores ejusmodi. Cedit enim labori dolor, certè animus labori intentus, interea non adeò dolorem sentit. Quod cum ita evenire olim animadverterem, imponebam ipse mihi scriptiones, quæ tum etiam minus necessariæ viderentur. Non esse autem repudiandas in adversa fortuna cujuscunque generis παραψυχὰς, neque negligendas, existimemus: niti tamen simul possumus, & ante omnia debemus bonitate summi omnium Patris, tum quod

quod abeo, quæcunque cuique nostrum sunt bona, obveniunt, tum quod, quæ ab illo hominibus benevolentissimo & sapientissimo decernuntur, & in universum, & nobis esse bona, nemo nisi impius, & in divinam Majestatem blasphemus, neget. Et hæc verò, & illa, si spectes & cogites, non solum ipse te colliges, sed & uxorem optimam, & liberos carissimos eriges, & exemplo eris aliis, quos ejusmodi aut similes ærumnæ invadunt, & primariæ virtutis laudem adeptus fueris, sive constantiam, sive fortitudinem nominemus. Brevior sum, quàm res postulat: longior, quàm ad te opus fuerit: si qua tibi deesse senties, ea vel ex ipsius sapientiæ scriniis petes, vel sciscitaberis ex hujus thesauris me divitioribus. Vale, ex Acad. Jul. IV. Kalend. Quintil. clↄ Iↄ cix.

E I D E M.

EPISTOLA II.

QUi quàm benevolè agant cum genero meo, non te fugit. Quæso hac de re loquere cum Dn. Cancellario: decernetis, an rectum sit, hanc omnem

litem Reverendissimi Illustrissimique mandato dirimi: in quo disertè assignetur locus D. Theodoro, in Consistorio & quacunque solennitate inter JCtos post D. Clampium, qui in Consistorio JCtorum ultimum locum hodie habet. Quidquid hic decernitur, relinquetur tamen aliquid scrupuli. Mitto simul ad te, quid mihi de locatione visum fuerit. Namque cum & de Duncano, futuro Doctore quoque agatur, rectè puto fieri à me, qui sententiam meam non dissimulem: etsi à quibusdam hoc nomine me reprehensum scio. Vale.

MEMORIALE.

De genero meo laborare mihi non adeo necessarium judico. Est enim eâ modesti a, ut quovis loco, si id sine totius ordinis Jurisconsultorum offensa, & absque reprehensione aliorum, quod facto suo cæteris præjudicare videatur, facere possit, contentus foret. Ad rem igitur pauca. De consuetudine omnium gentium non barbararum, penes quos est bonarum disciplinarum cultus, secundum item statuta omnium Academiarum, & ex institutis majorum, a quibus neq; resp. neq; reges declinarunt, observatum fuit hactenus, ut Doctores facultatum, Theologiæ

logiæ primum, secundum Juris, tertium Medicinæ tenerent, in quibuscunque essent congressibus, & sine exceptione in academicis. id ego neque à paucis privatis, nec arbitrio unius Academiæ, in qua fortè omnes consentiant, secus statui aut mutari posse assero. In Academia Julia, quod & statuta de sessionibus publicis jubent, in omnibus itidem in hunc diem ab initio observatum fuisse accepi: etiam in iis, qui neque publicè neque privatim docerent. Valere igitur in Professoribus multò magis debet. Professorum enim conditionem non deteriorem esse debere, quàm non Professorum: immò meliorem, nemo tam iniquus fuerit, qui neget. Cum etiam tam hic quam alibi, qui in practicis facultatibus docent, neque dum in dignitatem Doctorum collocati, inferiorem inter Licentiatos & Magistros locum habeant, donec & ipsi Doctoralis gradu ad suos quosque ordines legitimè ascendant; hinc liquidò apparet, ratione doctoratus collocationem fieri oportere. Si qui diversum velint, & pertinaciter urgeant, ubi negotium intellexerint, in ambitionis, malevolentiæ & invidiæ suspicionem facilè incident, & non solum uni atque alteri, sed ipsis ordinibus, sive dictis facultatibus injuriam facere videbuntur. Nec dubito plerosque bonarum litterarum & philosophiæ Magistros in hanc sententiam statim descensuros, cum præsertim Philosophi, primi sint modestiæ & humanitatis cultores. Denique de tota re Reverendissimus idemque Illustrissimus noster, ut suæ Academiæ nauclerus & perpetuus Rector, pro sua sapientia & auctoritate determinabit, si qui de novatione instabunt.

JO. CASELII EPISTOLARUM LIBER XII.

AD LAURENTIUM SCHEURLÆUM Philosophum, & Theologum.

EPISTOLA I.

QUod, qua tibi anno abhinc undecimo, de fasci-bus academicis gratulabar, lucubratiunculam, hodie eosdem gerens tertiùm, à pluribus etiam legi jubes, sive pateris, etsi id non expetebam, tamen hoc consili-um tuum magis probo. Recogno-scent

ſcent alii : & cognoſcent alii , ut inter nos amicè vivamus , & de rebus præcipuis idem ſentiamus : easdem ſententias , non conſpiratione noſtrę gratię , ſed ſtudio veritatis , & boni publici deſiderio , tueamur. Illum Namque *ἀκαδημιάρχην* neque tum tibi præſcripſi , ſed , quando ita volebas , perſcripſi , de communi utriusque deliberatione , ſive de ſermonibus noſtris , quos ſuper ea re ſemel atque iterum inſtitueramus. Scripſi autem arbitratu meo , ita ut paucula alicubi adjicerem , plura volens omitterem , cenſura tibi relicta integra , nec minus aliis viris bonis , & academicæ vitæ peritioribus. Viſum verò mihi fuit , hîc iterum paucis te compellare , ad comparandas illius temporis rationes , cum iis , quæ interea natæ , nobis ob oculos & in manibus verſantur. Erit utrique liberum , utrum tempus præferamus alteri , cum illis annis ortæ fuerint difficultates malæ & graves : neque in præſentia nos ullæ aut leves ærumnæ urgeant.

Decimus autem tertius sub autumnum annus erit, quando Joannes, Friderici III. Regis Daniæ filius, exemplo fratris Hulderici, cultum litterarum studia, veniret in Academiam Juliam: oborta autem hac nova nobis luce, irrepsit huc iisdem diebus pestilens contagium, ita acre, ut juventus pleraque omnis, alii domum se referrent, alii cederent in viciniam: neque nemo nostrum cum familia exiret necessariò, quasi ex ipsa flamma. Mitigabat malum bruma: id ver sustulisse videbatur: neque æstate multum erat amplius periculi: multique adeò se sub hæc tecta receperant: neque tamen non trepidabamus omnes; non abolito penitus contagio: neque frustrà metuimus: efferebantur enim cari nobis adolescentes fortè unus & alter. Altero item post anno, cum hoc diuturnum malum de loco abiisse non falsò putaremus, neque ejus uspiam reliquiæ deprehenderentur; erupit magno illo malo gravius: minus quidem in populo metui dysenteriam apparebat: sed hoc sanguinis profluvium, cum nulli ferè parceret in oppido familiæ, plures sustulit, quàm

quàm pestilentia superioris biennii. Erant illæ miseriæ communes & oppido & academię. Accedebat interim nova, de cujus vi reliqui incolæ parum comperiebant. Quid enim ad illos lites exortæ in nostro ordine ę animis decertabatur: quæ contentio si ad veritatem & salutem spectaret, prædicandam ducerem. Sed illis temere invectis molestiis nihil damni accepit res academica, uti sunt, qui perperàm existimant, quod secus postea evenit, atque vellent, quamque institutum fuisset à quibusdam. Etenim quæ vera essent, alia confirmata, alia etiam magis fuêre illustrata: & simul publicè restituta tranquillitas. Utinam ipsimet animorum fluctus sedatos æquè malimus, uti nos decere, & vulgus clamat, & nos rectissimè meminimus. Medicinam autem fecit unus & solus ille huic intestino malo, penes quem & quidem solum, hoc erat, qui potentiam, qua pollet, sapientia, semper convertit in beneficentiam, imitatus Eum, penes quem illa sunt solida & perfectissima omnia, quem à memoria hominum sapientes imitandum proponunt Regibus, item-

que magistratum primo loco gerentibus. Sed hic locus ad hæc tam multa narranda angustior est: explicari autem illa nisi à disertissimo, idque in suo campo, nequeunt. Hoc igitur nomine ex eo die maximè celebratus fuit ipse εὐεργέτης HENRICUS JULIUS: neq; minus ex hoc beneficio, quàm è cæteris regiis virtutibus & meritis immortalem famam consequetur. Gratissimæ enim omnium sunt Musę, quæ neminem è patronis patiuntur intermori. Huic igitur bono [bonum enim profectò mali propulsatio, majus ejusdem illius confirmatio & amplificatio] attexere scribendo novum malim: sed mira est mali fœcunditas. Restabat, ut à Marte quoq; aliquid in nos redundaret: conturbaverat quidem ante nos nonnihil fama à Rheno è Belgicis tumultibus, malum quoque longinquioribus minitans: oriebantur ante oculos turbæ ab iis, qui bono inquilinorum, & felicitate sua maxima perpetua, facilimè & rectissimè quiescerent. Hi, pro libertate, quam affectarent, studentes licentiæ, ansa, uti scimus, callidè quæsita, Principis sui fundos, vicos, oppida, vastatum cum copiis excurrêre;

rêre: quę & ipsa narratio historiæ est: cum paucis abhinc millibus passuum vagarentur, quo etiam die Imperatoris Rudolphi II. legati huc diverterant, Duce ad Imperatorem profecto, cum nullum hic esset præsidium, cujus nulla hîc fuerat ante, neque tum crederetur esse necessitas; quis hic irruptionem tumultuantium non metueret? cum edidissent, aliquot diebus ante, & illis ipsis ederent exempla suæ erga legitimum & perpetuum salutis suæ patronum obedientiæ, tanto impetu terribiles, jamque etiam in conspectu essent. Itaq; fugiendum fuit Musis inermibus: cessit juventus in pagos, in oppida: manebant, quibus á muneribus, quæ gerebant, abesse non licebat: licebat cuiq; cæterorum sibi & suis consulere, servare supellectilem, cujus recuperationem, quotquot essent nostri ordinis, aliundè sperare non poterant. Redimus ex intervallo cum jactura rei familiaris gravi: denuò frequentabatur Academia, collectis quasi tabulis: ad officium reditum fuit, ut bonitas Gymnasii conservaretur etiam decrescente auditorum numero,

etsi è vicinia accedebant alii, recedebant interdum alii: è longinquioribus locis mittebatur nemo: ecquis enim veniret ad incendium, è quo alii fugerent, alii sese paullatim subducerent? Parum autem aberat, quin qui hæc commoverant, pœnas dedissent gravissimas: pepercit illis, pepercit tantæ multitudini Deus, de cujus innocentia aliquid suspicari licet, residente culpa potissima in paucis auctoribus, ut universis ad saniorem mentem & pristinam felicitatem reditus apertus videretur. Hoc cùm non agnoscerent, qui negotia gerebant, cepisse affirmantur consilium crudele & impium, certo constituto die, quo violenta eruptione facta, hoc oppidum, hanc Musarum, ut de consuetudine loquimur, imò hanc sacram Dei domum solo æquarent, sublatis omnibus, qui pedibus salutem sibi non quæsissent: avertit autem illud fulmen à tectis & cervicibus nostris idem nobis quoq; benignissimus iu cœlis Pater. Hoc igitur decennio fatum fuit Academiæ Juliæ: quâcum, hoc est, nobiscum benè agetur, si Deus nos respiciet: hodie suspenso

ani-

animo sumus: alius metuit aliud: ad bene sperandum caussæ est parum hactenus, quando neque bellum, neque pax est, neque induciæ: sed illic pestilens contagium: neque ullus ejusdem apud nos metus, ob malum adeò vicinum. Miserabilis ergò & hic status est, quo tempore idem munus publicum tertiùm geris. Avertat summa bonitas, si quid præterea imminet aut ingruit mali. Neque tamen non sunt præterea academica, quæ tu novisti maximè, in quibus dirigendis, & humanitate & severitate & singulari prudentia opus est. Vide jam, ἀπρωτεπιστάτα, tolerabiliusne modò agamus, an prius: illa præterierunt relicta sui memoria: præsentia nos terrificant & urgent: de futuris ut certum quid speremus, dubium. Consilium ostendet, si velimus, ratio, eventum, si in officio simus, largietur optatum Deus. Vale. Helmst. in Acad. Julia idib. Quinctil. cIↃ IↃ CIX.

EPI.

EPISTOLA II.

Ἀκαδημιάρχης.

QUidni verò etiam hodie tibi gratificer, *Laurenti Scheurlee*, occasione nova & singulari! Nec enim mei me de te judicii, nec primæ erga te benevolentiæ, nec utriusque meditationis & scriptionis ad te, pœnitet. Cum enim é patria ad nos migrasses, intellexi è primo ferè sermone, quem tecum habui, esse te unum ex primo genere doctissimorum hominum, quod viderem multiplici doctrina præditum, in precio habere omne genus elegantium litterarum, & studii sapientiæ, & quemque colere nostri ordinis citra invidiam: nec mihi mirum illud visum, cum, cui natura nihil negasset, tribuisset præterea fortuna, quod satis videretur, á puero rectè & sedulò educatus, ipseque in vario genere liberalis doctrinæ ordine versatus fuisses perpetua diligentia. Ego verò, cum omnes virtute præditos,

tos, tum ejusmodi viros suspicio, & ex animo diligo: primùm quidem eos, & qui hoc solùm præ aliis agunt, &, ne quid dissimulem, simul artis medicæ cultores, quæ vitæ mortalium salutaris & grata, absque interioribus litteris non consistit: nec minus jurisconsultos, maximè, qui politicum ordinem philosophia & eloquentia condecorant. Hos enim solos firma rerum publ. fulcra esse censeas. Sed omnium maximè Theologos, talibus ornamentis præter vitæ sanctimoniam insignes. Theologos autem quantæ bonæ atque multiplicis copia instructos esse oporteat, ad erudiendum populum, ad consolandos ærumnosos, ad cohortandos auditores ad omnem animi pietatem, ad deterrendos improbos & petulantes à flagitiis, sed multò magis, tum ad eruenda explicandaque oracula cœlestia, tum ad sectarum conditores dextrè confutandos, vindicandamque à calumniis veritatem, si quis nesciat, ex Nazianzeno, quocunque se quis in illius monumentis verterit, non magno

negotio

negotio cognoverit. Tales tantosque viros admiror & in oculis fero. Esse verò te nullo sacerdotali supercilio, sed singulari modestia præditum, & ea vitæ innocentia, quæ cumprimis conspicuum istum ordinem, qui non solum à populo, sed & à summis Regibus, quod à Domino universi legatione ad mortales fungimini, observatur, & decet, & mirifice cohonestat, non solum ex aliquot mensium consuetudine, sed etiam de testimonio utriusque familiarium, mihi statim, neque id falsò persuaseram. Itaq; cùm uno eodemque die & πρωτεκκλησιάστης hujus urbis designatus esses, & in Academiam Juliam adscitus ad interpretandos Prophetas publicè; de utraque dignitate tibi gratulari non dubitavi. Ut enim unumquodque munus suas curas & labores habet, ita neque illa dignitate & honore vacant. Adspersi vero hinc inde supervacaneas, fateor, sed tamen animi benevolentissimi in te notas: non tam præcepta, quæ sequerere, quàm prædicationes exspectatæ, sive cognitæ industriæ tuæ. Neque enim mihi tantum auctoritatis vendico, quod absque suspici-

ſpicione arrogantiæ non committerem, ut præſtantibus viris, præſertim ſuperioris ordinis, ſive à qualibus, ſive etiam minoribus quaſi leges ipſe occinam: quin ſi quod ejusmodi eſſe videatur, à ſummis viris aliquando meo ſtylo, ſæpè eorum verborum ſenore, refero. Fuiſſe autem tibi hoc ſtudium meum gratum, non ex aliqua conjectura, ſed ex re ipſa deprehendi. Quam enim privatim ad te lucubratiunculam miſeram, faciendam quoque cenſuiſti juris publici, ut & ab amicis communibus legeretur, fortè & ab aliis, qui talia non aſpernarentur. Ego tum exempla, à te mihi donata, miſi ad alios atque alios: neque nemo ſuis familiaribus plura flagitavit. Præter autem quàm, quod mihi de more egerunt gratias; alii te noſſe deſiderare, alii famà ante notum magis ſuſpicere: cujus rei ex ipſorum litteris ipſe mihi teſtis es. Cum autem omnis virtus & animi integritas in quocunque mortalium nemini non grata ſit; tum verò tantæ dotes animi in Theologo ſunt admirabiles, ut & illuſtriores. *Quis enim non oculos in Antiſtites ſacrorum conjicit?* Cum igitur aliquot annis

annis te eundem, atque etiam penitius cognovissem, & animi nostri in justam amicitiam coaluissent; iterum tibi gratulabar, quod à me exspectari intellexeram, cùm publico illo solenni Academiarum ritu Theologus declarareris: feci id tum versu Græco. Fortè enim multus eram in lectione divi Gregorii. Eum igitur potissimum secutus fui, non solùm, quò minus aberrarem, quod mihi cavere, nequaquam tironi, in hoc genere facile erat, sed ut illius exemplo, quàm possem, res arduas & divinas, propriè disertèque exprimerem, si elegantiam & copiam minus adsequerer: secutus autem sum, sedulò insistens ejusdem scriptoris vestigiis, maximè, quo loco sapientiam revelatam à sapientia rationis, de sententia ab eodem expressa, tantum non iisdem verbis separo: quam meam curam & tibi & æquis existimatoribus facilè probavi, non minus, quam cætera omnia: quibus, quæcunque alterius generis sunt, bono consilio, bene, aut certè non perperam scripta non placent, iisdem neque illa placere potuerint. In tuas autem laudes mihi digredi

vi-

visum non fuit, quod neque nunc faciam. Ut enim alias hujus mei consilii caussas non aperiam, sentio sapienter decretum ab Euripide: *qui fusius amicorum laudes decantent, eos ipsis non admodum gratum facere.* Quid ni tamen nihilominus tibi tertiùm gratuler de magistratu, quem iniisti hodie? Academici autem honores quanti sint faciendi, ad alios non attinet disputare: nec eos ipsi comparamus cum militaribus, civilibus, ecclesiasticis. Habent enim plerique splendoris multum, commodorum plus minus, curæ laborumq; plurimum, si bona fide gerantur. Tamen & hi nostri à Regibus & Imperatoribus & Pontificibus constituti, etiam ab iisdem, cæterisq; Principibus, & amplissimis Rebuspublicis sollicitè conservantur, quod ad rectam educationem juventutis omnium ordinum pertinent, neque non conservationem & præsentis & futuræ reipublicæ respiciunt. Horum primus est hic, quem cum ipse Dux noster, & Nauclerus hujus sacræ triremis, HENRICUS JULIUS, gerat, ejus vices de nostris suffragiis & universi collegii sententia tibi demandavit,

davit, abhorrenti ab ambitione non minus, quam ab avaritia. Nec refert, quod non nisi semestris est hæc dignitas: quin referre dixerim. Etenim patientius labores tolerat, quorum quis metam ab initio in conspectu habeat: munus gerit majore cura, cujus depositi paullò post sit reddenda ratio: nemini etiam sibi alicujus dominatus parandi facilè in mentem venit. Non solum verò tu hæc hodie, quando clavum hujus sacræ ἀρχῆς dirigis, cogitas: sed fuisti pridem apud animum tuum meditatus. Memini enim, nos de officio ἀκαδημιάρχου locutos aliquoties: cùm alia, sed citra cujusquam contumeliam, reprehenderemus, alia desideraremus, pleraque probaremus, tuque multa, quæ ad rem facerent, disertè exponeres, ut homo doctus, usu rerum præditus, non in aliud, nisi in bonum publicum, intentus. Bonum enim publicum procurare cum omnium nostrum est, tum primi Magistratus: quod absque litteris & aliqua rerum tractatione nemo laudabiliter, ac ne mediocriter quidem, præstiterit. Quid quis possit, & quis sit, Magistratus indicat,

ut

ut Pittacus solebat dicere: quod verbum quemque acuere potest & debet, ut & de semetipso, privatisque suis rationibus, quo minus impingat aut in calumniantium voculas incurrat, de publico munere, quod gerit, cogitationem ex animo non dimittat, neque de ea aliquid unquam remittat. Cum autem nihil omnium te fugiat, neque quidquam malis, quam omnia rectè, tuaque cum laude gerere; ego quamquam permultis annis te major, ut præcipiam tibi, mihi non sumo, nec te monere debeo. Cohortationem tamen amicam minus reprehendendam dixeris, neque quidquam præ se ferre magisterii existimes: & præceptis in conspectu positis interdum opus esse non negâris. Etenim etiam, quæ certo tempore expedire velimus, singula, sive in palimpsesto, sive in charta, quam in manibus habeamus, littera notamus, aut signo, ne quid necessarii fortè nobis excidat. Nihil vetat, idem fieri in vita & officio, præsertim ubi aberrare & alucinari aliquid maculæ existimationi adspergere videatur. Fecerunt alii; fecit Antoninus Philoso-

Digitized by Google

phus, qui, quid cogitaret, quid faceret, ipse sibi præscripsit, accuratissimè: memini, cum symbolo uterer, quod & gemmæ insculptum quotidie in conspectu haberem, verbo Epicharmi: cujus equidem verbi vim etiam olim mihi intelligere videbar: sed intellexi magis, ex quo ejus explicationem legi eruditè & disertè traditam à Dione Chrysostomo. Itaque & ad plura mihi usui fuit: nec oblivisci unquam potui id aureum dictum: tamen debuisse eo me uti religiosius, fateor: qua in re etsi mihi non ignosco, tamen video esse mortalibus commune, ut non semper omnem vitam ad lapidem Lydium rationis exploremus. Ego autem nihil tibi meorum præceptorum, sed pauca καὶ ψυχικώτερα è nostris sermonibus repetam, sive tu ea, sive ego, sive eorum aliquis alius, qui unà fortè fuerimus, quasi symbolam attulerit. *De magistratu ita visum nobis fuit, nihil cuiquam omnium cogitandum, agendumve avarè, nihil ambitiosè, nihil imperiosè, nemini denique quidquam arbitratu suo: sed statuenda singula, quoad ejus fieri potest, ex determinatione legum: de quibus in dubium veniat, de sententia collegii.* Primùm enim, quæ dignitas rectè geritur,

tur, cum avaritia ? cum ne tenue quidem negotiũ ab avaro justè administretur. Injustè autem quod fit, rectè factum videri nemini potest. Lucri enim spes maximæ partis mortalium animos ita perstringit, ut ad illud respiciant: quod tamen vitium à nobis litteræ longè removent, aut propulsatum volunt, quod doctrina non perinde proficit in omnium ingeniis. Nummo verò etiam cum in rebus vilissimis sit: si res à rebus legitimè & eruditè distinguamus, permittere non debemus, ut honori imperet, aut eum societate sua inquinet. Non dico, quod ex plebe aliquis consideret, quod tantillo tempore è tali munere abradi præter sordidum & infame lucrum nihil potest. Alterum ridiculum etiam censeatur, ex eo spiritus gerere, quod quasi in solitudine geritur, nec in oculos gentium vel magnæ multitudinis hominum incurrit. Vivimus enim in otio, ut splendorem, qui in negotiis est, aliis rectè relinquamus, non desides ipsi in nostro otio, in quo videlicet juventutem lit-

teris, & multiplici rerum cognitione ad negotia informamus. Denique si quis de dominatu cogitet, turpissimè labitur, neque conditionem hujus muneris, ratione potius, quam opinione hominum amplissimi, satis intelligit. Nec enim herus est Academiarches, sed *juventuti pro patre, pro fratre collegis: quod qui sentit, eum libido dominandi non urit.* At si quem sitis Imperii titillet, cui imperet? an collegis? at non ferent. *Neque enim sumus mancipia:* quando etiam servi præ libertatis desiderio, benignos heros vix æquo animo ferunt, neque sit æquum. Namque ut germanus in germanum auctoritatis aliquando nonnihil habeat, minimè verò Imperium, ita nec collega in collegam: ac perinde se habet, ut si fratres cæteri, cui velint, rem familiarem credant: huic præerit, prout inter ipsos convenerit: cæteroqui se fraterno prosequentur amore, neque, quod quis vel primus natu sit, vel rei familiari & reliquis domesticis negotiis præfectus, propterea fratrem se esse obliviscetur: quin, quod vel utroque vel horum alterutro prior est, se præstabit humaniorem: ita fiet,

fiet, quod & ipsum boni probent & gaudeant, ut & ametur, & colatur à cæteris. Id si secus fiat, οὐδὲ κασίγνητος φίλος ἔσσεται ὡς τὸ πάροσπερ, κατὰ τὸν πρὸς Ἄσκραν ποιητήν. Ita & nos pares sumus in Academia: nec ordo ea re turbatur, sed stabilitur concordia. Namque & primus est, & secundus, atque ita cæteri, & ultimus, ut leges, sive consuetudo jubet: nec tamen Imperii plus primus in novissimos, quam qui modò accessit, in ordinis nostri principem, nec quis in quemquam cæterorum habet: leges & ratio, quid facto opus sit, nos docent; manet nihilominus auctoritas eorum, si qui doctrinę pręstantia & ætate cæteris antecedunt, & meritis: nec cæterorum tollitur erga auctoritate pręstantes observantia: colimus denique nos inter nos mutuò, debemus profecto, quæ omnia libertatis sunt, & huic ipsi rerum gratissimæ, concordiæque custodis perpetuę, maximè congruunt. Bruta omnis generis servitutem aversantur. [Nam qui pisciculi non enatant in ampliores alveos? quæ pecudes carceribus apertis non exeunt? quę aviculę non evo-

lant è caveis?] Ita natura instigat atque stimulat omnia ad libertatem. Cum igitur & omnes homines natura à servitute maximè abhorreant, tum qui rationem maximè excolunt, eam detestantur omnium maximè: & si quis inter nos tyrannidem moliatur, hunc non solum odimus & aversamur, sed omnibus diris devovemus imprudentem ejusmodi petulantiam, (nocet autem prima ipsa sibi) à qua non abest malevolentiæ, & maleficii studium. *Neque certius semen est discordiæ, aut propior ad evertendum salutem publicam molitio, quàm si quis, vel solus, vel cum paucis, de aliis premendis consilium capiat.* Contra floret desiderata ab omnibus, sed turpiter neglecta à pluribus concordia, si unusquisque se intra metas suæ conditionis & officii contineat: quod cum latè pateat, hîc à me explicari plenius non convenit. An sibi igitur sumet imperium in juventutem? Hoc verò minimè: aut certè non aliud, quàm quod etiam paternum appellatur: quæ est incredibilis benevolentia erga liberos. Hos enim optimos & omnibus bonis animi, corporis, auctos, & fortunis parentes esse

quàm

quàm ornatissimos volunt, & hoc omni studio agunt, nec ulli labori aut rei sibi parcendum existimant, ut ipsis omnia vel potissima impetrent. Hoc nobis omnibus curæ est & esse debet, sed collegiorum nostri ordinis Principi, sive Academiarchæ suo utique tempore, cumprimis ut excubet pro salute omnium, quantum in ipso est, universos retineat in officio, interdum singulos aberrantes in viam reducat, contumaces auctoritate in ordinem redigat, ut plerique pietatem, virtutem, studia sibi quisque convenientia, sive quibus destinati sunt, colant summa diligentia: his paternum amorem aperiat, sed & eos complectatur, qui illud mediocri studio agunt: futurum sperem, sive potius certum est, futuros ipsos indies meliores. Quis hodie nescit, *liberalitate & pudore* retineri liberos in officio, sive, quod eodem facit, juventutem litteratam ratione? Idque latius ad omnes homines pertinere censuit Xenophon, cujus sententiæ subscribo, si quisquam alius, ac sævum truculentumq; modum ab educatione liberali removeo. *Qui ratione educari non velint, omnes*

Digitized by Google

ad operas rusticas, aut in militiam ire jubeam, si per me stet. Verum quia & ad nos mittuntur in cæteris, utinam pauci, qui vel nullo ingenio sunt, vel parvo omninò, illos feramus & consilio juvemus: in iis etiam corrigendis nonnihil operæ ponendam censeo. Vix enim quisquam ita perversi ingenii, vel ita totus est in vitiis, quin adolescente ætate emendari possit aliquantulum; si non penitus in vitam reducatur. Si quis appareat desperatus, cujusmodi hodie in hac Academia neminem esse auguror, si fieri possit, absque contumelia ad suos remittendum dixerim: & fieri potest, nisi grave quid designarit, quod avertere illo consilio fortè non fuerit incommodum. At queretur petulantia, sibi injuriam fieri: quod quibusdam videri, cum non fiat, ferendum est, ne in consuetudine suo exemplo bonos ab officio auferant. Sed in hoc, ut plerisque aliis, uteris collegarum consilio, neque cujusquam sententiam adspernaberis, tum ut ex comparatione omnium deligas optimam, tum ne quis se à te negligi contemnive existimet. Videmus eorum, qui

qui præsunt, alios peccare graviter severitate nimia, aberrare alios lenitate nimia, alios esse negligentiores, alios etiam præcipites. Jam quod ad sæviores & tetricos, cujusmodi homines docti, qui se quasi abdicarunt cœtibus humanis, toti involuti libris, aliquando evadunt; ipsis quodammodo ignoscendum videtur. Sed cum in ludis puerorum Orbilios non feramus; quomodo id genus conveniet florenti jam & ætate exultanti adolescentiæ? Hilariores cum gravitate iis facilius rectiusque moderabuntur: quo ingenio cum te esse perspexerim, hic te monere minus necesse est. Juvenes verò ipsi, quorum benevolentiam re ipsa, non verbis solum, experiantur, eos colunt, & ab iis se familiariter moneri & interdum asperius objurgari patiuntur. Neque enim non aliquando animadvertunt è salute sua esse, si quasi freno retrahantur, ne cum periculo vel exitio præcipitent. Hoc cum de omni ista florente ætate ita suspicer, tum de scholastica affirmare propemodum ausim: in quibus videlicet plus indolis est, plus pudoris, plus modestiæ & rationis. Hæc

omnia

Digitized by Google

omnia profectò in juventute academica esse debent: & sint, si à teneris ad modestiam adsuefacti, nobis auscultare & rationi parere, quàm turbidos animi motus sequi malint. Sed hîc potius subsistam, quàm ad aliquam querelam transeam. Ex iis autem, quæ dixi, vides, quod ante quoque animadverteris, me ad lenitatem proniorem, sive quia id rectius judico, sive quia benignitate me duci à puero volui: & fortè peccaturum potius in hanc partem credidi: ac fieri potest, ut in eodem isto magistratu olim lenitate peccaverim, ut quibusdam visus fui, &, ne quid dissimulem, ipse etiam mihi: etsi deposito magistratu inventus sit elegans juvenis, qui de tali humanitate non inculto carmine mihi diligenter gratias egerit: nec debui fortè esse durior, quod præter tumultus umbram iis sex mensibus se nihil ostendit, non tam mea cura, quàm juventutis modestia: quod velim deinceps quoque fieri. Somno verò & negligentiæ cum ne in minimo quidem negotio locus esse debeat; incuria magistratus societati nihil magis esse noxium potest.

Qui enim perpetuas excubias non agat; neque prævidebit malum, si quod immineat, neque si quod repentè irruat, consilio avertet: nedum aliquid, suæ fidei creditis, conciliet boni. Quomodo enim? qui, quod sit boni, de eo conservando non admodum laboraturus videatur. Verùm ego te virum novi, in omnibus vigilantem, in agendo acrem. Ἐπεὶ δὲ τῇ μὲν σφοδρότητι τῶν τε δραστηρίων καὶ τῶν ἐκπαθῶς τινι ἐξιόντων, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ἕπεται προπέτεια, τῇ δὲ προπετείᾳ τέλος, ὃ βουλοίμεθ' ἂν ὀλιγάκις συνᾴδει, ἀλλὰ μᾶλλον οἱ προπετεῖς μετ' αἰσχύνης καὶ μεταμελείας ἀπαλλάττονται· τοιγαροῦν περὶ μὲν μειζόνων καὶ χαλεπωτέρων πραγμάτων ἀεὶ ἐκτός τε παθῶν ὄντες, καὶ ἐν ἱκανῷ χρόνῳ βουλευσόμεθα, περὶ δὲ τῶν ἡττόνων, καὶ ῥᾳδίων, οὐδὲ ἂν αὐτοσχεδιάσαιμεν, εἰ μή τι ἀναγκαῖον ἐμπέσῃ. αἴσχιον γὰρ ἐν μικροῖς ἁμαρτάνειν, καὶ τοῦ τέλους ἀποτυγχάνειν. ὁποσὸς γὰρ Θεμιστοκλεῖ ὅμοιος; ἦν γὰρ αὐτὸς, ὥς φησιν ὁ ἱστοριογράφος, τῶν τε παραχρῆμα δι' ἐλαχίστης βουλῆς κράτιστος γνώμων, καὶ τῶν μελλόντων ἐπὶ πλεῖστον τοῦ γενησομένου ἄριστος εἰκαστής· ἃ δὲ περὶ τῆς τοῦ αὐτοῦ ἐν τῷ ἐξηγήσασθαι δυνάμεως γράφει ταῦτα καὶ περὶ σοῦ οὐ ψευδόμενος εἴποιμ' ἄν. ΕΝ ΓΑΡ ΣΟΙ ΜΟΡΦΗ ΕΠΕΩΝ, ΕΝΙ ΔΕ ΦΡΕ-

ΝΕΣ

NES ΕΣΘΑΙ. οὐ γὰρ τὸν φρόνιμον μόνον, ἀλλὰ καὶ τὸν συνετὸν λεγόμενον ἐπαινοῦμεν, τὸν συμβούλοις ἀγαθοῖς καθημέραν χρώμενον· ὃ δή σοι ἐπὶ ταύτης τῆς ἀρχῆς ὄντι διαπαντὸς μελήσει. Καὶ τοῦτό μοι τέλος τῶν γραμμάτων, ἢ ξυγγραμματίου ἔστω. μέμνησαι γὰρ ὧν καὶ περὶ ἄλλων διελεξάμεθα. Nec enim ſolùm conſideravimus, quid juventuti deberi videretur, ſed quid adoleſcentibus, pro generis, fortunæ & aliarum conditionum ratione, ut & qua gratia advenerunt, & hic ſumtum faciunt, id agant ſedulò, & ipſis inter ſe bene conveniat, & legibus libenter & magiſtratui pareant: quæ omnia hodie, quando iis utendum eſt, memineris: ſed inprimis, quæ nobis videbantur tum de iis, qui publici beneficii ἐν συσσιτίοις fiunt participes, tum de alumnis communis εὐεργέτου. Sed illa deliberatio tam latè patet, ut eadem epiſtola à me explicari non poſſit: nec neceſſe eſt. Quid enim ſcripſi omnium, aut quid veniat mihi de cæteris in mentem, quod non item vel jam videas, vel cogitando facilè adſequaris? & hoc facilius, quod ſalus publica, & exiſtimatio tua animo tuo ſemper

ſemper obverſantur. Potius mihi ignoſce, qui multa quoque attigerim, quæ quivis videat: niſi exiſtimes, maximam partem talia eſſe, quæ cum plerique intelligant, tamen ſequuntur pauci, quod expediat maximè: ac propterea in iteratis iis, quæ notiſſima ſint & paſſim etiam decantata, nihil eſſe vitii. Non enim nemo eorundem conſideratione commovetur, & ad officium flectitur. Vale. Helmeſt. in Academia Julia prid. id. Maj. milleſimo undeſexcenteſimo.

JO. CASELII EPISTOLARUM LIBER XIII.

AD JOANNEM PEPARINUM.

EPISTOLA I.

EQuidem non ita cupidè vos compello, quod tamen facio, quàm ex cujus-

cujusquam veſtrûm epiſtola, vel relatu certi hominis, de vobis cognoſcere deſidero, priora illa, ſive priorum ſimilia: vos valere, inter vos humaniſſimè vivere, gratos eſſe hoſpites omnibus, ad quos venitis, id cogitare & agere, qua gratia abeſtis, ubicunque eſtis, quocunque venietis: quod ex re quidem cujusque veſtrûm ſit, ſaluti potiſſimum publicæ, etiam futuræ. ὁ δεῖνα γὰρ jam patriæ divinitùs deſtinatus eſt, & vos cum uno cæteri. Decet enim quemque hoc ſperare & eniti: & libet mihi bene ominari ab initio: & fas eſt, exiſtimanti futura è præſentibus. Hoc enim fati, & perpetuum, ut è bonis & legitimis cauſſis, rerum etiam felices exitus emergant. Quem enim exemptum velim, aut quis ipſe ſe eximat? Quæ autem, quantaque vobis precor, eorum nobis copia non major, quàm abeuntes reliquiſtis: nec eſt, ut hoc vobis explicem: eodem loco ſunt publica, idem illius populi animus, fortè minore confidentia: nec aliter ſe habent hæc noſtra, neque multum eſſe nobis ante ſperandum ſuſpicor, quàm illi fluctus delævierint. Ἀνὴρ ἐκεῖνος [illegible] ὁ δεῖ [illegible]

ὁ ἀπὸ μάχης ὄνομα λαχὼν, νοστήσας ἀφ' ὑμῶν περὶ τοῦ χειμῶνος, πλείους εἰρηκέναι λέγεται, τὸν μὲν Φοίνικα (οἶσθ' ὃν λέγω, ταῦτα δηλονότι ἤδη ἀναγινώσκοντα) εἶναι ἐν πᾶσι θαυμάσιον, τὸν δὲ Πηλείδην εὐπειθῆ ἐν πᾶσιν, qui nuncius lætitia afficit bonos: ſit hoc perpetuum. Hoc illud eſt, quod ante dixi, publico bene precari: quando publica bona ſunt, ſive mediocria, privatim plerisque bene eſſe, bono nemini malè, neceſſe eſt. Vale. Helmſt. ex Acad. Julia Non. Mart. cIↄ Iↄ CIIX.

EIDEM.

EPISTOLA II.

Ex quo in Galliam tranſieratis, multis menſibus nihil de vobis acceperamus, niſi quo loco hyematuri eſſetis. Hoc enim & ex aula nunciabatur, & ſcribebat Lutetia Arniſæus: adveniens denique Joannes Erneſtus, non niſi unas à fratre Henrico mihi reddidit: valere vos dixit, de ſtudiis pauca retulit. Suſpicabatur enim, me veſtras rationes tenere memoriter, in quo neque fallitur, quando & indolem Principis,

& tuam ſolertiam habeo perſpectiſſima. Neque enim tu de diligentia remiſeris vir doctiſſimus, & fide præſtans, & quod in omnibus humanæ vitæ partibus requiritur, minimè egens boni conſilii. Prudentis autem viri cura eſt negotiorum, quæ in manibus habet. Quæ quantaque tua cura ſit in tanto munere, quod geris, me non fugit: neque non prætereà mihi videre videor, quantum in dies ſingulos laboris & moleſtiarum exhaurias. Cumque inter vos duos optimè conveniat, quibus rei ſumma credita eſt, non dubito, quin & cæteri in iſto contubernio vos ſublevent, neque quidquam magis ad rem faciat; neque quid magis ex uſu ſingulorum ſit. Si nihil aliud agant, quam ut in litteris ſint, & ſtudio officii, hoc in rem ſit maximè. Cum enim ſinguli exemplo Principem confirment, vobis etiam fuerint adjumento: quod, quos ego noverim, certatim facere prorſus non dubito: neque diverſi ingenii, inſtitutive quempiam adſcitum ſuſpicari velim, aut debeam, præſertim cum intellexerim eſſe meos ſtudioſos univerſos. Quæſo fac, ut de mea erga ſe benevolen-

volentia veſtrum nemo dubitet, uti non dubitant, antè mihi cogniti, quod me etiam habuêre pridem cognitum: præ omnibus minor ὁμιάδης. Hic autem mihi cariſſimus adoleſcens nullam mittendi occaſionem hactenus negligit: tuam quoque in ſe benevolentiam ſemper prædicat: neque nolit te ex me cognoſcere aliquid de ſua erga te obſervantia. Cum autem ſtatim tibi ipſum tradiderim, velim porrò diligas, & conſilio adjuves, quando occupatior operâ minus potes. Ultrò te facturum ſpero omnia. Minimus non abibit à paternis fraternisque veſtigiis: quod Henricus quoque ſciat. Sic & hunc præcedet alacrius: nec illum hic ſequetur ſegniter. Ad te revertor: curam iſtam in te amo: minus eſſe ſollicitum jubeo. Qui enim cum ſollicitudine metus eſt, eo opus non eſt, talibus principiis, tali progreſſu, etſi hæc ea ætas eſt, qua Herculem in ſermonem voluptatis & virtutis introduxit Prodicus: nec fieri ſecus ſolet, quàm ut illa non uno habitu, neque una orationis forma ſe inſinuet in ſanctiſſimos etiam animos: tamen bono animo te eſſe ju-

beam duabus de cauſſis. Nam neque hactenus ille vacillavit, imò conſtanter dixit, ſcripſit (an non item præſtitit?) quæ voluimus & oportuit: alterum eſt, quod optima peſſimæ orationi tot annis antevertit. Cum enim iſtius regiæ indolis aures non niſi ſapientiæ præceptis ſtatim ab initio perſonuerint, ipſa quoq; ejusdem animo altè inſediſſe augurabimur. Itaque altera ad tam firma propugnacula fruſtrà arietes admovebit: neque voluptas exturbabit virtutem, jam conſtitutam à ſapientia. Hoc nos magis ſperare, quàm illud metuere, rectius omninò judico: te autem magis id ſperare jubeo, ut alacrius iſtud munus, majoreque omnium bono, geras. Tamen, quæ mala ex oculis & auribus averti & ratione & auctoritate poſſunt, vos avertere velim, & utrumque in hoc eſſe & ſcio & gaudeo, quod nihil magis ex uſu ſit. Quid mearum antehac legeritis, nihil eſt, unde conjiciam: has omninò legetis: fert enim, qui rectâ hinc ad vos iter inſtituit. Unas periiſſe nolim, in quibus quod ſeverioribus ludicrum viſum fuerit, non item nobis, neque ele-

gantet

ganter doctis, quod in eo erat omnis educatio priſcæ Græciæ, me velle didiceritis: quod etiam eo ignorato, neque Græcorum ſcriptorum aliquis, neq; Latinorum intelligitur; neque abſque eo ferè docti eruditum ſermonem, uti ſcis, conferunt: de eo hoc habe tibi modò, ex quo nihil nunc profero. Vale. Helm. ex Acad. Jul V. Kal. Apr. clↃ lↃ cIIX.

EIDEM.

EPISTOLA III.

DE vobis rarò aliquid, neq; niſi fama, nos hîc cognoſcimus, vos de nobis, ne fama quidem quidquam. Nec anno fuit mihi ſcribendi certa commoditas, quò hac utor libentius. Ducit in Galliam fratres Marenholdios Albertus Roſa, generi familiaris, & meus: hosce tu hoſpites conſilio juvabis; ex iisdem accipies contrà res veſtras, quas exponere & longum erat, & utrinq; moleſtum; neque tutum, etiamſi nihil ſit periculi. Fit enim interdum, ut quæ cogitata non ſint, ſcripta ſuſpicaces perhibeant.

Quin, ſi quid nunciemus, nihil nos eorum fugit, quæ ad prudenter cautèque ſcribendum pertinent. Quo magis eos rideo, qui aliorum epiſtolas reſolvunt: cujusmodi ad me quotidie ferè domum meam perferuntur. Bis nobiscum fuit Arnisæus, cui, quando Duncanus abiit Edinburgum, apud nos locum futurum ſperabamus. Vix mihi impero, ne digrediar in veteres querelas. CL. Forſtnerum ſepelivimus: & maturus videor non minus mihimet ipſe, quàm aliis: quin laſſus, hæc in lectulo ſcribo. Κρεωτιάδην perſcripſi, & multas alias minutas lucubratiunculas, cujus generis ſolent eſſe meę, juventuti utiles, ingratas inſcitiæ. Earum copiam vobis faciam lubens: nimis longum iter eſt: neque vos iſtinc quidquam mittitis. Saltem, ſi nihil aliud putas ſcribendum, doce nos, quæ litteræ iſtic colantur: quid prodeat vel novorum vel veterum. De Polybio me docuerat Remus, ſed nullus apparet hactenus. Demum de mea valetudine ſive vita, nihil mihi diuturnum habeo polliceri: dum ſpiro, in quo fui, perſevero, ſed lentior, & ἄκων deſes. Vale. Helmæ.

mæſtadio, ex Acad. Julia XII. Kalend. Quinctil. clɔ lɔ cix.

EIDEM.

EPISTOL. IV.

QUamdiu abeſtis, nihil hic neque privatim, neque publicè oritur, quod hilariores noſtras litteras faciat: contraria potius omnia. Querelę autem meæ nihil ad vos. Tu verò etiam laborum & curarum habes ſatis: ſcio ne horulam quidem tibi relinqui, quam impendas lectioni aut accuratæ ſcriptioni: neque tamen in tuis quidquam deſidero. Tu te confirma in omnibus, non ſolum, ut exiſtimationem tuam tuearis, & res tuas ſtabilias, ſed ut ςυμβολὴν à te expectatam, conferas in rempublicam. De Principe placent, quæ narras, omnia: ea confirmat Jo. Erneſtus. Vos ὁμονοεῖν ἐ ςυμφωνεῖν ἐν πᾶσιν, & opto & audio. Mirè idem prædicavit tuam diligentiam, & ad me, & ubi potiſſimùm opus fuit. Bis nobis adfuit. Non ita de multis, neque

niſi de neceſſariis ſermonem habuimus: denique intellexi, utrique iſtud onus impoſitum. Κρȣσιάδlω audivimus de multis: ad nos hactenus non venit: ruri ipſum ſalutavimus. Vale. Helmſt. ex Ac. Jul. V. Kal. Nov.

EIDEM.

Epistol. V.

ET ipſis laboribus, & perpetuitate curæ, provinciam geris ſanè duram, hoc nomine duriorem, quod expoſita eſt cenſurę & populi & procerum. Eam tamen te minus metuere jubeo, quod iſti oneri ego te non imparem ſtatuo. Ad rem facit, quod firma es valetudine, quod ſemper ſobrius, quod pervigil & impiger, quod cum multiplici bona doctrina, tum conſilio es inſtructus, cujus etiam tibi copiam parare non deſiſtis. Satius ſit, eſſe, qui te ſublevet, nec abiiſſe τὴν Κρȣσιάδην. In Megapolin venit, ut privatam vitam ageret. Commodo ſuo ab Illuſtriſſima Vidua in aulam pertractus ſecuit patriæ. σιμιάδης toties abeſt:

eſt: prædicavit autem mihi veſtram diligentiam, & alumni εὐπείθειαν καὶ φιλομάθειαν. In his autem, & in animi tui moderatione, potiſſimùm ſpes veſtræ ſalutis eſt. Tu Principi, quæ ex uſu ſint, facilè perſuades: Princeps, quæ recta eſſe, ſtatim intelligit, arripit, nec ab iis abeundum putat. Itaque ſe confirmat, non ſolùm in ipſo ſermone, ſed multò magis in moribus & rectis ſententiis, quæ ſunt decreta ſapientiæ & fundamentum felicitatis. Quæ & quam multa obſtent, video, quæ in noſtra poteſtate non ſunt. *Non deſperandum eſt, neque etiam in mediis fluctibus abjiciendus clavus: imò tenendus eo firmius, & torquendus accuratius: cætera permittenda Moderatori univerſi. Quicunque erit exitus, ſi ſanctè officium feceris, crede mihi, præclara conſcientia tibi erit pro omnibus præmiis*, & bonorum approbatio: neque eris ἀγέραστος. Vobis autem, quod flagitatis, non nego: neque magnum tamen quiddam de me polliceor. Semper autem meæ litteræ ferent aliquid, non quo tu erudiaris, cum pridem hæc teneas, & haurias ex ipſis fontibus, quantum tibi libeat, ſed quo cum confirmetur, tum oblectetur, ὀνέος Γελφιάδης: ſiqui-

ſiquidem hujusmodi libenter legit, tantiſper illud etiam fieri, non dubitabimus. Natalem mittit Diepholdius, promiſſi memor, nec indignum remuneratione munus, hodie autem, quando longius abeſtis, memoriâ. Ad unum luctum domeſticum acceſſit & alter: deceſſit enim & frater menſe altero. Rem meam omnem familiarem tradidi filiæ. Migravit enim ad me his diebus cum ſuis gener. Hoc mihi eſt commodum, & ſolatio, quando alii quoque me minus familiariter amplius utendum arbitrantur, ſive ſe à me læſos benevolentiâ putant, ſive ipſe ab humanitate in moroſitatem degeneravi. Quæ res fecit, ut per indignationem acrius nonnulla ſcripſerim in querela de malis, quæ omnibus ſeculis ferè per orbem vagantur: *ſapit, qui ſe ad omnia ſuperanda, vel toleranda, maturè parat.* Vale. Helmſt. ex Acad. Jul. Kal. Maji cIↄ Iↄ CVII.

JO.

JO. CASELII EPISTOLARUM LIBER XIV.

EPISTOLÆ AD ALBERTUM CLAMPIUM,

Primò Nobilium quorundam in locis exteris Magiſtrum,

Dein Profeſſorem in Academia Julia,

Poſt Conſil. Duc. Br. & Lũn. & Henricopoleos Prætorem.

EPISTOLA I.

CUm veſtra interſit magis, quàm noſtrâ, miramur, nihil eſſe à vobis literarum allatum, neque Francofurto, [niſi quod Moltkius ad parentes ſcripſit,] neque

ſcantur, quâ gratiâ longè gentium iter ſuſceperint, ne aut ſtatim aut inanes revertantur: ſtatim ipſi nolint; ne igitur inanes velint: nec onuſti, ut mercatores, qui triumphant, ubi rem ſe feciſſe ſentiunt; ſed auctiores animi bonis: quę non ſolùm cæteris anteponenda ſunt, ſed etiam ſola vera bona exiſtimanda. Ad te redeo, etſi neq; ab illis abeo. Quando iſtinc & quo? an adhuc iſtic vivit cum RHODINGERO MELIUS? & qui alii? omnibus ſalutem: ne præteri Scharledorfium. Quæris contra de nobis? MEæ res ſunt, quales reliquiſti. Ex amicis Stintius docet Joannis Ducis Holſatiæ filios: ejus prior alumnus agit, quod cœperat: neq; hactenus à ſinu matris avellitur. Joachimus Baſſevitius, amicus meus ſummus, aſcitus eſt in aulam à Rege vicino, nec tamen ut in aula perpetuò vivat: præmio perliberali. Gratulemur ei & gaudeamus, invidiam interdum cederere virtuti. Fuit autem legatus cum Bovorvesckio, viro humaniſſimo, magno item amico meo in cauſa Roſtochienſi. Ut hoc obiter. In gratiam priſtinam reditum eſt cum Duce & cum Rege. Scribit ad me Heliconius noſter, partiri ſapientiſ. Regem Steph. reliquam Livoniã in

in tres diœceſes, quarum Vendenſi præfeciſſe Faresbeckum, Ducarum Parnovienſi, Uxelem Korpatenſi: attribuiſſe unicuiq; præſidi villas centum. Non deerunt omnibus ſapientiæ ſtudioſis præmia. Ad ea, ut ſcis, non reſpicio: ita ſive obdurui, ſive me confirmavi. Cavendum eſſe unum, ipſa etiam humanitas, ſive litteræ me docent, ne, cum amici me ſibi præſto eſſe prædicent, quibus queam ſtudiis & officiis, ſolis liberis defuiſſe videar. Nec deſum in primo: παιδείαν intelligis: alterum non admodum eſt in poteſtate mea. Filii diſcunt: Filiæ duæ educantur in Dobertino, minima natu apud aviam. Exſpecto veſtras litteras, & ab unoquoque pleniſſimas. Vale. Roſtochio.

EIDEM.

EPISTOLA II.

QUas ad me Non. Octobr. Baſilea dediſti literas, bone Deus, quam multis menſibus pòſt allatæ ſunt! non multis ante Calen-

lendas Februarias diebus. Ego autem cum ex Corfinio accepiſſem, nihil vobis rectè curatum fuiſſe ad nundinas, putavi vos pedem loco non moviſſe. Sed vos audentiſſimi! Exaravi neſcio quid Baſileam: grandem certè miſimus faſciculum, qui fortè vos Venetias ſecutus ſit. Qui ſi periit, nihil ſanè auri ſimul periiſſe putatote: Etſi illi ſcriptioni tribui multum ſanè tum temporis. Nec ea fortè à vobis quicquam inii gratiæ: neque opera, ſollicitudine, laboribus, quibus omnibus facilè ſine reprehenſione poteram ſuperſedere & alii. Nam hic quoque diligentia mea quibusdam minus grata eſt. Verum quoniam in me hoc ſuſcepi, & recepi abeuntibus, me omnia, quæ à me proficiſci poſſent, facturum, ſic porrò faciam, ne hic mihi aliquis iraſcatur, aut vobis à me non ſatis fieri ſuſpicemini. Fortè enim aliquando rectè me & conſuluiſſe & feciſſe, cognoſcetis. Nam ego, quod alii errant, præſtare non debeo. Reprehendis enim quoddam conſilium meum: quod tibi arridet tantopere, multò falſius eſt. Sed hoc diſputare per epiſtolam, nugari ſit: mihi

hi ad nugandum nihil eſt otii. Minitaris Hortenſio: quid verò magis ridiculum? cur hic argentum non numerarunt? An ille potuit Auguſtanos cogere? Quid ſi diligentiſſimè ſcripſerint, illi negent? Neminem ignorare oportet, unumquemque mercatorem non minus lucello noctes diesque intentum eſſe, quam auceps aucupio. Sed de præteritis fruſtra agimus. Dum Venetiis eſtis, te vidit, ſed non convenit D. Cnoperus, quemadmodum recta ex Italia adveniens hoc menſe, mihi narravit. Lieber hat euch das Geld auch gedrücket? Quoties interea quæſiiſtis de litteris? de auro? jam affertur, quantum fuit poſtulatum antea, id eſt autumno. Quid ſupererit? Videre mihi videor, quanto cum malo luctemini; niſi feliciores eſtis pleriſquè. Ego monebam, omnia rectè curarent. Puto numeratam pecuniam utriusq; tui adoleſcentis nomine Gertnero: etiam illa numerata eſt, quæ curanda fuit Baſileam, ne ſitis ſolliciti. Sed vos num conſiſtitis Patavii? Scio quid antea mihi fuerit: nunc ipſi videritis, quid faciendum vobis hoc ſtatu vel hoc

Pontifice;

Pontifice; nam huc perscriptum est, & quidem ad me primùm Spira, Senis abductos XII. Germanos, mandato Pontificis, Romam, & compactos in inquisitionem; in illis esse optimum juvenem Joachimum Winterfeld & Cancellarii Sax. filium Einsiedel / quendam etiam Berlinensem. Cæterorum nemo nominabatur. Obsecro te, quid de iis factum est? Captos nesciebat D. Cnoperus: qui tamen Decembri abierat Venetiis. Sed & heri Venetiis alias à Volrado Plessio accepi, datas die XXII. Januarii, quibus ejus rei facit ille mentionem nullam, sed breves erant, & ille properavit, & fortè ad alios scripsit, quod nondum intellexi. Sed illud tamen nimis verum, quoniam ex multis locis à plurimis idem scribitur. Sed redeo ad vestros numos, sive ad vos. In extremo tuæ epistolæ flagitas ad Victorium litteras: quas cur non miserim vides, quod, ubi essetis, nesciremus, etsi ante vos in Italiam venisse comperimus ex relatu aliorum, quam vestri fasciculi allati sunt.

Nunc igitur ſcripſi ad Victorium; feci alteram epiſtolam verboſiſſimam, in qua verbo tantum veſtri mentionem feci. Cui exemplum alterius, qua vos, ut ex veſtro exemplo videbitis, diligentius commendo, ſubſcribendum curavi. Sed alteram vos perlaturos ſcripſi, & quidem ſcriptam mea manu. Cum enim de argento agatur, ſic faciendum eſſe putavi. Nam & præſcient & meam manum cognoſcent: Vos, ſi opus erit, quanquam opto, ne ſit, Victoriorum beneficio utimini. * * Verum an Muretus obiit? Ita hic audio. De Rhodigero & Melio poſt tuas litteras nihil cognovimus, neq; nihil ſum ſollicitus. Quod ſi iſtinc ſunt, utrique ex me ſalutem. Reventlovius ad filium miſit litteras cum centum Rhenenſibus per tabellarium, qui neque hodie rediit. Habebit, ſi quibus nummis præterea opus erit. Domum revertetur ante Calendas Majas. Moltkium vult pater annum adhuc Spiræ vivere. ∴ Ad tuos ſi non ſcribam, has quoque pro ſuis habento, mihiq; nihilominus reſpondento. Fortè & ad Riccobonum aliquid dabo. Perſolvam & Pleſſio. Vale. Roſtochio.

EIDEM.

EPISTOLA III.

Literas meas video tibi verbosiores fuisse; faxo igitur, ut breviores, & rariores deinceps legas. De itinere vestro exspecto ἱστορίαν. Bono consilio suscepisse vos existimo; & bene numatos Basileam rediisse opinor. Censeo quoque, ut crebrius peregrinemini. Nihil enim commodius ad continuanda studia litterarum, & rem faciendam. Sed ad iter Italicum vestrum venio: quod si dixero, quanto vobis auro opus futurum ostendas, ἅμ' ἔπος ἅμ' ἔργον, omnia impetraro. Nosti enim hasce fodinas, & horum hominum liberalitatem; prælertim si in literas aliquid conferendum sit, *sic pumices*: sin in luxum, *replectæ spongia.* Tamen vobis persuadete, neminem vestrâ causâ magis sollicitum esse, quàm ipse sim; & facturum omnia, quæ possim, sive conaturum. Succedent pleraque, modo vos æquè in officio esse intelligamus. Ego

 hacte-

hactenus orno veſtrum quemque ſingularibus laudibus, nec certè adoleſcentum quiſquam eſt, quin de eo mihi ſingulare quiddam pollicear: atque equidem trium mores & probos animos & bonos progreſſus habeo magis cognitos, quàm quiſpiam hic omnium. De negotio cum nemini cæterorum locutus ſum: conferre volebam cum Henrico Belovio, ſed eum transvolantem non vidi: per litteras docui accuratè, miſſo Martio ad ipſum in Ziledorfianum. quid putas? ibi convivia. Tamen legit litteras: placuerunt: ad rem reſpondit nihil: reſcripturum de via dixit; nec fecit, nec potuit, credo. Multis diebus aut fortè menſe pòſt venit ad nos ſenex Reventlovius cum filio, & Joachimo uxoris fratre. Sed prius dictum hoc oportuit, mater ſupra modum ſollicita eſt: quæ tamen per Martium mihi nunciavit, quicquid ego ſuaderem aut juberem, id ſe ratam habituram. Sed ita me non oportet deſipere, ut in alienis rebus quicquam præcipiam, ubi τὸ ἐκβὰν præſtare nequeam, quod nemo queat mortalium. Nunc ad illos redeo, quos ad cœnam vocaveram. Verum ipſi me &

Mar-

Martium exceperunt. Multi de vobis ſermones. Dubitat Reventlovius: ego nihil ſuadere, tantum ſcrupulos eximere. Sic eâ veſperâ depreſſi ſumus nihil ut ſtatueretur. De numis quoq; ſedulo monuimus, & curabuntur, etſi nondum cum hisce litteris. Cum tuas proximas accepero, etiam cum aliis loquar, & ſpero non reluctaturos ſententiæ meæ. Verum ſi tardius aſſentientur, & ſerius aurum mittent, quid agas? in ipſum æſtum ut in Italiam eatis, non ſuaſerim. Niſi omnia poſſint conſtitui, ut medio Aprili veniatis Patavium, aut ubi conſiſtere decreveritis, cenſeo iſtinc menſe demum Auguſto vos moveatis, fracto jam æſtu. Tamen ſi ſapis, non temerè diſcedes ab hac mea opinione. Mihi tamen totam æſtatem laborandum eſt, ne vos deficiant nummi aurei. ** Ego hæc de rebus veſtris, alii ſcribant alia: nec de meis quicquam habeo novi. Sunt eædem literæ, eædem opes, idem labor, ſed non eadẽ valetudo. Pulchrè me confirmaverã ſuperiore peregrinatione. Sed trium menſium aliena tempeſtas me ita fregit, ut ob ſolitam meam χειράγραν, nec hodie officio fungar. Si quid ex Gallia habes, ſemper nos

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

doce: puſillum hoc laboris erit. An vidiſtis alicubi Corfinium? ad eum ſcribemus. Claudius Alberius Logica edidit: Quis eſt? & nunquid præterea ſcripſit? Vale, & tuum hoſpitem ex me, quam potes, officioſè ſaluta, nec non per eum ejus patruelem Heidelbergæ nobis concilia, ut quæ mittimus ad vos, quæ mittitis ad nos, libenter curet. Ad utrumque cum vacabit, ſcribam, ſi per certos homines liceat. Etiam aliquid ad D. Joannem Grynæum dabo. Amici te ſalutant, præter eam, quæ præ omnibus à te ſalutem expectans, prę omnibus neglecta eſt. Roſtochio.

E I D E M.

EPISTOLA IV.

DUm vos iter Romanum Venetias relegitis, hæc epiſtola à me Germanicum ſuſcepit, & ni fallor, tranſitis Alpibus, vel reverſos opprimet, vel revertentes accipiet. Nec tamen ipſa quid adportat novi. Namque

Namque de auro neceſſario proſpectum jam vobis eſt: & mandata, quæ voluimus, proximè ſcripſimus, nec ea tamen de aliis, quam quæ vos facturos, nos recentes tuæ literæ deinceps docuerunt. Nullas igitur alias expectamus, ſed vos ipſos. Ubi adveneris, de tuis rebus coram: curæ enim mihi ſunt. Rex Danorum claſſem paratam habet; putatur non niſi ad defendendum. Cætera vobis notiſſima neque ignota nobis, ut opinor. De optimo Martio, ut nobis ereptus ſit, ante, vos docui. Riccobono me carum eſſe cupio: ad eum propediem ſcribam. Ad Cardorfium & Lühium non ſcribo: imo hæc eadem ſcribo, ſiquidem in tuis illi ad me. Vide ut ex una fidelia honeſtè plures etiam parietes. Domi autem ipſorum hodie rectè eſt. Si me amant, nihil novi faciunt, nec immeritò, quoniam à me amantur: hoc etiam magis, quod te amant, merito autem tuo, cui ſe cariſſimos ex ipſa re intellexerint. Si ita ſit, rectè vivitur; ſin ſecus, ne vivitur quidem. *Ut enim corpore torqueri miſerè, morte gravius, ita ſi pluſculum inter ſocios offenſæ,* cujus de vobis nulla ſuſpi-

cio, *præſtabat, notitiæ nihil intercedere.* Sed his verbis minimè opus. Valete. Roſtochio.

EIDEM.

EPISTOLA V.

VEnit ad nos Venetiis aurifex Georgii L τοῦ τὴν πλουσίαν γήμαντος κασίγνητος. Nam Venetiis uxorem duxit, ibique habitat. Is venit huc ad fratrem menſe Aprili; pluſculos dies nobiſcum fuit, inde in Daniam trajecit. Fert enim gemmas, & neſcio, quæ alia: ac ni fallor, refert domum, quæ advexit. Heri autem cum appuliſſet, rectà venit domum meam, ajens, ſe prima luce abiturum. Ita hæc ego ſemiſomnis ſcribo, ad te, an ad cæteros noſtros? ſit communis epiſtola tibi, Cardoſio, Luhio, Paridi, Anglerio. De rebus Germanicis, Belgicis & Gallicis omnia iſtuc citius perferuntur, quam ullæ noſtræ literę. De privatis igitur perpauca. Iohannes Ducarus καθολικὸς Ρωμαῖος, ὡς νῦν φασι, Lübecæ fuit ad autumnum, proficiſcens, ut alii ajebant, Romam, ut alii, in Belgium;

um ; nec enim fratri Chriſtophoro, qui in alterum annum domi meæ vivit,conſilii quod habebat, aperuit : quem hinc arceſſiverat ad ſe,dimiſit cum grandibus promiſſis. Meæ res ſunt,ut erant. Nam de ſecundis nuptiis quid cogitem ? egerunt apud me ἑλληνιστὶ Plutum Ariſtophanis; Πλȣ̃τος elapſus eſt : Πενία adhæſit,vel inhæſit potius. Itaque quid conſilii capiam , non video : qua de re ? de qua vos docebo. Tertium in Academiam Juliam arceſſor,præmio & mercede propoſita. Utrinque commodi,incommodi plurimum. Delibero, amicos conſulo,nihil vidimus hactenus : ſed ſtatuendum aliquid hoc menſe,vel certè Junio. Quicquid acciderit , non patiar vos ignorare. Jam Suerini negocia Ducum noſtrorum tractantur, conveniunt,ni fallor,omnes ; advenit ipſe Dux Adolphus,Ducis noſtri Joannis futurus ſocer; adeſt & Henricus Ranzovius,Regis legatus , à parte Ducis Sigismundi. Ad me redeo ; βεβαιότερον ſit , hic manere niſi habendam cenſeam rationem liberorum , filiarum inprimis , quas nunc domum recipiam. Otho noſter in Suecia eſt ; heri ad me ſcripſit. Paridis epiſtolam accepi:

quæ mandat, curæ erunt. Veſtras litteras exſpectamus, & quas exaraveritis, & quas exarabitis. Valete. Roſtochio.

EIDEM.

EPISTOLA VI.

Quas tu Baſilea V. Id. Sept. dediſti, nos menſe Januario accepimus. ·.·. De quibus tu quęris, mihi non libet ſcribere. De me narravi paucis verbis Melio. Præter ea accipe, me nunc tertiùm vocari in Acad. Juliam: non eſt res contemnenda, & digna deliberatione: tertiùm vocor in patriam, mercede majori, præmio etiam propoſito. Valde hæreo. Quid conſtituero, ſcies, ubi erit aliquid conſtitutum. Ante Kal. Januar. abſolvi interpretationem quatuor librorum Dionis de regno: nunc doceo ἠθικά. Edidi ſeorſim ἀπομνημονεύματα, quæ extra ordinaria opera interpretabor publicè. Quod tuas res mihi commendas, memorem mones. Quicquid potero, tibi non

non defuturus ſum. Corfinius ad me quoque Genua ſcripſit. Litteras ad eum proximè ad te miſeram: mitto alium faſciculum, itidem illo curandum. Gratificare nobis ſedulo. Salutant te viciſſim Brucæus, Nathan, Hubnerus & tuus Bartolus. Vale. Roſtoch.

EIDEM.

EPISTOL. VII.

NOn magnam voluptatem accepiſſe vos è diligentia, quam in ſcribendo adhibuimus, ex tuis cognovi, prçſertim cum numi non ſimul ferrentur. Itaque rarius & brevius ſcribendum cenſeo, poſtquam Gerhardus & David Baſilea reverſi ſunt, egerunt, quam diligentiſſimè fieri potuit, ut, neſcio quam multum auri ad mercatorem Baſilienſem, Nicolaum Waſſerhun mitteretur. Jam igitur fides veſtra omni periculo vacat. Atque eidem mercatori mandatum eſt, ut quicquid in ſumptum poſcatis, vobis ille curet.

ret. Puto igitur, quamdiu abfuturi eſtis, vobis à ſimili egeſtate non metuendum. Fortaſſis tamen iterum ſcribam hoc menſe per Joannem Rhodium, quem hic ad Idus exſpecto. Putent ambo adoleſcentes tui, mihi cariſſimi, has literas ſibi non minus quàm tibi inſcriptas. Plures exarare non vacat. Vides velle me, ut meum ſilentium etiam apud Dnm. Riccobonum excuſes. Scribo jam laudationem Principis noſtræ Eliſabethæ, Conjugis Ducis noſtri. David apud nos hic hyemabit. Tuus Bartolus diſcit, quantum libet: libet autem minimum. An vultis aliud, quàm valere? qui ex amicis iſtic vivunt, his à me ſalutem plurimam. Valete. Roſtochio.

EIDEM.

EPISTOL. VIII.

Clampio Straledorffio, Cardorvio, Luhio, Rodingero, Melio, Hahnio, Anglerio ſalutem dicit Joannes Caſelius, ne quis ſe præteri-

teritum quæratur: ad ſingulos enim hinc non queo ſcribere, ubi hoſpes ſum, & ab amicis interpellor, qui hujus horæ etiam ne partem auferant; metuo; quin hoc futurum certum ſcio. Verum ad te redeo, Clampi: nec tamen pluribus tecum agam. Quæ anxiè ſcire vis, de iis accipe. Ut veſtræ literæ allatæ fuerunt domum meam, tranſiit Roſtochium Hortenſius: ipſe affirmavit his diebus ſe certiorem factum, vobis omnia rectè reddita. Pecuniam cum grandi faſciculo literarum habebitis brevi: fortè una curabitur & altera ſumma. Valete. Lübeceæ.

EIDEM.

EPISTOLA IX.

SEptingentos coronatos Lucas Stephanus, mercator Lubecenſis, alterius diſſimillimus, vobis curabit menſe Januario, ut nobis per literas Noribergenſes proficiſcens menſe Decembri recepit. Poſtquam id aurum accepiſtis, etiam ſine literis

literis iter Romanum inſtitueritis, reverſique domum vos referetis; nec deſiderabitis quicquam amplius literarum. Quod ex re veſtra erit, facietis. Ante Calend. Jan. domum rediit Paris, qui de Georgii Baſſevitii morte primum in patria cognovit ex amicis. Sermonem cum eo non inſtitui hactenus: tantum vidi in funere matris vitrici. Nam ea cum afflixa jam lecto jaceret, non ita multis diebus poſt, magnitudine doloris, morbi & deſiderii filii, exſpiravit. Cardoſius & Luhius habeant ſibi has literas tecum communes. Valete. Roſtoch.

EIDEM.

EPISTOLA X.

NOs jam teipſum, Clampi, tu noſtras literas, opinor, non exſpectas. Has tamen dedi Iſacæ, ſi fortè adhuc Patavii eſſetis: aut ille in via vobis veniret obviam. Quid me monueris, non obliviſcor: in gratia te

te poſui apud multos, qui valent gratia & autoritate. Verum potiſſima ſunt in te poſita: quę quia tuum non eſt oſtentare, tum quod ab ingeniis bonorum nihil alienius, tum quod nihil ad provocandam aliorum benevolentiam ineptius: noſtrum erit, oſtendere, ut mercatores ipſimet merces ſuas. Ego autem neq; conſilio tibi neque opera deero: efficiamque, ut amici mei, ſi qui plus valent, tibi præſto ſint. Hoc futurum ſcio paraſti, ut non poſſideas ſolum ea bona, tanquam animi divitias, ſed etiam iis, ubi velis & poſſis, nec voluptatibus deditus, nec impatiens laborum. Quod erit in me, præſtabo, tu in te quod erit, à nemine deſiderari patieris. Detuliſti mihi veſtram operam in parandis commentariis Græcorum in Ariſtotelem: quæſo tibi curæ ſit: per etiam gratum Brucæo feceris. Nihil Aphrodiſienſis neglexeris. Ammonium etiam velimus in librum περὶ ἑρμηνείας. Videbis & de aliis. Nominatim feci mentionem quęſtionum Aphrodiſienſis de anima ſecundum doctrinam Ariſtotelis. Scripſi ad Riccobonum, cui meas reddes, vel per Iſaacem reddendas curabis. Vale. Roſtoch.

EP.

EIDEM.

EPISTOLA XI.

PUta, Clampi, quod res eſt, hæc à me ſubitò exarati & aliud agente. Γραμματοφόρος, quo ederentur noſtra epigrammata, teneri ſe pati non potuit. Edentur hoc biduo. Ea ut ante diem nuptiarum tuarum habeas, laborabimus, & habebis, ſi amici Lubecæ, Hamburgi & Harburgi eam diligentiam in tranſmittendo adhibebunt, quam nos. Vale. Roſtoch. *Sponſa tua φίλημα, non à me, ſed à te, aut ſi pateris, à me quidem, ſed per te.* Iterum vale.

EIDEM.

EPISTOLA XII.

TUas res bono loco eſſe gaudeo: non eſſent deteriore, ſi mea cura opus fuiſſet. Recordaris enim, quid tibi revertenti oſtenderim. Interea occaſio non

non defuit. Amici enim mihi per litteras significarunt, sive Witebergæ esse, sive Lipsiæ malis, alterutrum tibi locum paratum. De sententia τῶν συμβούλων ex iisdem unus itemque alter literis nunciarunt, licere mihi succedere Camerario. Ego gratias ago. Facerem enim cum incommodo meo, quod tu commodo tuo maximè faceres. Non enim ignoras, quo loco hic sim: tenui certè, sed illic eram futurus deteriore. Me verò & mihi & liberis consulere oportet. Memmius è schola Julia scribit, jussisse Ducem, denuo me accersi, quibus velim legibus. Hærebo: tamen ex his una erit, si quid tractabitur, & si quid fiet, ut ex intervallo huc regrediar. Tu ea considera, quæ non sunt brevis epistolę. De morte Regis Daniæ jam acceperitis. Quarto die, qui erat Paschatis, nuncius huc nenit. Itaque aula Ducis nostri in gravissimo luctu. Rex Christianus IV. pridie id. ingressus fuit annum duodecimum. Audi aliud prorsus tragicum:

Digitized by Google

Nocte, quæ sequebatur idus, D. Nihusius ipse sibi manus attulit: mane cadaver in lecto inventum fuit: lectus ipse cruentus, cultellus hærens in gutture: illud nocte sequente conditum in vicino cœmeterio. An desperatione ac furiis actus, an morbi gravitate victus, incertum. Namque & visus fuit multis mensibus animo peregrinari, & laboravit melancholia hypochondriaca, hoc quoque teste Brucæo. Tales pestes avertat Deus: Polonicæ res adhuc tranquillæ sunt, quantum ex Polonia & Borussia nunciatur. Igitur, quæ aliundè afferuntur, falsa esse arbitror: mitto, ut legas: mihi nemo persuaserit: nec cohærent, meo judicio. Ut literas tuas legi, statim respondi: nec quidquam, credo, desideras nunc, præter me, qui adsum per literas. Ne quæras, quid me tenuerit: atque cur quæras? qui res meas sic noveris, ut ego: nec fortè minus, quàm tuas. Vale. Rostochio.

Epi.

EPISTOLA XIII.

IN tempore fuisse tibi redditam epistolam meam sive μανλικὴν sive προφητικὴν, ut tu vocas, gaudeo: quam tamen ipse non magis προγνωστικὴν censeam, quam προφυλακτικὴν, non quidem quæ averteret, quod ab aliorum sive malitia, sive impudentia proficisceretur, sed animum tuum fortè nutantem, ut fit, confirmaret. Hoc opus esse scis etiam viris fortibus. Cum verò ex epistola tua videam, te virum esse, novam consolationem non paro. Relinquis enim cætera, ut debes, & consilium de rebus capis: quod est prudentis viri, & minimè fracti animi. Si patria te non tenet, cogere tu cives tuos unus omnes non potes, nec fas est. Non ita multò pòst te desiderabunt, quando fortè tibi non erit commodum referre ad tuos gradum. Sed utrò te conferas consilii est. Proximum est ad Oldenburgicum: quod omnium minimè suaserim. Aut enim adversus patriam consilia te oportet fabricare, quod est impium, aut in negotiis

heri tergiverſari. At demus: excipi eas cauſas: quod futurum non eſt. Excipiantur autem: cui hoc perſuaſeris? etiam vir bonus longiſſimè eam ſuſpicionem à ſe debet rejicere: tu maximè, qui in ſtudiis ſapientiæ vixiſti, & vives, & quamdiu vives. Primus etiam ſapientiæ magiſter te docuit, nullam eſſe cauſam tam gravem, quæ alienare animum à patria poſſit: *adverſus eam verò conſilia capere, vel aliquid conari, vel agere, non longe abeſt à parricidio.* Nec eſt, quod quidquam tibi omnium quis pingat. Non ſolùm enim malè audies ab omnibus (ego certè ut tibi nec maledicam, nec malevelim, tamen non probem) ſed etiam ingrediaris malorum labyrinthum, ex quo te nunquam evolveris. Hæc plenius explicarem, niſi viderem ex litteris tuis, te in eadem mecum eſſe ſententia: à qua cave te vel falſæ rationes, vel cujusque autoritas deterreat. Semper tibi eſto veritatis & ſapientiæ prima autoritas. Venio ad alterum: non disſvaſerim, etſi longum iter eſt. Hoc fortè Socer minus probet. Tu ſequeris omninò, quod rectius eſt, etiamſi incommodius

dius ſit, & ingratius aliis & tibi tuisque inutilius videatur. Loquamur enim de utili cum vulgo. Hippolytus autem, qui te amat maximè, & hanc rem ſibi curæ habuit, redit Baſileam: quod tu quoque cognoveris, cum hæc leges. In illum etiam locum cum multi confluant, minora eſſe ſingulorum commoda oportet, præmio potiatur unus & alter. Quare hic quoque tibi valde deliberandum cenſeo. Malim te in aliqua vicinarum Ἀκαδημιῶν eſſe, ut in Julia, Lipſica, Leucorea, Francofordiana. Non ignoras, illarum aularum πρώτους συμβουλεύτας mihi velle: & meum in ejusmodi negotio conſilium non repudiaturos ſperem. Sed interea menſes elabentur aliqui, nec ego de aliorum voluntate & de futuro nihil magis queo affirmare, quàm quis alius. Habes, quid mihi videatur. Quod in proximo eſt, omninò vitandum cenſeo, quod longius, de hoc deliberandum. Præcipitatio & inconſulta & omnis animi motus inimicus item conſilio. Satius eſt annum exſpectare,

ut te facti non pœniteat, quàm magnum etiam emolumentum, sive ita sit, sive appareat captare & adipisci, quod factum deinceps nolis. Prima loci mutatio erit difficilis. Si quæ secuturæ sint aliæ, vel subituræ vobis, habebunt plures difficultates. Sed hæc, imo quæ dixi, omnia intelligis: scripsi tamen, cum ut tibi morem gererem, tum ut te confirmarem. Hoc enim fiet, si à cogitationibus ad hæc respicies. Vale cum uxore carissima & suavissimo κλαμπιάδῃ. Rostoch.

Epistola XIV.

HEri multa nocte misit ad me tabellarius epistolam tuam. Noctem penè omnem insomnem egi. Crucior doloribus stomachi. Tamen hæc scripsi. Cognosces enim ternas tuas literas mihi rectè redditas. Rescribendi commoditas non fuit, nec ad eos scribendi, quos tuo nomine compellarem. His diebus Spiram aliquis mittitur, cui dabo literas ad D. Do-

D. Dobinum: & Nathan officium ſuum faciet. Quintùm accerſitus ſum, in quem locum, te non fugit, nunc præmio non aſpernando propoſito. Sive ibo, quod declinare malo], ſive non ibo, tui meminero. Sed ejusmodi aliquid ſubitò geri non poſſe intelligis. De vicinia, quod mihi viſum fuit, aperui: nec tamen me præ aliis ſapere arbitror. Scio quoq; te τȣ̃ καλȣ̃ habiturum potiſſimam rationem, quicquid egeris, nec Magiſtrum tuum dehoneſtaturum. Vale. Roſtoch. Cal. Apr. clↄ Iↄ xxcix.

EPISTOLA XV.

QUid verò, Alberte Clampi? annon te ſuffocat diuturna mearum literarum exſpectatio? Si tibi in mentem venit, quod nimium ſollicitis ſuarum rerum ſolet, me tui oblivisci, præter æquum & bonum ſuſpicax es. Sed quo magis tui intelligant rationes & conſilia noſtra, ſic accipe. . . . . .

Bene vale. Roſtochio VI. Kal. Sextil.

til. anno clɔ Iɔ XIC. D. Petrum Memmium vidi affixum lecto domi ſuæ, qui nuper diem ſuum obiit. Iterum vale.

Meminiſti ſermones noſtros de Othone. Is quo die Harburgum veni, paucis ante me horis advenerat. Dixi, quod ſemper ſenſeram & dixeram, me de novo ejus patrono peſſime ſuſpicari. Ubi Hamburgum veni, Planum eſſe intellexi. Ut rem cognoſcas, & Patrem conſoleris, & Othonem juves, quaſo te, ſaltem unam noctem Harburgi ſis. Poteris uno die trajicere Hamburgo, altero vel forte eodem reverti. De morbo pater ignoravit. Filium hortare ne negligat. Item de nominibus. Tertium vale.

EPISTOL. XVI.

BRevior ero, mi Clampi, nam & aliud agendum, & animo male affectus ſum, quod major natu filiarum graviſſime & cum periculo decumbit. Morbi dies hic eſt duodecimus, æſtuat continua febri. Ut ſpero! ut metuo! miror te ultra menſem abeſſe; magis, nihil ſcripſiſſe.

ſcripſiſſe. Ut primum in Ranzovianum veneris, aut advola, aut per certum hominem ſcribe. Quo die hinc abiiſtis, decretum fuit Concilio, ut publicè citaretur ὁ παῖς. Hoc quarto die cum reſciviſſemus, Hagius & ego omnia egimus, id ne fieret. Redierat tum Magnificus ipſe Brucæus. Ut ſuam benevolentiam videremus, diſtulit in unum diem. Sed ut ex re ipſa vidimus, reſcindi decretum non potuit. Itaque tertio die Julii illud programma citationis affixum fuit, juſſusque comparere intra menſem; menſis præteriit. Quæſivit heri ex me Magnificus, cum à filia mea diſcederet, reſpondi me ex puero intellexiſſe vos jam in vicinia eſſe & quotidie exſpectari, rogarique, ut id fraudi non eſſet adoleſcentulo, qui de re nihil cognoviſſet, neque comperire potuiſſet, quod & longius abeſſet, neque certo loco conſtitiſſet dies pluſculos. Puto facturum. Hodie enim convenit Senatus Academiæ. Vale.

Roſtochio.

EPISTOLA XVII.

VIsum mihi fuit, denuò meam in te benevolentiam testatam facere: etsi nec tu requiris, nec ad te opus erat. Nullo enim, ut te quoque putare sentio, tempore eam desiderasti, ex quo te primum novi, cum Rostochium venisti adolescens, teque in disciplinam fidemque meam potissimum ultrò contulisti. Visum tamen mihi fuit, id quoque non negligendum hodie, quod veteres tuos sodales & novos amicos præstare animadverteram, quando jam diuturni laboris tui non leve, pridemque tibi debitum præmium persolvitur. In quo hoc primum probamus maximè, quod cum à puero omnis liberalis doctrinæ fueris studiosissimus, ad hoc genus honoris nemini stultè seu ambitiosè properare visus fuisti: sed amicos refutare solebas, qui honores tibi deferrent aut proponerent. Ajebas enim, quidquid esset ejusmodi, id te non contemnere, nec æqualibus tuis invidere, modo, quo tu aspirares, aliquando per-

pervenires. Cum enim tu ad nos venires, nec puer, neque abſque adminiculis, quibus inſtructum eſſe oportebat [didiceras enim probè linguam Latinam, & Græcam deguſtaveras] neque ſubitò te contuliſti ad eas artes, quæ juvenes informant ad res in republ. gerendas, ad quas pleri que implumes, nec ingenio magno præditi, nec inſtructi doctrinis neceſſariis, neque animo ad virtutem compoſito, ſtultè evolant, quod nullo vero ipſorum bono, publico ſæpè malo fieri neceſſe eſt: *neque faciebas alterum, quod multi, qui vix aliquo ingenio, ſed inverecunda loquacitate freti, ad adoleſcentulos ſe conferunt, iisque ſubitò ſpondent à ſe ſapientiam, ſpretis Doctoribus Academiarum.* Nec verò hoc illis aliquid eſt, niſi principes ſapientiæ & ipſi conviciis proſcindant, & pro nihilo habere, imperitis præcipiant. Ita ſibi regnum ipſi poſſidere videntur: & tenent profectò regnum, quod longè latèq; patet: in quo nec urbes, nec vicos, nec arva culta, nec hortos, nec vineas videas: obſitum ſpinis & ſentibus inſcitiæ & barbariæ. Vidi ibi te ingenio ſingulari: legeras, quæ licuerat per alios, & in quæ fortè non aſpernanda incideras: didiceras.

ceras, quorum partem dediscendam censuisti postea, & hoc fateris ipse. Tum talia inserviebant tibi, si maluisses plebejum iter ingredi, quæ vix tum audieras, tecumq; ad nos perferebas, quibus folles, ut ita dicam, opinionum doctrinæ incredibilis inflari solent. Verum neque tibi ipse credidisti, & de quo rectè dubitares, persuadere noluisti aliis. Nec egebas hoc loco D. Samio: sed spōte legitimo silētio te sujiciebas. Audiebas partim alia, partim explicatiora, quàm ante: nec te deterrebat, si quid adversaretur opinionibus, quas audieras, aut si quid minus mente caperes statim: ut plerique fastidiunt, quorum dulcedinem per palati pravitatem gustare nequeunt: alii cibis quibus adsueti sint, se infarciunt, quos scilicet falso pro delicatis habeant & salubribus. Vix est è Latinis & Græcis scriptoribus, quem non attigeris, vel Nathane Chytræo, vel me duce, sive nobis auctoribus. Nec enim docentes solum audiebas, sed etiam domi nos quotidie interpellabas: id faciebas jussus, & exemplo nostrorum familiarium. Hi iidem erant sodales tui. Erant alii, sed tres omninò mihi veniunt in mentem, domestici

meſtici tum mei, quos tu colebas antè id iter ingreſſos, annisq; majores. Erat *Joannes Ducarus*, nobilis Livo, ingenio bono, pari probitate, incredibili modeſtia: tam Græcis literis, quàm Latinis eruditus: in ſermone ſuavis, terſus in ſcribendo. Hujus aliquot annis poſt in dicendo perſpicuitatem & vim, quando ille pro patria orationem habuit, *Rex Stephanus* probavit: ille, inquam Rex, cujus animi moderatio in omni vita, fortitudo in bellis adverſus Moſcum, juſtitia in adminiſtratione regni, ſapientia in publicis privatisque conſiliis, tantoperè enituerunt, ut noſtra ætate & ſeculis ſequentibus exemplar Regibus eſſe videatur, in qüod oculos & animum cum ſuo populorumq; bono conjiciant. Quod ille Rex ſapientiſſimus & cenſor tam ingeniorum quàm animorum, quod & doctrina multiplici eſſet præditus, acerrimus, de Ducaro noſtro judiciū fecit, id quando verū eſt, & ipſe ſibi gaudere, & nos amico gratulari rectè poſſumus. Et quoniam ipſe mavis ex hac epiſtola aliorū laudes, quā tuas cognoſcere: videor in hoc mihi deprehendiſſe, quæ fuêre in pauciſſimis mortalium, quæ ſcilicet aliquando neceſſe habebat de ſe prædicare

nobilis civis Atticus. Ad infenſos enim ſibi tum maximè cives ſuos Pericles profitebatur, ſe momenta rerum intelligere, conſilia quæque diſertè explicare, patriæ amantiſſimum eſſe, quicquid eſſet auri, præ uno officio contemnere. Magna hæc ſunt, quæ univerſa non facile quis adipiſcatur. Ex his tamen duo fuit æmulatus hic noſter non infeliciter: in alteris duobus illum æquaviſſe dixerim: nec tu, credo, mecum diſſentias. Cum enim ei Livones ſalutem ſuam committerent, ea primum invenit, quæ dicenda eſſent, nec diſſimulavit, quæ dicere oporteret, & ita peroravit, ut tantum Regem permoverit, & in quo placere eſſet difficile, tamen placuerit: cumque emergere ſolus ex gravibus adverſæ fortunæ fluctibus ipſe poſſet, nihil, quin eſſet cum univerſæ patriæ & cum primis ordinis equeſtris ſalute conjunctum, concupivit. Igitur etiam hodie, ſi non opibus, & ampliſſimo avito patrimonio, quod Patri bello illo infelici Moſcovitico ab hoſtibus ereptum fuit, & ab aliis hodie tenetur, certè, gloria vera floret, & tranquillitate animi perfruitur, & ſe boni

nis carum eſſe,non tam pro ſolatio,quàm gaudium primum habere debet. Nec mirum, quod optimus humaniſſimusq; *Princeps Maximilianus*, Imper. Max. II. filius, Imp. Rudolphi II. frater, in precio habet Joannem Ducarum, veterem tuum ſodalem,familiarem meum. Erat verò in tuis æqualibus, ibi civis *Joannes Corfinius*, juvenis ſumma probitate & doctrina, ut ex tam longo tempore nobis fuit cognitus: mihi & ante & poſtquam in patriam rediit : tibi & domi & in Helvetia, cum tu in Italiam, ille in Galliam iter in animo haberetis : & ambo pòſt conſilio veſtro feliciter uſi fuiſtis. Corfinius ut ad nos rediit,quæ non etiam ad boream regna perluſtravit ? Senatorem his diebus factum audivimus: quem honorem ita geret,ut verbi Biantei memor, *æquum ſe in omnibus & conſilii non egentem* civibus prębeat : certè ab ambitione longè remotiſſimus eſt, & avaris ne pecuniam quidem tutò credi exiſtimat. Sic enim ad me in epiſtola. Visne verò, ut ſubjiciam tertium ? ac certè in ſermone noſtro his diebus feciſti mentionem *Detlevi Raſcii*,qui tum nobiles adoleſcentulos

tulos

tulos ſumma fide erudiebat: jam ludo literario Verdę præeſt, quem Prȩſul Eberhardus ſub id tempus aperiri jubebat. In hoc munere ſe tot annos gerit, ut boni induſtriiq; formatoris pueritiæ laudem non difficilius tueatur, quàm invenerit. Id enim ſibi omninò curæ eſſe oportere, quod initio ſtatuit, in eo perſeverat, ut teneram ætatem ad bonos mores flectat, & iis initiis imbuat, quę ad diſciplinarum graviorum perceptionem, neceſſaria eſſe, homo non plebeja, ſed eleganti doctrina prȩditus, intelligit. Igitur diſciplinæ Raſcianæ alumnorum, qui ſe in Academias conferrent, neminem operæ tali Magiſtro datæ, pœnituit: quotquot ab eo ſtatim abiiſſent, aut abſtracti fuiſſent, omnes pœnituit. Videmus enim, ut plurium diverſa ſit & prorſus improba ratio: qui mores & animos ad modeſtiam minus fingunt, in quo ſapientes ineſſe docent omnia: ſed ea urgent, quibus inflati opinionem doctrinæ falſam ſibi adoleſcentuli perſuadeant: quod idem vulgò facilè perſuadetur, quando eos nec unquam ſilentium tenentes, & contentioſè rixantes audiunt: atque

atque hac ratione pleriſque niſi vel ingenii bonitate, vel aliorum conſilio revocentur, aditus tum ad veritatem, tum ad virtutem intercluditur. Vis enim primæ conſuetudinis ad vitam & opinionis primò imbibitæ ad doctrinam magna eſt: quorum prius quotidie multi experiuntur, poſterius & ego admodum & tu non nihil expertus fuiſti. Quare bonos pueritiæ educatores, & ipſe magni facio, & auctor ſum aliis, ut tales colant, &, quorum hoc eſt, honeſtè liberaliterq; habeant. *Sæpe* quoque indignor penuria mercedis ludos negligi & perire. Laudandus eſt Præſul ille, quem dixi, qui mercedem magiſtris liberaliter decreverit. Perſæ etiam viderunt, quid eſſet poſitum in prima educatione, nec minus, quàm in virgultorum inſitione, quæ videlicet, ſi fiat perperàm, nihil eſt, quod fructus arboremve ſperes: quantumque deberetur primis educatoribus. Nam ſi Xenophonti credimus, ſuperiorum curiarum magiſtris, quas illi diſciplinæ patriæ quatuor habebant, ſi qui ex alumnis virtute & arte aliqua excellerent, gratiā habebant, ſed eodē hoc nomine gratiam

minorem habebant iis,qui primi initium viæ regiæ pueris monſtraſſent, & eos in honoris gradu infimo collocaſſent, nec minore tamen ſtudio, quàm eoſdem promoviſſent altius alii. In hasce cogitationes me trahunt amici noſtri veteres: quorum commercio, qui te uſum ſtatim intelligentes ſuſpicabuntur, ut te in adoleſcentia geſſeris. Quod enim Euripides de malis ſcripſit, de bonis perinde ſe habere, quisque apud animum ſtatuit: γινώσκων, ὅτι τοιοῦτός ἐστιν, ὅιαπερ ἥδεται ξυνών. Sed jam ab æqualibus tuis, quos habebas in cæteris ſuaviſſimos, ad doctores, ſive ad litteras redeo, quas magni faciebas omnis generis, ſed colebas alias præ aliis, ut nullas contemneres: nec ullæ tamen erant, quas non deguſtares, ut quæ tui ſtomachi animive eſſent, pernoſceres. Cum poëtas & oratores legeres: [nec dicam verò de utriusque artis præceptis, neque de inſtrumento veritatis, neque de indagatione naturæ rerum) cognoſcendam tibi quoque hiſtoriam putaſti: in qua cum opus eſſe cœleſtium orbium ſcientia, & deſcriptione partium orbis intelligeres, quæ

diſci.

diſciplinæ à Gręcis nominantur, eas acceptiſti ab eximio Doctore *Henrico Bruceo:* qui tum Geographiam divinitus tradebat. De nobis, quos audiebas, dicam parcius: verum hic vir integerrimus, amicus meus, te & tum amabat, & in hunc diem habet in cariſſimis, quod tibi oſtendit, cum anno abhinc altero unà eſſemus, deque tuis rebus ſermo incideret, quando ipſe quoque amicos ab amicis diſcrevi. In reliqua etiam parte epiſtolæ ero brevior: vel quia quæ ipſemet videram, copioſius haud difficulter poſſum perſequi, vel quia ad finem epiſtolæ propero. Multa enim jam mihi in mentem venerunt, quæ recordor libenter, nec tu invitus cognoſceres: & veniant, dum hoc ago, plura, & animum & calamum quaſi frœno inhibeo: adeóque vix à Varno queo digredi, prorſus ut ægrè tum te à nobis dimittebamus, etiam cum aliò ire jubebamus. Audieras verò ex me ſæpius, de legum ſtudii dignitate & uſu, quidque inde tibi & tuis polliceri poſſes; nec meo conſilio, & Laurentii Carcovii, magni JCti, vicini, collegæ & amici mei, reluctabaris. Qui tantũ

vident, quę in pedibus ſunt, nec tam deſiderant ipſam diſciplinam juris, quàm honorum umbras opesque vigilantibus ſomniatas ſitiunt; periiſſe tibi adoleſcentiam autument: qua tamen tu animum ad rectè vivendum corroboraſti, & tantum de cumulo ſapientiæ tibi deruiſti, ut quibuscum fueris & deinceps futurus ſis, de quibuscunque ſermo incidat, nec arrogans, nec doctrinarum negotiorumq; ignarus videri poſſis. In hac parte vides, ut ſim parcior: ad cætera provehor. Itaq; cum ad Nicrum veniſſes, nemini non gratus fuiſti. Ut enim ſtupor & inſcitia jacent: ſic virtus & ingenium ſive literæ magnam in ſe poteſtatem habent, intelligentium & bonorum animos penetrandi ſive conciliandi. Redibo tecum in memoriam, ut cum te viderit doctum juvenem juri civili operam dare vir ſummæ doctrinæ & acerrimi judicii, *Valentinus Forſterus*, unus doctorum juris abſque invidia doctor, te complexus fuerit; te conſilio juverit. Sic enim mihi primum narraſti per litteras: id quod poſt in ſermonibus noſtris uſurpavimus. Ubi veniſti Baſile-

am, duo te in primis habebant, ambo doctiſſimi & juris conſultiſſimi viri: qui etiam reliquæ virtutis & omnis humanitatis laudem merito ſuo ab adoleſcentia adepti fuerunt: cives Baſilienſes ambo: alter à majoribus, alter cum patre civitate donatus. Doctrina illuſtris eſt familia Grynæorum. Magnus vir & ſummus potius Simon Grynæus fuit, cujus nomen, virtutem, vitæ ſanctimoniam, multiplicem & veram doctrinam & officium (quod verbum ſive quam rem ego ceu faſtidium cæteris impono omnibus) quis ignorat, qui Latinas Græcasque litteras ſaltem leviter attigerit? Hujus ſummi viri filius, & ipſe vir magnus Samuel, humanitate doctrinaque præſtans, legum interpres eximius, quem virum minimè ambitioſum honor ab adoleſcentia ultrò ſecutus fuit, & animo & hoſpitio te excepit, aliosque adoleſcentes Megapolitanos: quod mihi ſæpè prædicaſtis: te verò non ut hoſpitem, ſed ut ſuum & æqualem habuit. Nec ei in te amando ceſſit Hippolytus Vicetinus,

cujus majores à collibus dicti fuerunt: vir corporis & ingenii dotibus cumulatè ornatus: cujus fidei civitas amplissima prima negotia credidit. Utriusque tu amicitia, quàm beneficiis uti maluisti: & illa ipsa beatior, Patavium te contulisti: ad quos viros? *Pancirolam & Menochium*: quos qui cum fructu audiat, is juris sapientiæ magnum jam spatium oportet confecerit. Sed de his viris nec ad te, nec ad alios, plus verborum facere debeo, quod neque legum Romanarum dignitatem intelligere, neque nomen audivisse mihi videtur is, qui eos juris antistitum hujus seculi principes nesciat. Tu quid & quantum ex uno quoque acceperis, tuum erit prædicare. Quam diu autem in eo spatio fuisti, nec eloquentiæ studium seponere, nec verò sapientiæ potuisti. In utroque enim radices egeras. Coluisti igitur & homines doctos, teque vicissim non diligi solum, sed coli etiam sensisti. Familiaris & carus fuisti Patavii *Antonio Riccobono*, uni ex principibus doctrina eleganti variaque præstantium. Nec est eloquentiæ & litterarum humanitatis magister

hodie

Digitized by Google

hodie potior in Italiæ Gymnaſiis. Cum illic eſſes, quàm te amaret, quanti te faceret, ſcribebat. Vidiſti ex ejus ad me litteris recentibus, quàm ſe à nobis amari, colique gaudeat. In quo cenſeo perſeveremus, quando & vir bonus eſt, & homo doctiſſimus, & nobis vult ob haſce litteras, & adoleſcentes noſtros omni benevolentia proſequitur: præſertim, ſi quis à nobis epiſtolam ferat. Nondum abieras Baſilea, quando Bononiæ diem obiit *Carolus Sigonius*, qui & eo loco & antè Patavii ſumma cum laude docuerat: cujusque monumenta, quibus veterem & novam hiſtoriam illuſtravit, puro ſtylo & magnificè ſcripta in manibus habemus. Cujus videndi audiendique deſiderio, cum unà viveremus, teneri te memini: magno item *Petri Victorii.* Erat in vivis adhuc ille, bono litterarum ac virtutis natus, quaſique aliquis in montibus Etruſcis Chiron, cum tranſiſſeris Alpes, agens jam annum XXCVI. cum etiam tum meditaretur, doceret, & ſcriberet. Iis viribus corporis animique fuit, quas nulla re corrupit, ſed laboribus omnique ratione confirmavit. Deceſſit

tamen prius, quàm vos ſuſcepto itine-re Romano, veniſſetis Florentiam. Ut verò deinceps tuus in patriam reditus tuis gratus fuit? ut ipſi patriæ? Atque hæc ſuum ſtudium ultrò tibi detulit, tuum officium requiſivit: feciſti te dignum, qui nihil patriæ negaveris, eo nomine te amant, ſemperque amabunt cives tui, boni & intelligentes. Nec verò hoc fieri poteſt, ut quis omnibus ſatisfaciat, aut qui etiam hoc aſſecutus videatur, nullis invidiæ telis petatur. Eſt ejus belluæ perpetua in bonos immanitas: ſed eadem è ſe natos, & de ſe nominatos graviſſimè ulciſcitur: mirumque hoc adeò eſt, ut quę ſit omnium furiarum iniquiſſima, quaſi repentè Adraſteæ perſonam induat, pœnas ſine miſericordia ſumens de invidis: atque eos ſi non in calamitates alias demergit, intimis pręcordiis excruciat: quæ maxima eſt calamitas, niſi ipſos non manium ſed ſuperſtitum dicas inferos. Premere innocentiam invidia, opprimere non poteſt. Fortiter abs te factum fuit, quod eam non metuiſti: ſapienter, quod eidem ceſſiſti ſine animi moleſtia. Simi-

les

ipſe quoque tempeſtates, ferendo;
ene cùm dicendo,tum faciendo, fre-
ex quo aliquid in vita videre cœpi:
etiam conſilio obtinui, ut qui me
gerent, amarent: qui minus ama-
it, diligerent: qui non diligerent,
que tamen aut odiſſent, aut odio
num judicarent. Hoc de me nimi-
: de te loquar. Amicos retinuiſti,
erant in patria: habes alios in Me-
oli: neque verò hic nullos habes,
lures quotidie iis artibus invenies,
bus, quos habes, paraſti. Ipſe es
ertus & aulæ & Academiæ in te ani-
m: & hic dies illuſtre documentum
t ſingularis in te benevolentiæ juris-
nſultorum. In horum enim ordi-
m ampliſſimum cooptat te de omni-
ſententia, *Andreas Cludius*: de cu-
juris ſcientia quid attinet dicere?
æ ipſi cùm haud ita multis communis
: per equidem pauci ea ſunt in ver-
comitate, ſuavitate in moribus, ea
æ animique integritate, ea facundia,
luſtria, & officio. Eſt igitur, cur te à
to viro ornari gaudeas: & ipſe verò
luptatem capit ex hoc ſuo in te ſtudio,
quod

tamen prius, quàm vos ſuſcepto itinere Romano, veniſſetis Florentiam. Ut verò deinceps tuus in patriam reditus tuis gratus fuit? ut ipſi patriæ? Atque hæc ſuum ſtudium ultrò tibi detulit, tuum officium requiſivit: feciſti re dignum, qui nihil patriæ negaveris, eo nomine te amant, ſemperque amabunt cives tui, boni & intelligentes. Nec verò hoc fieri poteſt, ut quis omnibus ſatisfaciat, aut qui etiam hoc aſſecutus videatur, nullis invidiæ telis petatur. Eſt ejus belluæ perpetua in bonos immanitas: ſed eadem è ſe natos, & de ſe nominatos graviſſimè ulciſcitur: mirumque hoc adeò eſt, ut quę ſit omnium furiarum iniquiſſima, quaſi repentè Adraſteæ perſonam induat, pœnas ſine miſericordia ſumens de invidis: atque eos ſi non in calamitates alias demergit, intimis pręcordiis excruciat: quæ maxima eſt calamitas, niſi ipſos non manium ſed ſuperſtitum dicas inferos. Premere innocentiam invidia, opprimere non poteſt. Fortiter abs te factum fuit, quod eam non metuiſti: ſapienter, quod eidem ceſſiſti ſine animi moleſtia. Simi-

los

lés ipſe quoque tempeſtates, ferendo, & bene cùm dicendo,tum faciendo, fregi, ex quo aliquid in vita videre cœpi: quo etiam conſilio obtinui, ut qui me diligerent, amarent: qui minus amarent, diligerent; qui non diligerent, neque tamen aut odiſſent, aut odio dignum judicarent. Hoc de me nimium: de te loquar. Amicos retinuiſti, qui erant in patria: habes alios in Megapoli: neque verò hic nullos habes, & plures quotidie iis artibus invenies, quibus, quos habes, paraſti. Ipſe es expertus & aulæ & Academiæ in te animum: & hic dies illuſtre documentum edit ſingularis in te benevolentiæ jurisconſultorum. In horum enim ordinem ampliſſimum cooptat te de omnium ſententia, *Andreas Cludius*: de cujus juris ſcientia quid attinet dicere? quæ ipſi cum haud ita multis communis eſt: per equidem pauci ea ſunt in verbis comitate, ſuavitate in moribus, ea vitæ animique integritate, ea facundia, induſtria, & officio. Eſt igitur, cur te à tanto viro ornari gaudeas: & ipſe verò voluptatem capit ex hoc ſuo in te ſtudio,

quod

quod hominem & hoc honore digno, & majoribus præſtare ſe, ni fallor, ipſe quoque judicat. Fruere verò tu, *Alberte Clampi*, iis bonis, quę adeptus es, & præcipuè, nec vulgaribus, & multis annis, nec labore parvo partis, animi dotibus. Verum quicunque fuit ille labor, nec magnus fuit, nec injucundus: quod ſi deinceps perpetuus, & nec parvus, ſubeundus tibi & tolerandus erit, puta eundem tibi fore quoq; jucundiſſimum. Namque ita fit, ut quantò ſunt actiones noſtrę perfectiores, hoc ſint ut plurimum faciliores, nobisque ſemper plus voluptatis ferant, *præſertim ſi pluribus & reipublica eadem ſint fructuoſiores: quò qui non reſpiciunt, ſive ad opes inopes, ſive ad noxias voluptates, ſive ad inglorios honores, ſive ad impotentem dominatum ſe referant: nec verum finem in animo, nec auctorem omnium in conſpectu habent.* Vale. Helmſt. in Acad. Jul. X. Kal. Apr. Anno cIɔ Iɔ xci.

EPISTOLA XVIII.

ANte pauculos dies exarabam alteras litteras, quas ſtatim per Voshænium

nium ad te mitterem, qui reditum tuum iſthic exſpectaret. Venit in mentem, te opinione tua preterque voluntatem tuam à tuis retentum diutius: ſimulque plus de negotio ex genero ab aula redeunte cupivi cognoſcere. Narrat clarè, ſed clarius D. Cludius ex ore Principis. Itaque pervelim te in aulam declinare. Sed quo minus dubitares, juſſi hunc Chriſtophorum meum ex ipſo Cancellario, ſi è comitiis provincialibus rediſſet, (redibit autem hodie aut cras) quærere, quid probaret. Feceris ex re tua, & mihi fueris gratificatus. Vale. Helmſt. XXII. Jun. ciↄ Iↄ IIII C.

EPISTOLA XIX.

A'πολογίαν tibi legendam mittimus: eam, cum Dn. Othone & quibuscum præterea videbitur, communicabis. Exemplum ad nos remitti cupimus. Nobis alterum illius libellum videre nondum contigit: tartareos ex eo floſculos amicus nobis retulit. Compoſuit

&

& Dialogum, quem inſcripſit PHILOSOPHO-THEOLOGON, & ibi ſimiles habent labra lactucas: qualia ab eo ſperari poterant, talia ſcripſit: & quidem initio larvam ſibi fingit, quacum in eo opuſculo luctetur. Vale. Helmæſtadio ex Academia Julia IX. Kal. Nov. cIↄ Iↄ IIC.

EPISTOLA XX.

Vides, qua fide nobiscum agant, quos exemplum fidei eſſe oportebat: nec illius novi conſilii conſcii fuère duo medici. Latere igitur autores non poſſunt. Illum alterum διαβολιῶν libellum nondum vidimus, etſi ante Kal. Sept. miſſus huc fuit. quotidie magis magisq; comperimus quàm homo ſua mendacia per has & vicinas provincias & literis & ſermonibus ſuorum diſſeminet. Hæc heri ſcribenti intervenit ipſe Cornelius, & ſtatim D. Caſparus, non ingrata interpellatione. Narrabat enim mihi ex epiſtola

la Parcovii, pridie ex legatione rediſſe Cancellarium. Itaque de eo, quod proximè quoque flagitaſti, nec ego unquam oblitus fueram, & ante abitum ſedulo rogaveram, iterum ſcribam, etſi confectum jam & in promptu eſſe exiſtimo. Ut jubes, mitto ad te Mulorum tuorum gregem. Fac, quemadmodum polliceris, ut auctior propediem recurrat. Novi enim genus animalium, ut ad canendum ipſis Muſis par, ita ad calcitrandum animoſum & velox. Hæc ego ſemper credidi; ſed proh dolor idem magno meo malo, hac ætate, qua requieſcere pervelim, experior. Vale. Helmæſtadii pridie Non. Novembr. cIↃ IↃ LXXXXVIII.

EPISTOLA XXI.

De negocio verè & luculentè ſcribis. Tertiam ὑπερασπιςοῦ partem ante Kal. Januar. perfecero. Bidui labor eſt. Priores miſi Magdeburgum; etiam Grœningam

ad

ad Delium, cum hac clauſula: eſſe ipſius prudentię, cui quid quando ex iis referat. Miſi & programma, cujus tibi quoque cenſendum exemplum mitto. Nihil malim, niſi ſub initium lectionum mearum publicè affigere: vix tamen auſim, etſi illa vera omnia; & hoſtis noſter, lite pendente, non deſiit ſpargere calumnias ſuas: tamen annon rectè ordiar à periodo: Recodamini, Auditores, &c. An mula nondum peperit? Vale. Helmſt. II. die γενεθλίων Σωτῆρος cIↃ IↃ IIC. A Deo benigniſſimo vobis omnibus fauſtum annum precamur.

EPISTOL. XXII.

SUperiores litteras deſcribebat puer, cum domum meam introiit tabellarius Diepholdii: in faſciculum tuas quoque binas conjecerat, quæ non ἀναντιφώνητοι erunt ab omni parte, ſi meas illas priore loco legeris. Nam quod vel primum eſt, vides moræ cauſſam, & eam nimis juſtam. Trepidatur

datur per totum oppidum perpetuo hu-
jus mali metu: funera ſunt quotidie, in-
fantium præcipuè & anuum, ſed & pueri
& quotquot tenuiores ſunt, non leviter
periclitantur: καθ' ἑβδομάδας καὶ καθ'
ἑκάστην ἡμέραν πλείους ἀποθνήσκουσιν ἢ πότε ἐν
λοιμῷ, καὶ ἡμεῖς δὲ οὐ πάνυ ἀφοβοί ἐσμεν· οὐ γὰρ
ἀπὸ δρυὸς, οὐδ' ἀπὸ πέτρας ἐγ εννήθημεν. Mihi
amplæ ſatis familiæ perpetua cura in-
cumbit: vel quanta hæc una eſt & quàm
ſumptuoſa, ut ſalubria alimenta præbe-
antur? nec ea ſuſcipitur abſque jactura
rei familiaris, nec copioſę, nec firmę.
Cum modò prodiiſſem in funus filiolæ
οἰκονόμου, filius Oveni mihi narravit, pa-
trem prorſus decumbere, & heſterna ve-
ſpera potiſſimaque noctis parte peſſimè
habuiſſe. Nobis autem eum adire, non
eſt integrum, quando hæc δυσεντερία non
vacat contagio: ad ægrotum lectulos
ire, & cubilia ingredi vetant medici. Ja-
cet jam dies octo: ſi ſe colligat, cujus
plurimum intereſt, mittemus noſtra bi-
duo triduove. Sin morbus erit diutur-
nus, nos tamen mittamus, quæ modo
pangit Cornelius. Ea enim ſe biduo
abſoluturum putat: die uno item de-
ſcri-

ſcribentur & altero. In ejus fidem nihil affirmarim. Scis enim, ut interdum abſtrahatur. Tamen urgebo, ut perferantur Nonis. Tot autem menſes vide, quid mali pepererint controverſię: quas ille produci velit in annos etiam plures. Sic enim *πάντων ἀπαιδεύτων καὶ πονηρῶν* animos occupat, & triumphet *βίᾳ καὶ ὥς φασιν ἀέκητι θεῶν, εἰ καὶ τοῦτο ἀδύνατον.* Fruſtrà id tentavit quidam: neq; hic proficiet, etiam ſi Acheronta moveat: *μετὰ ὁμοψήφων καὶ συγγενῶν*: tanto odio æſtuant erga bonas literas, ut ad eas delendas vel obſcurandas omnibus malis artibus ſibi utendum putent. Eſt enim quid pejus mendaciis & calumniis? Non poteſt autem, quin hæ peſtes ſemetipſas præcipitent, atque ita teſtatam faciant omnibus non ſolum *ἀμουσίαν, ἀλλὰ καὶ πονηρίαν.* An audet verò ille facere ſocium noſtræ controverſiæ Cancellarium? qui ſuam cauſſam à noſtra ſejunctam voluit, & eſt, ni fallor, alia: quamquam apparet, quid fraudum architectus voluerit. Quia verò & Principem attigit, quid eos malle, quàm ſeditionem exiſtimemus? *ἵνα πάντων αὐτοὶ τυραννῶσιν,*

ὅπερ

ὅπερ οὐ δέπῃ ὁ ἀρχιποιμὴν, οὐδ' ὁ μέγας αὐτοῦ ἀπόστολος κελεύει, ἀλλὰ τἀναντία ἅπαντα. Εὐχοίμην ἂν μεθ' ἱκετίδων, ἄλευσον ἀνδρῶν ὕβριν ἐυστοχήσας. Quod vis, ut Duncanum tuo nomine compellem: ego verò etiam cum Parcovio locutus ſum, eiq; illa tua verba retuli: miratur flagitationem tuam: ſcire enim te, ut quod uni in morbo ſaluti eſt, alteri in eodem, exitio ſit: & in hoc verti artem univerſam medici, qui pręſens non ſemper ſubito videat, quid opus ſit: quod ille vel ſcribet, vel dicet, habebis. quod autem λοιδορημάτιον mandato tuo addis, facis benignè. Quis enim acrius flagitat, magis exſpectat, accuratius legit tuas epiſtolas? Quamq; advenientem ſolus initio lego: lego iterum cum Duncano: lego tertiùm cum Cornelio. Horum enim menſium rationes id noluerunt. Lego cum filio deniq;, qui etiã delectatus ſtili tui luculentia Clampianas colligi & ſeponi voluit. Sed fortè tu meas non niſi percurris, quod etiã ſatis eſt. Tibi ſuſpicari libet, quia interdum ad tuas αὐτοχεδιάζω, quando feſtinandum eſt, nec omnia capita tango, quod tamen facio, ſi fortè tuas ſepoſuerim. Dices tam longa purgatione

opus non fuiſſe : nec opus erat brevi objurgatiuncula. Sed in his nec ſimultatis nec iræ veſtigium eſt. Neſcio, ſi ita loqui liceat, quod ſit fatum Academiæ : proximo Senatu Academico (abſui autem ipſe) contentiones novæ graves & ferè capitales exortæ duæ : de quibus fari liberè velim, ſcribere nec volo, nec debeo. Hæc dum ſcribo, adeſt Duncanus, ut dictet, quæ velit : exorſo autem mihi περὶ ἐρίδων, τὴν τρίτην αὐτὸς ἐξηγεῖται. Quarta & ea acris, ſublata eſt jam obitu Daſypodii. De genero monent & alii : verum tu noſti, quam multi in ejusmodi ut in prædam inhient, & exerceant Aſcræum. Ad glorioſum dicam, μὴ ἀλαζονεύεσθαι : neſcis enim, quid ſerus veſper vehat : μεμψίμοιρον bono animo eſſe jubeam. Etenim βάρδισται μακάρων ὧραι φίλαι, ἀλλὰ ποθειναὶ ἔρχονται θνητοῖς. Etſi jam habes, ut puto, ad omnia : tamen tu aliquid deſiderabis, & ego plura. Sed mecæna, tabellarium porta vocat. Filioli & veſtrum omnium valetudinis curam gere. Vale. Helmſt. ex Ac. Jul, Kal. Aug. cIↃ IↃ IↃ.

Epi

EPISTOL. XXIII.

DE nova Academiæ Juliæ ærumna scripsi proximè. Contagium autem hoc etsi non ita terribile, tollit quotidie aliquos, tentat plurimos: infantuli pereunt, in quibus ad dysenteriam accedit epilepsia: sic & Potinii filiola extincta est: efferebatur quarto abhinc die unà cum Doctore Dasypodio. Funus non deduxit Pater: affectus erat tum gravius νόσῳ τινὶ ἅμα καὶ πάθει· ἀκινδύνως δὲ ἔχει, ut promittit Medicus: ita & Ovenus. Facit hujus morbus, ut quæ Cornelius scribit in hostis nostri ἱερὰς συκοφαντίας, ad dictum diem non mittamus: quo nomine nos purgamus ad Reverendissimum, Illustrissimum, ne quis novus calumniator contumaciam interpretetur: ille si audiet, dicet nos pavitare, & sibi triumphos finget. Quamprimum commodè convenire poterimus, novam, etsi breviusculam Apologiam, mittemus. Reverendissimo Illustrissimo litteras nostras per Cancellarium, si redierit, quod

quod non arbitror, reddi velimus: ſin; per Delium: ſin & hic abſit, aut ipſe reddes, aut ut rectè reddantur, videbis: quod te magnoperè rogamus, & ne quid morę injiciatur. Vale. Helmæſtadio ex Academia Julia IV. Kalend. Aug. cIↄ Iↄ Ic.

EPISTOLA XXIV.

QUod faciendum erat, abrupi epiſtolam, pollicens alia de eo, qui nobis tot menſes faceſſit negocium, & magnos adhuc, ut audio, ſpiritus gerit, quaſi veritatis patrocinium ſuſceperit, nec ullius ſibi malæ artis & calumniæ conſcius ſit, qui ſtatuâ taciturnior exeat, ſi mentiri & συκοφαντεῖν deſinat. Nos verò in hoc negocio perpetuos labores toleramus, nec exiguos ſumptus facimus: tacebo de animi mei indignatione, quam interdum converto εἰς γέλωτα: quod ſemper facit Cornelius. Sunt enim omnia ei ludus jocusque; ſed alia eſt mea ætas, aliæ meæ rationes. Poſtquam

Digitized by Google

quam abſolvit noſtrum ὑπερασπιστὴν contra improbi & abſurdi hominis conſequentias, quibus nos, ſi Diis placet, accuſat tot ac tam tetrarum hæreſeon, & duos præterea libellos expoſitos duobus illis ſcriptis perquam putidis: (nam quem vernaculâ linguâ Πανούργου libellum nacti fuimus, ad eum nihildum reſponſum: reſponderi tamen, ſed vulgari linguâ neceſſarium arbitramur propter idiotas & γυναικεῖον;) ipſe die abhinc quarto Grœningam abiit, noſtra illa ferens ſecum. Ego quid certi nobis aut ſperem, aut metuam, neſcio: præſertim cum cogito, innocentiſſimos viros & plerumque optimè meritos apud bonos quoque Principes & in optimè conſtitutis Rebuspublicis, alios in exilium actos, alios pecuniâ mulctatos: alios capite plexos. Veritas quidem ipſa à ſycophanta opprimi non poteſt; & innocentia prædicatur, etiam cum innocens periit. Quibus ille fretus adeò obſtinatè tam nefarium & impium negocium gerat, te non fugit: adde, quod tam pervicaci ingenio eſt, ut vel inferos in nos

concitet. ∴ ∴ ∴ Vides ut in graviſſimis etiam curis domeſticis hoc agam potius. Adoleſcentem alo, qui non niſi illa ſcribit. Pauculis diebus noſtra tibi legenda mittam: niſi fortè Cornelius iſtuc venerit. Fortè enim ad acta referre juſſus ſit. De nuptiis item proximè, quibus diem diximus nonum Septembris. Ovenus reviviſcit: Potinius in publicum nondum prodiit, nec Joan. Erneſtus: hi valde debilitati morbo, & ſupra modum κακοστομάχως ἔχουσι. Miteſcit autem malum. Funus de die fortè unum aut alterum, interdum nullum: nec heri fuit. Graviſſimè autem ſævire hęc fœda lues per plures regiones ſcribitur, ubi nec idonea remedia inveniunt Medici. Hîc palmam obtinuit Duncanus, quicum ſentit Parcovius. Vale. Helmſt. ex Ac. Julia id. Aug. clↄ Iↄ IC.

Epistola XXV.

ETiam id malum iſtuc irruiſſe, ſanè doleo. Eſt profectò ἐπιδήμιον, quod in Sileſia & in Marchia graſſari, imò à Rheno uſque huc à certis

tis

tis hominibus accepimus : neque dum hîc evanuit, etſi pauciſſimi deinceps corripiuntur. Tollitur aliquis ex intervallo. Pluſculos dies ſine funere vidimus. De tuis puta me non minus eſſe ſolicitum, quam ſis ipſemet. Jubet Duncanus ſobriè vivere, quod vos monere non eſt opus, vitare loca, in quibus ægri, puris alimentis uti. Vale. Helmæſtadio ex Acad. Julia VI. Kalend. Septembr. CIↃ IↃ IC.

EPISTOLA XXVI.

PUtabam me biduo triduove miſſurum, quæ pollicebar. En tandem & Dialogum & Refutationem: Aſpera hęc eſt, ſed, ut videbis vera. Ille inſulſus, *γέμων ψευδῶν, διαβολιῶν, βλασφημιῶν*: tamen ſi Inſcitia & Superſtitio ſententiam ferent, nos cauſſâ cademus; ille vicerit & in triumpho nos ducet. Ut verò quorundam animi vacillent, & illius autoritatem fulcire aveant,

& apud nos & iſtic, ſæpe audio, vel quia negocium non intelligunt, vel quia nobis non favent. Frencelius miros mihi ſermones narravit, quos habuerit iſtic cum fratre Nyſſeni. Arbitratur ille, rem leviculam facilè poſſe componi. Erat quidem initio, cum ille verum profiteri verbo poterat: ſed cui præ ſuo dominatu veritas odio fuit, in tot ſe laqueos præterea induit, è quibus quicquid fuit eritque Sophiſtarum, eum non expedient: evomuit virus ſuum, non ſolum illo die, præſente te, ſed ex eo ipſo in hunc diem: nec quem finem facturus ſit, videre poſſumus, quorum omnium ille nunquam quidquam agnoſcet, ſed Deum immortalem teſtabitur, ſe omnia feciſſe & facere ζήλῳ. Sed ego te teneo à lectione eorum, quæ mittimus: quæ, ſcio, non depones ante, quam exhauſeris. Lecta Delio reddas, aut reddi curabis cum litteris. Is tempori referet κριτῶν ἀρίστῳ καὶ ἄνευ ἀδεκάστῳ. Ego per valetudinem, domeſticas curas & publicas operas in τῇ ἐπι- ερασπιςῇ non perrexi: ſub Kal. tertium librum abſolvero. Si ὁ Ἄρχων iſtic ſit, aut veniat,

veniat, velim cum eo περὶ παιδαγωγοῦ loquace: tum ut de fide mea conſtet, [fieri enim poſſit, ut literæ meæ perierint,] tum ne quis ἄχρηστος obtrudatur. De qua re vel generum meum audieris, vel audi. Ex eodem audies, ut ſponſalia filiæ Annæ Sophiæ ad *Invocavit* inſtituerim: [is eſt Febr. dies XXV.] Ero nunc memor Ἡσιοδείου τὸν δὲ φίλον ἐπὶ δαῖτα καλεῖν, τὸν δ' ἐχθρὸν ἐάσαι. Nec ii, qui hoſtem meum demulcent & fulciunt, mihi pro amicis erunt. Te verò cum uxore & filiis nobis adeſſe pervelim, vosq; ut veniatis, rogo. Poſt Kal. in ædes Clampianas migrabo, conſopito jam, ut ſperamus & apparet, in univerſum contagio. Vale. Helmſt. ex Academia Julia.

EPISTOLA XXVII.

INnotuit jam familiaribus, nec te fugit, quemadmodum minorem natu filiam Annam Sophiam humaniſſimo juveni Theodoro Hupæo, ſtudiorum liberalium & in primis jurium ſedulo cultori, Academiæ Juliæ Secretario, aliquot ante menſibus deſponderim. Jam verò etiã diem nuptiis IX. Sept. diximus.

Puto autem esse mearum partium, ut pro nostra amicitia ac singulari tua in me benevolentia ad hoc sacrum nuptiale te quoque invitem cum amicis integerrimis. Quare te etiam atque etiam magnopere rogo, ut nostro honori non gravatè servias, & inter amicos in ea solemnitate compareas. Ego vicissim mea meorumque officia tibi tuisque defero; & quicquid à me proficisci poterit, vestri beneficii haud immemor præstabo. Vale. Helm. ex Acad. Julia Cal. Sept. anni undemillesimi sexcentesimi.

EPISTOLA XXVIII.

Quia te tuosque ad nuptias exspecto, debeo esse brevior: & multus esse modo nequeo, quando ita distrahor, ut, ubi sim, nesciam. Non sum enim bonus ἑστιάτωρ, etsi nec pecuniæ parco, & negotium est, quod facilè intelligamus. Operam in quidvis aliud, modo literarium

sit,

it, ponam. Verum quia pater, nec hoc negligendum fuit. Nec inſtitui negligenter has nuptias: in tempore erratum eſt; quod cujusmodi futurum eſſet, nemo tum prævidit, cum diem nuptiis diximus. Etſi autem hodie omnia ſunt, ut volumus, & vix reliquiæ illius fœdi profluvii apparent, tamen fama haud dubiè adhuc volat alibi illa priſtina: qua fiet, ut convivas ſimus habituri pauciores. Τιμηθήσεται ὁ τῆς θυγατέρος γάμος· Πέμπουσι γὰρ Πρέσβεις, ὅ τε ἡμέτερος Ἄρχων, καὶ ἡ αὐτοῦ Δάμαρ κατ' ἰδίαν, καὶ ὁ τῶν Μεγαπολιτῶν Οὐλρῖκος καὶ ὑιω Βογησιλέω Φίλιππος, καὶ Βογησιλέως, καὶ ὁ Μαρχικὸς ἔπλανδρος ἰω. Φελδερῖκος. Περὶ τούτων γὰρ ἀπηγγέλθη. Quò magis velim te comparere, &, ſi quis alius nobis iſtic amicus eſt: τῶν δ' ἄλλων οὐ μοι μέλει. Valde aveo ſcire conſilium, quod capere te velim ex dignitate tua, nec adverſari exiſtimationi ejus, cujus exiſtimationi præ noſtris commodis nos conſulere decet, quoad tolerare valeamus.

Helm. III. K. Sept.

Epi-

EPISTOL. XXIX.

VOluiſti, ut eſſet mihi pro literis Cornelius: & tibi fuerit pro literis gener: modò vos occupationes non dirimant. Tibi ſunt tuę, illi diverſæ. Non feceras mentionem mei libelli ſupplicis: quem tamen conjeceram in faſciculum, ut cum cæteris legeres, quod, ni fallor, te quoque monueram. Faciendum mihi ſic fuiſſe arbitror. & ſpero redditum: etſi de eo nihildum cognovi. Hanc neceſſitatem mihi impoſitam, dolori mihi eſt: at illum juvat, crebris & plexis ſcriptionibꝰ, & plusquā Heracliticis, ut audio, & neminem non & Principem cruciare: non poteſt, qui inveteratam, & à tot annis ἀσκηθεῖσαν καὶ ἐγγεγυμνασμένην cantilenam canat. De cenſura Roſarũ non nihil accepimus: alii aliter ſentiebant initio: neq; nulli affingi illis, quæ ferrentur: ſed mirũ, ſi ipſius ſcriptis fidem derogabunt: unus, ut vides, nihil definiet, præter id, quod proximè ad me ſcripſit. Hoc & alia legenda accipies à Diepholdio. Quid ad clauſulam epiſtolæ Principis reſcribam? aut ſilentio prætereunda ſit, aut dicendum,

quod

quod ad rem faciat, neq; hoc ſine ſale. Academiarchen vide. De Nobilitate miſi legendum Cancellario, qui occaſionem ſcribendi dedit: fruſtrà tamen tibi ſingulare aliquid polliceris: niſi hoc vis, quod ſecutus ſum: ſtudio perſequi, quæ & à quivis ſtatim intelligantur, & judicium lectoris informent: ſi modo hoc aſſecutus ſum, ut ipſe rectè judicem. Sum brevior. Nec enim nunc commodè in lectulo ſcribo, ut faciebam æſtate & autumno, ac vix me compono ad lectionem; ita me frigus moleſtat. Habeo in manibus Jamblichum, cujus quadam epiſtola memineram. Vale. Helmſt. ex Ac. Jul. VII. Decembr.

EPISTOLA XXX.

MEntionem feceram epiſtola quadam novę cujusdam calumniæ, quam tu putaſti ab illo hoſte meo profectam. Scripſi enim fortè de ea obſcurius aut brevius. Non eſſet autem nota, niſi ille cœpiſſet inſanire. Jam ne ignores novã adverſũ me

incerti

incerti hominis accusationem per certum hominem denunciatam, lege quæso, quæ sive perturbandi, sive tentandi mei gratia ad me è loco longinquo pridem scripta sunt. Iis enim lectis non nihil stomachabar. Fieri hoc aliter vix poterat. Cogitabant verò etiam, quid, quomodo responderem, quasi causam dicerem. Jam multa autem fuêre illa, ut omnem vitam, quantulumcunque ejus mihi reliquum est, in ea re consumerem, nec illis solum, qui me ex insidiis adorirentur, unquam satisfacerem, sed alios quoque graviter offenderem. ·. ·. Quæ enim ego pro me scripsissem, aut fuissent edita in lucem, aut communicata cum pluribus, quorum plerique pietatem in velitatione opinionum potius, quam in simplice veritate & vitæ sanctimonia ponunt, etsi minus curiosè multa perscruteris; quod ego ei, qui verè pius esse velit, sequendum existimem. Vide verò, quid consilii ceperim, hoc videlicet, ut mihi parci optem, & quoscunque in arena per me vacua relinquã. Est tamen quæstio, quam enodari eorum intererat, qui se vel controversiis implicant,

cant, vel à partibus ſtare in quavis diſputatiuncula pulchrum ſanctumque putant. De hoc autem facto quid judices, liberè me doceri per epiſtolam velim. Multa ſunt alia, de quibus aliàs vel coram, vel per literas. Vale. Helmſt. 12. Cal. Febr. cIↃ IↃ c.

EPISTOLA XXXI.

PEr generum perendie ſcribemus, aut nunciabimus. Νεμεσῶ γὰρ καθ' ὑπερβολὴν ob hominis virulentiam. Hæc Potinii amita cum marito ſuo è Pomerania veniens Hameliam proficiſcitur. Petunt ſibi conſuli, ut tutò tranſeant, eoque nomine, ut puto, & Potinius ad te ſcribet. Vale. Helmſt. Kal. Febr. cIↃ IↃ c.

EPISTOLA XXXII.

QUo tempore ſcripſi, ex una molitione ſuſpicandum eſſe de aliis; illâ ſive repudiatâ ſive pereunte, inventa fuit nova. Nam

Digitized by Google

Nam ex auditoribus fuiſſe excitatos intelligimus, qui literas ſupplices in eodem negocio ferrent: etiam pertuliſſe audimus. Quis autem ita ſimplex ſive ſtolidus eſt, qui non rideat, à quo quibusve hæc *βουλύδρια* proficiſcantur? præſertim cum primi duo *ὑπογραφεῖς*, ambo Transveſerani, ambo ſectatores *νεοσοφίας*, unus ſit apud *τὸν δεῖνα*, alter apud *τῶν πέραν τοῦ ποταμοῦ πρῶτον*· ∴ Hæc ſine querela tibi narro: in multo gravioribus te iſtic luctari ſuſpicor ſive ſcio. Tu verò in iſtam arenam tiro non deſcendiſti. Hæc pauca vix ſcripſi, cum fortè Boſſium iſtuc ſtatim proficiſci audirem: exſpecta pleniores & ad ſingula. Vale. Helmſt. III. Non. Mart. clɔ Iɔ c.

EPISTOLA XXXIII.

QUa in re M. Andreæ gratificari poſſis, ipſe tibi exponet. Tu verò ei lubens gratificaberis. Quia ita ſubito abit, nec de aliis nec ad alios ſcribo. Vale. Helmſt prid. Non. Mart. clɔ Iɔ c.

Epi-

Digitized by Google

EPISTOLA XXXIV.

ET doleo & indignor, Ludolphum hoc iter fruſtrà ſuſcepiſſe. In quem eam culpam conferam, nondum ſatis perſpicio. Dabo autem ſedulo operam, ut prima occaſione eum ornem : quam futuram arbitror, niſi hæc factio ſycophantica me penitus devorarit. Ducit enim nunc ille Signifer exercitus calumniantium. Quod ſi verò ne nunc quidem nobis fiet poteſtas ſcribendi & edendi, ut nos liberemus à calumniis, omninò neque quid dicam, neque quid ſuſpicer, neſcio. Vale. Helm. ex Ac. Jul xxv. Apr. clↄ Iↄc.

EPISTOLA XXXV.

TAbellarium tuum hunc ad Ludolphum mitto. Oſtendit enim ſe alia vobis occaſio, & ut auguror, potior priore, in qua tu non minus eum juvare poteris, quam ego. Noſter Alexander Hake præceptorem fratri quærit. Cenſeo non cunctetur.

Ut hic exagitemur, ex Dipholdio cognoveris. Ad libellum famosum, quem sparsit Sycophanta, responsum nondum dedimus. Nos literas supplices ad Reverendissimum Illustrissimum dedimus cum æquissima petitione concessionis edendi responsum: sed de responso Principis valde dubito. Aliis enim aliud videtur, & fortasse sunt inter istos, qui ejusmodi mota nos enecari velint & hinc exigere, aut connivere, ut vel in medio tollamur à seditiosa juventute. Coëunt enim barbatuli & imberbes quotidie, & de negotio disputant acriter, quasi judices censoresve nostri, & egregiè dimicant pro Archisycophanta. Hæc cum considero, Cornelius ridet, ego non item. Idem responsum Principis exspectandum sibi non putabit, ajens, habere nos *naturalem concessionem ut vitam sic famam tuendi.* Quod etsi verum est, tamen Principem, tam meâ quàm meorum gratiâ ego nolim offendere. Quod autem attinet ad Orationem & Programma, scripserunt ad me amici, se edituros, nisi ipsi edam, quod vetare non debeo, ne causæ videar diffidere. Cancellarius literas

literas meas Principi reddidit, argumentum utriusque ſcripti expoſuit: reſponſum ad rem non abſtulit, ſed duobus legenda illa & cenſenda dedit; qui, ut erunt affecti, ita conſulent. Quid enim pleriſque curæ aliorum exiſtimatio? pervelim autem illa hic edi, tum ut rectè edantur, tum ut alicubi à me emendentur, tum ut præfigam, cujusmodi volo, procemium. Perendie Duncanus renunciabit Magiſtros octo, in quibus ſecundum locum, ut audio, habet Nendorfius. Sed de hoc alias. Habebitur oratio ſatis acris. De Vice-Cancellario nondum conſtat, quod onus mihi imponi hoc tempore minimè velim, quando ſatis curarum & moleſtiæ habeo; & ſcis, me non eſſe, nec eſſe velle extemporaneum. Utinam in convivio non aliquid oriatur, quod illam ſuavitatem contaminet. Vix ab initio cuiquam cordi fuit, ut ſedaretur controverſia, quæ videbatur minuta primùm, quam gliſcentem in annum tertium nunc videmus, neque dum apparet Cataſtrophe. Ille homo ſanctimoniâ, ſi Diis placet, ſuâ concitaret ſeditionem in provincia, ſi poſſet.

Kkk Vale.

Vale. Helmſt. ex Acad. Jul. V. Kalend. Majas cIↄ Iↄ c.

Epistola XXXVI.

HEri Nobili Belgæ, qui cum Legato Anglico aliquãdo Roſtochii nobis adfuit, ad te dedi epiſtolã. Audieramus enim vos domũ rediiſſe. Quod nunc ſecus eſſe intelligimus. Ei epiſtolæ incluſeram ſcidam Vosbænii, qua narrat Ludolphum tuum hoc menſe cum alumno diſciplinæ ſuæ venturum in Academiam Juliam. Ad tuas nihil reſcripſi, neque nunc faciam. Putares non tibi injuriam fieri, ſive ego tuæ indignationi ſuccenſerem, ſive eam verbo eluderem: potius fatebor, me veſtras aulicas rationes non intelligere; vel dic tu, me eſſe moroſum ſenem, & per hoc quicquid eſt, quod tibi ferendum non putaſti: dic etiam Diepholdio, ne mihi iraſcatur, quod interea ſemel atque iterum à me præteritus ſit: etſi putabam vos ita ſapere, ut quas ad unum dediſſem, alter putatet ſibi cum illo communes eſſe. Novum igitur conſilium capiam.

piam. Nam, cum quot amici estis, tot exarare literas non queam, omniū nomina litteris inscribam. Tecum ita loquens, paululum me colligo ex illa indignatione, quam mihi parit trima jam διαβολή. Relegi quatuor epistolas, quas initio ad illum dedi: & inde me magis commovi. Recognovi enim, quod tamen oblivisci nunquam potui: illum tam impudenter & obstinatè mentiri. Toties enim inculcavi, & à nobis identidem omnibus inculcatum ostendi, qua de re agatur, & quod de capite religionis nullo. Hoc tamen ille decantat perpetuo κοκκυσμῷ: nec probat, nec potest, nec poterit, etiamsi rumpatur. Sed nihil magis miror, quam hoc neque nostros Collegas, quibus negocium datum fuerat, neque Consiliarios Principis, animadvertisse: an noluerint? an nequierint? an nos oppressos malint? an mentienti tam luculentè credant? sic putabam, qui ea legeret, adhibiturū mihi fidē neganti, non solum si ille nihil probaret, sed etiam, si quid probare videretur: siquidem non solum negarem me illas hæreticas sententias amplecti, sed quasdam prorsus ignorarem, cæteras penitus exsecrarer. Talis homo

 natus

Digitized by Google

natus ad me evertendum, est in multorum amoribus, & jam ducit exercitus Sycophanticos ab aliquot mensibus, & ego jubeor devorare calumnias. An non putas me cruciari interdum intimis pręcordiis? pręsertim cum finem non videam. Decimum mensem frustrà exspectamus Rostochiensium censurã: crede mihi, aut nihil respondebunt, aut ita, ut quid illud sit, non intelligatur. Rectius statim jussus fuissem solum vertere, siquidem illi ejusq; factioni umbra mea nocet. Ne dubita, si clanculum possent, è medio me tollerent. Ediderunt farraginem dictorum, theses, libellum famosum. Ejus auctor citatus ad III. Junii, non comparuit, volumen misit, in quo ἀπολογεῖται, quasi rem bene gesserit, nos accusat graviter, absolvi se postulat. Nisi metuerent τ̃ Ἀρχοντα, absolveretur pluriurn calculis, crede mihi, sic planè persuasum. Ego enim nescio, quorum non luminibus officere videar. Non. Jun. in convivio solemni apud Parcovium cum legerent versus meos, & lecta essent ultima illa, quærit ex me: *quo duce?* Namque hodie non solum de factis

&

& dictis, ſed etiam non-dictis mihi reddendam rationem intelligo: at cui hominum generi? ſic habent, quaſi adſcripſerim & profitear, nos per Philoſophiam vitam æternam conſequi: ac proinde eſſe me jam hæreticorum Patriarcham. Obſecro, an non hæc eſt, non jam Ramiſtarum, ſed calumniatorũ Logica, quam ne quidem ſatis didiciſſent Sycophantæ apud Athenienſes. Ut hanc impatientiam nonnihil flectam, (frangere enim non potero) refero me quotidie ad docendum, legendum, meditandum, ſcribendum. Τὸν Εὐγενῆ edidi, ſed paginæ nondum erant collectæ, & ad quem primùm mittendus ſit, vides. Nunc operæ tractant Προπολιτικόν: ſic enim inſcripſi illa προλεγομενα: quæ ita retexo, ut ſententiam retineam ferè omnem. Librum de integro ſcribam; atque erit omninò orationis nova & æquabilis forma. Illa enim ut docui, ita ſcripſi, & quidem pleraque ſtylo prorſus humili: nunc in quibuſdam aſcendo altius: ſed ſi mihi liceret pro me ſcribere, ut volo, & fortè debeam, prope ad ſublime genus accederem, in cauſa opti-

ma, & contumelia tanta. Vale. Helm. ex Acad. Jul. 7. Jun. cIↃ IↃ c.

EPISTOLA XXXVII.

JUvenis tuus ad te redit cum alumno suo: ipse tibi jam exponet, de quibus expostulare mecum solebas. Julio ad te dederam literas Grœningam, unde tum abieras: quas cum istuc ferret, & inde abieras. Illi alias non dabam, quod properabat, & coram exponeret, si quid vellemus. Tamen postea alias dedi, è quibus cognoveris, aut cognosces Furiarũ nova τεχνήματα. quid superest, nisi ut aliquem excitent è mortuis? Nam quod ad sexaginta quęstiones attinet, eæ scriptæ sunt ante annos triginta sex. Igitur consultus, si Diis placet, de iis, quæ neque tum erant in ullius mortalium cogitatione, quæ missa deinceps sunt à nemine, neque mitti poterant ab aliquo, de quibus quis ab hac illave parte nemo quæsivit unquam, consultus respondit. Non pudet

Digitized by Google

pudet eos mendaciorum & malarum artium. Quid mihi putas faciendum? ſcilicet ut perpetuò vapulem: at hoc ne mancipium quidem ferat. Illi verò non geminant, ſed multiplicant flagra: & meditantur novas cruces; ſunt enim ſub prælo alibi alia. Denique ſi poſſit, ille Acheronta moveat; tam perverſo animo eſt, ut ſeditionem moveat, & populum in nos concitet, niſi obviam eatur in tempore. Fieri poteſt, ut vix etiam nunc inveniatur via compeſcendi illius furoris. Vale. Helmſt. ex Acad. Jul. IX. Kal. Sextil. cIↄ Iↄ c.

Epistol. XXXVIII.

AD Diepholdium ſcribo pluribus: nondum enim redieris: tamen hæc exaravi, ut rediens aliquid legeres. De *Διαμαρτυρία* quam ſapienter fecerim, neſcio: ego verò morem geſſi non tam animo meo, quo tamen eram

totus inflammatus ad undecunque volantia tela calumniarùm, quàm rationi, si tamen licet nobis tot modis lacessitis, tot artibus Sycophantarum oppugnatis pro veritate & innocentia palam loqui. Interea quid autor hujus mali molitus sit, cognosce ex illo amico nostro & mea ad Principem querela. Non sine causa mihi condoles: ipse doleo, indignor, rideo, parvi facio. Vides quam longè absim ab illa constantis viri laude, ad quam accessissem propius, si maturius hoc studium coluissem, aut olim me tentasset talium aliquis, quos fortè parvi fecissem. Καιρὸν est, nunc in arenam descendere. Fortè hodie aut cras nascentur alia, de quibus proximè. Nam ut illi Stephanum lapidibus, ita hoc vulgus nos obruit libellis Sycophanticis. Magnus animus parandus, aut abeundum è vita est. Dic tu, an hoc hostibus gratificer? quod tu non facias, id me facere non jubeas. Cornelius in hoc se virum & tantum non adversus eos agit Democritum. Vale. Helmst. Id. Sextilis anno clɔ lɔ c.

Epi-

EPISTOLA XXXIX.

QUomodo affectus sis, ex me conjecturam facio. Cohorrui enim, ut intellexi, nescio, quo modo factum, ut exempla literarum in illorum manus venerint. Frustra est autem præterita reprehendere: oportuisse, vel σκοτεινῶς scribi, vel conscissas è vestigio. Itaque eò me converto, ut quæram, tantumne in hoc mali sit, quantum calumniatores velint, & descendo in eam sententiam, caussę non tantum esse, ut nos nimium excruciemus. Tu cum videres, non solum me animo excarnificari calumniis, idque in annum jam tertium, sed etiam vitæ metuere, quòd omnia ad exacerbandos omnium adversum nos animos, & ad seditionem tenderent, quale quoque scriptum conflatum ex mendaciis proximè ad cives Helmæstadienses misit; fecisti dignum amicitiâ nostrâ, qui nos doceres, non longè abesse hujus fabulæ catastrophen. Quod summam censuræ Academiæ narras, ibi nihil arcani prodis. Nam

Nam neque Universitas illa tegit, & famâ quædam ante acceperamus, & plura deinceps nunciata sunt: quæ Reverendissimum Illustrissimum eadem exposuisse aliis, hîc à pluribus auditum est. Cur etiam hoc taceres: ipsius Celsitudini fuisse gratum, quod ex tanto intervallo aliquid certi renunciaretur, quò finis quāprimum imponeretur contentioni, cujus nos desiderio ferè extabueramus. Ego si Academiæ noxius sim, ultrò etiam abeam. Quin ut tibi cogitationes meas credam. aliquando mihi in mentem venit de abitu, non qui causæ diffiderem, sed ne quibus mea umbra noceret, & vel in solitudine tranquillius viverem. Verum retraxit me calumniæ insolentia, cura de filiabus, & existimatio Ducis, quem scio æquam sententiam laturum. Nec enim ille calumniantium clamoribus flectitur aut lamentis ducitur. Quod etiam suspicaris, τὸν δεῖνα in angulo cum Bellarmino luctaturum, vellem posset refutare adversarium & faceret rectius, quam ut præ libidine dominandi turbaret non exteras tantum Academias, sed & nostram

Juli-

ſuliam , cujus ille columna ſolus videri velit , & eſſe , non in quibus oportebat , ſed in fulcienda barbarie. Omnia enim in nos , in me maximè, comminiſcitur. Quamobrem νέμεσις non poteſt non accendi, quoties audio, ut ille calumnias & mendacia ſua literis & emiſſariorum horrendis ſermonibus per has & vicinas provincias diſſeminet, eiq; alibi locorum fidem habeant, qui ejus ingenium minimè perſpexerunt , & theologicam pænulã adorant. Ante leves verò paſcentur in æthere cervi, quã ille me aut *αἱρέσεως* aut *ἀθεότητος* convicerit. Verum etſi interdum indignor , tamen ita æquo animo ſum , ut interea multa correxerim , alia ſcripſerim , & ediderim , & edam hodie alia , & conſcribam , & dies noctesque legam plurima : prætérquam quod publicè pergo in Politicis. In his ſtudiis , quod tu quoque me confirmas , facis dignum homine amiciſſimo. Quæ verò ſcripſiſti , ejusmodi ſunt , ut Principem , ſi regat , nihil improbaturum putem , & riſurum etiam calumnias malevolorum,

quas

quas jaciant. Hoc est, si tu sentias, non erraris. De fide & nostra integritate omnibus constat. Quæ si in illo fuissent, nihil movisset turbarum, sed initio cessisset veritati. Cum autem ejusmodi dux ille sit, nihilo meliores esse ejus copias necesse est: nec egerunt quicquam hactenus, nisi mendaciis, calumniis & maledictis, quibus optimi Ducis animus in perpetuum occlusus est, nec unquam etiam aures patent. Cum nihil à nobis astutè, nihil malitiosè actum sit, nihil est, quod eum metuamus, qui omnia agit, ut à bonis ametur & prædicetur. Vale. Helmst. ex Ac. Jul. Idib. Sept. anno clɔ lɔ c.

EPISTOLA XL.

AD cætera epistolæ tuæ capita cras respondebo. . . . Fert à nobis literas elegans adolescens & industrius, cui rectè credas omnem filiorum tuorum educationem: in quo nec severior aut fastidiosus pater facilè aliquid desideret. Non putavimus

mus enim faciendum, ut de vulgo aliquem ad te mitteremus, quo carere paulò post velles, cum eo uti rectè non posses. Vale. Helmst. Kal. Nov.

EPISTOLA XLI.

Mitto vobis Orationem, quam inter multas gravesque curas cum jactura valetudinis scripsi plusculis diebus. Hæc, sive vivam, sive periero, virtutis & innocentiæ meæ testis erit apud posteros. Certè quoties historias cogito, plerosq; συκοφαντηθέντων succubuisse in optimis causis video, & detectas tamen deinceps fallacias calumniatorum. Ἀλλ' ἤ μὲν ταῦτα θεῶν ἐνὶ γούνασι κεῖται. Hoc video, ni sit Deus κριτὴς καὶ ἄνθρωπος. (τὸν Ἄρχοντα λέγω) barbariæ ejusque magistro decernatur triumphus & Academia Julia, detur mancipio inscitiæ. Si intelligam cogi nos in *talem* statum, * * mihi stat sententia, exulare potius, quàm cum illa familia verbum commutare. At hac ætate, hac

vale.

valetudine, hac egeſtate, quò eam? Faxit Deus, ut ante potius mei me ſepeliant. Vale. Helmæſtadio IV. Kalend. Novembr.

EPISTOLA XLII.

CUm Parcovius iſtuc iret, vel eò ſcripſi, ut adeſſe cognoſceres, quem, quod opus amplius nolim, de tua tuorumque valetudine conſuleres. Nam preterea nunc nihil habeo. Ego jam ſum in quadam lucubratiuncula de Nobilitate, ubi de novis hominibus erit aliquid diſſerendum. Vale. Helmſt. ex Ac. Jul.

EPISTOLA XLIII.

CÆtera relinquo, de quibus tibi cognoſcere hodie animus non eſt. Nam allatum fuit te quoq; ipſum ὑπὸ διαῤῥοίας tentari. Illa quoque ante Kalendas Sponſum

ſum moleſtarat, & moleſtavit Bellinum. Sed utrumque breviter: ſed uterque principio obviam iit, non levi ſumptu facto in Pharmaca. Commodè evenit, ut quaſi ἀπὸ ὑγιείας legatus tibi præſto eſſet & hodie ſit, ut opinor, parcovius. Hic abeſt diem jam ſextum. Utinam ex ſcida quapiam tua cognoſcam, tibi eſſe jam meliuſcule. Hæc dedi in ultimo nuptiarum ſtrepitu, in lectulo, nec absq; interpellationibus, deſidens. Vale; Helm. ex Acad. Julia.

EPISTOLA XLIV.

INſignem tibi narro fratris mei calamitatem, ad cujus nuncium ipſe quoque cohorrui. Hodie aderit nobis Potinius Magdeburgo revertens cum puerpera & liberis: nam uxor illic menſe Jul. peperit filiam; ille heri ad nos ſcripſit, fratri his diebus incendio periiſſe cum omni frumento, quod invexerat, duo horrea, vicinum ſtabulum, haras aliquot. Frater damnum æſtimat quatuor millibus Joachimicorum; tribus millibus æſtimari rectè putat Potinius. Quam anxius ille fuerit in re acquirenda,

neque te fugit, contra quam ego ſæpè monuerim, ne ſe tantoperè conficeret; & alia multa. Ego fortè reprehendendus, qui talia curaverim κατ' ἔλλειψιν. Itaque nunc etiam non habeo, qui in ſtudiis adjuvem filium, qui alios juverim ſæpe & juvem hodie. Quem in neceſſitate hac mea compellem, aut à quo conſilium petam, video neminem, præſertim fratris fortunâ jam proſtratâ, à quo mutuum ſumere cogitaram, adeoque eram cum ipſo de hoc negotio locutus. Tu verò, Clampi, tribue mihi hic aliquam cogitatiunculam, & conſilium aliquod inveni. Facies, quod à te maximè exſpectare poſſum. Vale. Helmſt. ex Acad. Julia.

EPISTOLA XLV.

EX ſilentio tuo conjecturam facio de tuis in iſta Prætura occupationibus. Quia & ipſi amici nunciant, te totos dies diſtineri negociis, nec ego te multis tenebo, ut neceſſario potius interpellatori operam des.

les. Si quid erit præterea temporis, mitto ab aliis miſſa, quæ legas. Admiraberis Ῥοδομᾶν☉ εἰδύλλιον: quem, uti voles, ſive Siculum dices, ſive Atticum. Λαμπάδην autem cur non jubes ad nos reverti? hoc velim memineris. Vale. Helmſt.

EPISTOLA XLVI.

QUid enim elicias? Nam quis talium magis prodigus? & dederam pridie ad te literas Hupæo, per quem tuas exſpecto hodie. Illo die advenit Cludius. Convenere arbitri antemeridianis horis. Ipſis inter ſe convenit minime. Οἱ σύμψηφοι enim contendunt non mittenda, quæ ad referendum ante ſcripto comprehendiſti, etſi mandatum habent, etſi vident calumnias & mendacia hominis: tamen illi potius favent, quam innocentiæ. Quid hoc hominum dicas? nemo nos de errore monet, nec errorem quis oſtendit: nec enim ullus eſt, niſi erratum in eo dicent, quod non ultrò in per-

petuum vapulamus ab hoc Tyranno Academico, nec nos in nexum factionis damus. ·. ·. Vix me colligo tot tantisque contumeliis. Indignor enim, qui eſt vehemens animi dolor, quod video te animadvertere. Interea ſolatio mihi eſt conſcientia. Amici verò etiam longinqui è pluribus locis me conſolantur & confirmant, ſuam in me teſtari tum benevolentiam tum obſervantiam. Dño Othoni de nuptiis filiæ gratulor. Velim filios exſpectationi paternæ reſpondere, quos ille profectò nimis indulgenter habet: in quo fortè nec ego nihil pecco. Bremenſes populares tui ſapiunt, ut mei: utrique conſtituunt Gymnaſium inſcitiæ. Quid mirum? inſcitia & perſuaſio doctrinæ pepererunt arrogantiam, arrogantia impudentiam, hęc loquacitatem, denique ἀλαζὼν ἀδολεσχία quid non perſuadet pueris imperitis? pueritiæ vicem doleo. Te iſtius muneris partes ex dignitate geſturum, & aulicæ vitæ accommodatiſſimum, ego nunquam dubitavi. Quod ego argumentum tractare malim, quàm hoc κατὰ συκοφαντῶν. Vale. Helmſt.

Epi-

EPISTOLA XLVII.

ITa ſum ἐν Προπολιτικῷ, ut vix mihi vel breviſſimam epiſtolam imperem: tamen in re tanta tacendum non putavi. Cornelii in parentes pietatem non improbo. Quis enim? ſed conſilium demutatione everſum nullo ipſius incommodo velim. Jacturam faceret Academia gravem: jaceret iterum Λογικὴ, & muli campum vacuum occuparent. Nam quis abeunti par ſuccedat? cujus ſimilem in hoc genere ac fortè in diſputando nulla Academia Germaniæ habet, aut ego valde fallor. Trans Alpes quanti ſint ingenia, te non fugit: apud nos invaluit, doctiſſimis nihil deberi, niſi quorum operæ ſunt ut mercenariorum. Cogita, quid in negocio hoc Academico poſſis. Si quis quærat, unde argentum? Annon alii diem obeunt? annon tres quatuorve hic ſenes ſumus, ſepulchro proximi? Fato acciti teneri non poſſumus. Hunc beneficio ſive præmio tenendum cenſeo.

Quibus argumentis ad dehortandum uſus fui, nihil proficio. In hoc poſitum eſt, ut Reverendiſſimus Illuſtriſſimus de re doceatur ἐυκαίρως: ſic erit abſque offenſa, &, ut ſpero, non erit difficile, quod per ſe non eſt. *Non Profeſſoribus, ſed eximiis Profeſſoribus opus eſt: horum rara penuria eſt, illorum greges.* Quæ de meis rebus cum genero locutus es, de iis aliàs: amo ſollicitudinem tuam. Redeo ad Propoliticon: operę tractant quaternionem. R. Vale. Helmſtadii ex Academia Julia.

EPISTOLA XLVIII.

IGitur diem illum hilarem ſumpſimus. Aderant frequentes. Actioni non interfui: ſcribebam enim. Dilaudant mihi orationem omnes. Autographon habet apud ſe gener meus Adamius. Poſcam & legam, & legendam vobis mittam. Generi verò carmen ecquid reſpondet teſtimonio meo? Heri cum pranderemus apud Magnificum, advenit Otho. Cum eo de te loquendi nec

nec occaſio nec tempus fuit. Erant ſermones noſtri de Joann. Erneſto,& capiebat conſilium, quo hodie opus non eſt. Etenim allatæ ſunt literæ Pragâ, quibus jubet puerum non remitti. Pridie etiam venerat Legatus Imperatorius Halberſtadium, Schlemnitium dico. Aut ſcribe, aut da hoc negocii Diepholdio, aut manda Brunoni tuo. De æquitate animi tui plura cognoſcere deſideramus. Vale. Helmſt. X. Kal. Xbr. cIↄ Iↄ c.

EPISTOLA XLIX.

EXaraveram ad te epiſtolam mea manu cum aliquo ſtomacho: eam cum relegerem, conſcidi potius, quàm miſi. Rectius enim te de pupillo veſtro neſcio quid qui inepti conſilii capiant, docebit Hupæus, gener meus. Aut fiat, quod ante conſtitutum fuit, aut de mea hac in re cura ex hoc die nihil prorſus vobis polliceamini. Etiam ipſius patruus in ſumptum nihil mittit: unde in me quoque aliquid venit oneris. V. ex Ac. Jul. XIII. Kal. Jun. cIↄ Iↄ cI.

EPISTOLA L.

EX Cornelio acceperis de mea vehementiſſima colica, quam, σὺν Θεῷ, curante Duncano, vix ſuperavi, atque ægrè me collegi, in eoque ſum etiam hodie. Ita fit, ut ex iis, quę pluribus & de me & de te quaſi convaſaveram, & in arcula mentis recondideram, nunc depromere non poſſim. Fiet, cum ero firmior, & paululum habebo otii à curis & aliis laboribus. Vale. Helmſtadii ex Academia Julia Non. Jan. clↄ lↄ ci.

EPISTOLA LI.

TUrnebum tibi paravi: eum in manibus habet Bibliopegus. Illum nactus de manibus non depones ante, quam pervolveris, niſi te negocia avocent. De Paulino edendo cum ex te quærerem, autor mihi eſſe videbare, quod & ipſe agebam, honori amici illius, quem ornandum ſuſceperam, mirificè conſultum cupiens; etſi, quæ ſcripſeram, per ſe luce non indigna

digna arbitrabar; ſive hoc ita eſt, ſive amore mei ita prolapſus fui. Itaque ille ἐτυπώθη μὲν, ſed divulgatum nondum eſt, quod amicus mihi ſcrupulum injecit, de quo ad Delium, te abſente, ſcripſeram, qui hactenus nihil reſpondet. Fortè nodum in ſcirpo quærere non oportet. Nec enim illis deinceps adulari aut placere ſtudebo, quibus nemo noſtrum obſequiis placet, nec placere bonorum aliquis eniti debeat, cum quod nefas, tum quod omnem operam luſerat. Non temerè offendendos qui dicat, non fortè nihil dixerit, quod tamen mihi curæ eſſe non admodum debet, cui illi, nec verbo nec vultu læſi, non parcunt ſeni. Verum in quem illi non incurrant calcibus quodammodo literis tinctum? In omnibus cæteris nemo eſt, quem non potius contemnendum, quam nominandum cenſeam. Ad eos acceſſit quidam, cujus aureolum libellum nec vidi, nec videre, nedum legere, deſidero. Nec me mendaciis, calumniis, & contumeliis legendis aut commovere velim, aut bonas horas perdere; nec ulciſci eos cogito, qui pridem ex inſcitia atq; malitia miſeri ſunt. V. Helm. ex AC. Jul. VI. Kal. Maj. cIↄ Iↄ CI.

EPISTOL. LII.

NOn ſcribis, quod es, ut loqui ſoleo, mancipium negociorum. Nam ſi fuiſſet aliquid otii, ſcripſiſſes, quæ indicata à me prolixè promiſiſti. Utrumque velim memineris: unum eſt de ſocero meo. Filius mihi interpretatur Boterum: quędam etiam Latinè reddit: in Germanico interprete non deſideramus nihil. Magnus Zamoſcius miſit ad me duo exempla ſui vultus ex auro ſolido, pretioſa: unum mihi, alterum Meliſſo, ad quem miſi cum literis. Ipſe autem jam non ſcripſit: erat in procinctu ducturus copias in Livoniam adverſus Carolum Svecicum. De conflictu recente alii narrant aliter. Vale. Helmſt. ex Acad. Julia Non. Sept. clↄ Iↄ cI.

EPISTOLA LIII.

CUm nudius tertius ad te ſcriberem, itidem διὰ βραχίστων aliquid dedi ad

popu-

popularem Apollinis, plura jam ad utrumque ſcripturus. Ad illum non poſſum: properat enim εἰ καὶ χωλὸς ἕτερον πόδα amicus noſter. ὁ δεῖνα quæ inſcripſit adoleſcentis libello, vidimus: cum contumelia & injuria τοῦ Εὐεργέτου conjuncta. Ἐν πανδοχείῳ coram nonnullis βλασφημιῶν οἷον πέλαγος ἐξήμεσεν in Scheurlæum & Caſelium: me auferre è medio Catechismum Lutheri, introducere Catechismum Homericum, Jovem Homeri habere pro Deo. ** Jactarat ſe de hac cauſſa & Conſtantinopolin ſcripſiſſe & Romam; ſibi reſponſum in nos acerbè i & neſcio quæ alia. Adeone homines immutari ἐκ πονηρίας; '. '. Exemplum libri noſtri mitto. Relegi non potuit. Scriptorum errata corriges. Lecta ad nos remittes. Vale. Helmſt.

EPISTOLA LIV.

AQuam è pumice expreſſit Brune- tuus, ut ſcribis. Illa autem exſpectata menſem ſextum manu noſtra diu-

tius

tius teneri non poteſt, adeoque per digitos dilabitur, ſive aqua illa ſit, ſive argentum vivum. Bigas tuas cum admiratione exoſculatus reddidi filio, qui promiſſum à te ſolvi deſiderat, ego flagito: ille gratias aget, ego referam. Scaligero non reſcribam ante, quam literas Principis ipſe legerit. Iſtinc enim plus argumentorum mihi ſubminiſtratis. Quæ collegiſti, ad me mittito; ego quid rectè fiat, videro. De Ludolpho ſpero, quod tu. Vale. Helmſt.

EPISTOLA LV.

DIffero ſcriptionem ad Scaligerum, ut luculentior mihi naſcatur epiſtola. Ibit autem hoc vere Lugdunum Batavorum Roſtochio Elardus Lubinus, qui mihi in quibusque perferendis ſtudium ſuum offert. Fueritne verò interea tibi occaſio ad eam rem, valde dubito. Narravit enim certus homo, te ante diem profeſtū ſplendidè miſſum, quò neſciebat. ** Sed fortè qui hæc retulit, à narratoribus in fraudem fuerit inductus, vel à fama, ἧς ȣ̓δὲν κενώτερον.. Tamen ſi quid eſt, ne

patere

patere nos ignorare, quod ſcire liceat omnibus. Legimus Βερνωπολιτῶν πρόγραμμα oppoſitum mandato avocatorio. Quid poteſt eſſe indignius? itaque non mirum, indignari eum, qui extremis contumeliis ab iis afficitur, qui ipſi ſummos honores debent. Utinam hæc tranſeant abſque bello: cujus etiamſi futurus ſit optimus exitus, tamen quantum pelagus calamitatum ſecum trahet, quibuscum etiam luctentur poſteri? Quadraginta anni ſunt à motu Roſtochienſi; ex quo illic adhuc miſeriarum plurimum, quas neque hoc ſeculum, crede mihi, exhauriet. Unum me valde conſolatur, quod Sereniſſimus hactenus omnia agit conſilio: conſilio perfecturum negocium ſpero. Hoc enim ſolum eſt rectiſſimum, hoc ſanctiſſimum; nec aberit ab eo favor Numinis, nec victoria. Verum non deerunt quidem, quibus placet illud Homeri: Ἄρες, Ἄρες! Παιδαγωγία, quam conſanguineo tuo tribui volebas, erat jam aſſignata alteri. ∴ Lappi rationem à me quoq; habitam, & quinq; præterea domeſticis conſultũ ſcire te volo: qui mihi commentarios Cæſaris quotidie duabꝰ horis interpretãtur.

Cras

Cras initium facient libri quinti. Ad curam ultrò ſuſceptam & gravem hanc addo operam, quam fortaſſe alius nimiam dicet. Quid proficiam neſcio, gratiæ non ineo multum. At dices, quæſtum mihi inde eſſe, unde ne obolus ad me redeat: niſi dicas, quod verbum ex orbe ferè exulat, *de aliis bene mereri quæſtum eſſe optimum.* Vale. Helmſt.

EPISTOLA LVI.

MOliente te migrationem in aulam, ludos faciebant familiarium alii ſerio, alii joco, qui vitæ Academicæ renunciares, Præturam geſturus in oppido, quaſi hoc munus infra dignitatem Juris Conſulti foret, aut hominis eximiè docti. Ego etſi ſubitò te manus dediſſe mirabar; tamen quod jam conſtituiſſes, cur reprehenderem? Magnum enim, eſſe tanto Principi à Conſiliis, nec in parvis numerandum jus dicere in urbe, quæ præſertim primùm conderetur. Tum enim ejusmodi

modi ſunt initia,ejusmodi curſum dein-
ceps futurum non ſine cauſa auguramur.
accedit,quod Principis vices gerit *Prator*
ὕπαρχος ὤν : qui non ſolùm in litibus di-
rimendis occupetur, ſed conſiliis omnia
fulciat ſive ædificet. Hoc enim inpri-
mis tuum eſt, ut quod deſideretur, pru-
dentiâ & induſtria expleas. In quo te
porrò oſtendere oportet, qui, quantusq;
vir ſis,poſtquam Sereniſſimus Henrico-
polin inauguravit. O factum regium,
urbes condere, privilegiis ornare, legi-
bus firmare,magiſtratus conſtituere,hoc
eſt, multis hominibus millibus ſalutem
dare ! in quo tuas ſecundas partes eſſe
exiſtimabis, & laborem geminum, qui
Principis exiſtimationem tueri non mi-
nus atque tuam debeas. Quin autem
Conditoris exiſtimationem negligenter
habere,gravius ſit, quàm ſi tuæ cogita-
tionem non ſuſcipias, dubium nullum
eſt, cum illud nec periculo, nec gravi
culpa vacet. Verum tibi leges ponere
non incipiam : nec opus eſt, & res ipſa
te monebit de multis, etiam calumnia
ficta, male dictorum & factorum
optimi cujusque obſervatrix, quæ
hos magis nos ad virtutē & merita erga
remp.

remp. excitat. Atque ita fit, ut peſſima cum ſit, faciat, quod nolit boni. Principis non poſſum non laudare factum, uti dixi, regiũ, ab ipſius majoribus ab ultima ipſorum memoria frequentatum: ſecundum ab hoc, priori tamen par, nec minus regium, nec minus arduum, conſervare urbes conditas & augere: fortè difficilius, quemadmodum rectè educare liberos pluris eſt, quam ſuſcipere. An non ob tutelam Principis ejusmodi appellantur Patres patriæ? Et verò oppidis & ditionibus ſuis & Academiæ eſt Pater patriæ HENRICUS JULIUS. At non abſque moleſtia. Tanto plus laudis ergò meretur, tanto plus gloriæ reportaturus. Sed nulla re magis afficitur, totoq; animo cruciatur, quam contumaciâ rebellium. Hæc peſtis Heroas quoque in furorem egit, ut regna popularentur, & florentiſſimas urbes everterent: ac fortè hoc populorum, hoc civium erat meritum. Sed populationem ſuarum regionum & ſuarum urbium ſponte nemo molitus legitur Heroum. Quid faciat autem Rex rebellibus? quod hactenus noſter Princeps; videlicet operam dedit

dit paternam, ut ejusmodi qui eſſent, eos in ordinem redigeret, ratione, quoad illi locus daretur: deinceps potentiâ, ubi ratio excluſa appareret. Quanto autem conſilio ſatius eſt ejusmodi negocium aggredi quam armis? cum illo plus, quã his profici, uſus rerũ nos docet, plus, inquam, profici, & felicius. Annon in anguſtias coacti ſunt contumaces in viciniâ, conſilio? qui nullis copiis tantopere compeſci ante potuiſſent. De ſpiritu autem tantum remiſerunt, ut ſupplices pacem petitum aliquoties venerint. Ante Kal. iſtuc iterum veniſſe ſupplicatum audivimus. Doce quæſo, quid de obedientia, quid ſpei de gratia? Acribus conſiliis uti hactenus oportuit Senatum veſtrum non dubito, ut hodie res ſunt, auctorem eſſe rationum mitiſſimarum, quæ prorſus etiam locum habent apud Principem, non minus clementiæ ultorem, quam dignitatis vindicem. Τῆς γὰρ ἀκριβοδικαίου πολὺ βελτίων ἡ ἐπιείκεια: cumque hac utamur interdum adverſum hoſtes; rigorem, ut loquimur, adverſus ſuos, qui aliquo modo in viã redeant, rectè nemo perpetuò uſurpaverit. Æquitatẽ Rex

Mmm po-

populis suis, pater liberis nemo negat. Ac veniam dant denique, quin pœnam si irrogent, maximam tamen ejus partem remittit uterque. Divinitus dictum est, pro peccato magno paulum supplicii satis esse patri; quod non minus ad Regem & Principem, quam ad patrem pertinet. Adde quod multo major laus nascitur è servatis per clementiam, quam subjugatis per potentiam: & misericordia hominum facit, ut etiam de reis supplicium sumptum minus commendetur, etiamsi non possit improbari. Optimè autem Princeps sapientissimus intelligit clementiæ laudem illustriorem esse triumphis. Ante triumphum enim periisse multos, & calamitatum fuisse abunde oportet: clementiam præcedit peccantium resipiscentia, comitatur beneficentia etiam benevolentia hominum. Veneramur enim eos, qui nobis secus meritis pepercerint: nec tantum qui sensere beneficium, sed etiam qui audiverunt, clementes colunt, & præconiis in cœlum vehunt. Ubi etiam audietur & scriptis celebrabitur in gratiam receptos, erunt re ipsa refutati, qui imperitiâ

peritiâ rerum Germanicarum ſcripſere, Brunſvigam ſe in libertatem à Ducum tyrennide vindicaſſe: & majorum fama vindicata fuerit à tam inſigni contumelia. Conditores enim & cuſtodes urbis cives ſuos obedire quoad leges jubent, non contra leges ſervitutem ſervire voluerunt: in quo à paterno officio non diſceſſerunt. Ad indignationem juſtam & ſeveritatem eos impulit contumacia. Mea tamen eſt opinio, potiſſimam multitudinem ab obedientia non deflexiſſe, niſi à quibusdam in transverſum acta fuiſſet. Hodie autem nihil optare populum arbitror, quam parere, in quo ſalutem ſibi poſitam eſſe ex imminente calamitate ſentiant. Multi omni culpa vacant, cæteri ad unum ferè in viam redeunt, ſi verum eſt, quod fama fert: tamen ut ſit, ſpemque metumque inter dubii. Utinam ex eo populo timorem omnem ſublatum & obedientia ſalutem urbi redditam brevi audiamus, ut emerſis gratulemur, & hiſtoriæ hanc optimam Principis palmam fere triumphalem, ad longinquas gentes & ad poſteros prædicent. Vale. Helm. ex. A. J. pr. Non. Febr. clɔ lɔ cxi.

 Epi-

EPISTOLA LVII.

DE cæteris proximè. Quod ad adoleſcentem Julium Lappium tuæ fidei magis, quam meæ crée ditum, attinet, quæſo, conſulas, quod in rem ipſius ſit, nec offenſiunculam apud me extimeſcas. οὐ δεῖ γὰρ τὸν καλὸν καὶ ἀγαθὸν ἄνδρα ἀμελεῖν τοῦ πιστευθέντος πράγματος. Mea nihil prorſus referre, minimè te fugit, & ſunt qui domum meam impleant, etiamſi duplo major ſit. Fac ut octiduo mihi reſpondeatur. Vale. Helmſt. ex Academia Julia XVI. Auguſt. cIↄ Iↄ CII.

EPISTOLA LVIII.

VEnit ad te Linus, qui etiam mihi eruditione, moribus & diligentia ſatisfacit. Ipſe te audiet. Tui conſilii erit, quid ea de re ſtatuas. Vale. Helmſt.

Epi-

EPISTOLA LIX.

SCida me valde commovisti: eam conscidi statim ut volebas. Me non mirum sit dolore affici, qui hac ætate exagitet tot molestiis. Tu, qui ætate flores, maximis ingenii dotibus instructus, facilius contemnes invidiam, calumniam, pestes alias. Quas tu quo magis contemnes, tanto minus poterunt, tanto minus audebunt, denique ipsæ semet conficient. Tu modo nihil quicquam unquam neque spe, neque metu σκολιῶς ages. Vale. Helmst.

EPISTOLA LX.

HEri Tabellario dedi epistolas ad te aliquot breviusculas, argumenti sui fere quamque ostendi me hodie iterum scripturum. Id facio, nec tamen ita ut constitueram. Expergiscentem enim me multis ante lucem horis molestiæ

hujus diei premunt: nec enim eæ hoc tempore, hac ætate parvæ mihi sunt: quas ubi biduo exhausero, ad singula longioris tuæ epistolæ capita diligenter respondebo. Convivium paro admodum frugale: quo excipio amicos, quod me religiosè facturum scripseram: in iis videres unum atque alterum, quos tu minus probares. Sed *vivendum est, ut vivitur, & faciendum aliquando, non quod velis, aut rectum esse censeas, sed quod in navi, qua veharis, fiat.* Ne verò etiam prorsus ignores quorundam parum recta & minimè in nos amica μηχανήματα, mitto ad te exemplum literarum, quas istuc iisdem verbis ad amicos, ut vides, duos dedi. Vale. Helmst.

EPISTOL. LXI.

SCripsi proximè, quæ legeres; modò scribo, ut, si quid sit, respondeas. Non minus illius controversiæ καταστροφὴν desiderant, quotquot ad me scribunt, quam nos, quos illa ἡ ἐριννὺς tam diu temerè & frustrà exagitat. Sic

est.

eſt: *quanto cuique major cum barbarie eſt affinitas, tanto & magis favet inſcitiæ, & minus vult veritati, & veritatis aſſertoribus*, non illius falſæ veritatis, quod ſimplicius certiusq; mendacium dixeris. Vale. Helmſt.

EPISTOLA LXII.

SCripſit ad me συμπαθῶς Delius: non viderat ſcilicet, quæ heri miſeram: hodie pleraque legerit. De Oratione, quod conſtitueritis, probabo: item de epiſtola ad Petræum: quam heri conſulto apud me retinui, ut quædam conſiderarem: quod feci; & alia mutavi, alia adjecei. Hodie exſpecto Julium, quod ſi iſtic tenetur, remittat puerum, cujus uſus eſt hic noſtris adoleſcentibus in neſcio qua comœdia. Lucæ & Rodolpho ſalutem, ſed inprimis uxori tuæ veſtrisque liberis. Vale. Helm.

EPISTOLA LXIII.

LIteras illas dederam χαμμαλοφόρῳ Göttingenſi, fratri Typographi Miliandri,

landri, quas vel Görzio, vel Lippio redderet. Is quoniam me fefellit, dedi denuo deſcribendas, ut tibi placere video. De Thoma Lucas valde ſollicitus eſt: nec pluſculi dies negocium remorabuntur: ſaltem cavendum, ne aliorum infauſtis conatibus evertatur juvenis non minus Parçovio, atque tibi notus. Teſtabimini uterque: quid aliud? niſi quod res eſt. Vale. Helmſt.

EPISTOLA LXIV.

HEri faſciculũ accepi. Literæ tuæ breves admodum una parte aculeum habent; at ego gratias exſpectabam. Quod enim ego feci, idem mihi à te, ſi iſtic ſim, fieri velim. An non enim, quaſi ſumma vita eſt, ut nos inter nos quaſi fulciamus? Sed de hoc iterum proximè, niſi mihi ſilentium imperas. Namque & hoc uti poſſim, ſi quis me loqui nolit. Vale. Helmſt. ex Acad. Julia.

Epi-

EPISTOLA LXV.

HEri de hac profectione nihildum constituebat Julius. Nam si me de consilio suo certiorem fecisset, in lectulo ad lucernulam, ut soleo, exarassem aliquid ad Crusium & ad Delium, ad te verò scripsissem pluribus. Multa enim consideravi, sive consideravimus. Quotidie enim de te nobis sermo. Summa omnium secundum illud vetus: ἄλκιμος ἴσθι! quod explicationis eget; etsi tu quoque sic sapis, ut ex uno verbo intelligas omnia. Misit huc tabellarium Brumerus: vides quid velit. Epigrammate te potes exsolvere; quod quæso ne negligas, & à me aliquid ejusmodi feret. Vale. Helmst.

EPISTOLA LXVI.

DIuturnum silentium meum miratus non fueris: nec nos mirari debuimus tuum, sive enim stupore, sive consilio

conticuimus. Nam ad ejusmodi λῃστείας, quæ compesci non viderentur, quis non animo præter solitam conturbetur? Quid etiam quis scribat, aut quid dicat, aut quid cogitet denique? libera vox nulla vacare periculo visa fuit: etsi ego alibi, non liberos solùm, sed petulantes & maledicos plurium sermones audivi. Reperiri vidi, qui tam detestabilia facta, quæ barbarus vix ullus ausit probare, non æquè nobiscum detestarentur. Quod si neq autoritate Imperii, nec potentia τοῦ Ἄρχοντος vindicabuntur illa, vindex erit summus ille Imperator: quod ex me auditum fuit ab omnibus, qui etiam in tantis injuriis & innocentium calamitatibus non satis commoverentur. Ego miratus fui, quod mirum fortè minus sit, si homines illos, eorumq; rationes consideremus, ex illa summa Germaniæ, quod illi ex illa summa Germaniæ specula tam diu spectaverint hasce miserorum calamitates, ut cepisse voluptatem videantur ex hoc spectaculo, ut in Urbe capiebant ex gladiatoribus. Itane est in aliorum potestate, in cujus omnes sumus? Jam intelligo à summa Majesta-

te maturè decretum factum, quo inhiberetur nova & inaudita τῶν ὑπηκόωνβία. Ante dies enim triginta & amplius de adventu Caduceatoris audivimus, qui fortè neque hac hora appulerit. Incolumen ipſum Ναύαρχον rediiſſe, magno nobis ſolatio eſt, qui ſuam navem clavo conſilii dirigat. Βουλῆς γὰρ ὀρθῆς οὐδὲν ἀσφαλέστερον, ut ad me in hoc ipſo negotio de Principis prudentia amicus ſcripſit: quod habeo pro augurio. Id item, quod ſubjungit: *Vis conſilii expers mole ruit ſua.* Utinam absque gravi bello & cædibus hæc transeant! Ex qua re Princeps plus veræ gloriæ & ſolidę ad omnem poſteritatem laudis reportaret, quam ex ipſo triumpho. Viciſſe enim non hoſtes ſolum, ſed ſe ipſum quoque prædicaretur. Nunquid tibi hic nugari an philoſophari videor? Milites & acres viri & ipſi Heroës, nec Achillem excipio, ſæpè pro nugis habent monita ſapientiæ, & ſuos affectus anteponunt rationi. Non fieri tamen hoc non poſſe, etſi ſit difficillimum, quid ni dixerim? cum ſubſcribat mihi *Homerus*, *apud quem Minerva Martem manu prehenſum educit e prælio.* Longè hoc eſſe difficillimum dices: fateor, atque adeò

adeo, ut ab eo, quod fieri non possit, absit proximè. Fiat tamen, si unus abs se se impetrare possit, ut sibi imperet, ut velit: nihil fiat profectò rectius, nihil sanctius, nihil salutarius; hoc autem, si diversum consilium inibitur, eventus, etiam ab omni parte secundus, crede mihi, testabitur. Quod tibi viro sapienti pluribus declarare non debeo, nisi me plus omnibus videre, falsò suspicer. Te autem, quod cæteri vident, nihil omnium fugere, certò scio. Vale. Helmst. IV. Id. Id. Quuintil. cIↃ IↃ CII.

EPISTOL. LXVII.

AD epistolæ tuæ σφόδρα φιλικῆς omnia capita scribam otiosior. Jam jam enim prodeo ad scholas πολιτικάς. Reddit autem has tibi μαθηματικοῦ Hoffmanni filius Henricus καὶ αὐτὸς μαθηματικός. similis patris studiis & moribus. Cui si prodesse ulla re possumus, id nos æquum

Digitized by Google

quum eſt facere: meam benevolentiam ille nuſquam deſiderabit: nec etiam tuam. Quod etſi certè ſcio, tamen te rogo, ut juveni, ſi quo potes, bono conſilio præſto ſis, ſi meritus fuit pater, collega olim noſter, vir doctiſſimus & integerrimus. Vale. Helmſt.

EPISTOLA LXVIII.

MUllos tuos domi non teneo, ſino vagari per montes: princeps eorum ultimus eſt, cujus concionem miſi ad plurimos, etiam ad Meliſſum: ad Scaligerum audaculus eſt: auſit & apparere coram Regibus, coramque populo Romano in roſtris. Σοὶ δ', ὡς ἀκούω, νέα τις ἔρις ἐστὶ μετὰ τοῦ κοινοῦ φίλου· Quid ejusmodi ſit, narra genero meo: ſcire enim aveo. Λαππιάδης modeſtus eſt; & proficit; exploravi enim ejus profectum bis.

Malè

Malè me habet, quod in sumptum non mittitur. Me appellant, si quid opus est. . . Dices ad te non pertinere: tantillus labor meâ causâ non erat declinandus. Vale. Helmst.

EPISTOLA LXIX.

Ω κατάρατε τυρέ! ejus tu omnes micas singulis absinthii guttis conspergis. Bene mecum egit natura, quæ me illo vesci vetuit. Satisfaciam tibi: tu potius sexcentos mihi dones. Quod si tibi hoc verbo satisfieri non pateris, perge σκώπτειν, modò mittas ad epulum illud solemne aliquid farinæ, & ipse advola. Nam qui ultrò te adfuturum, si juberem, dixeris, rogatus, & quidem pro amicitia nostra rogatus, certè venies, ut audias asperum oratorem. Dices, illa verba non esse solemnia invitantibus, ut vos in foro & in aula estis clausularum observantissimi. Nequid desideretur, igitur ego ad diem VIII. Nov. declarandus Προακαδημίαρχης Ἰωάννης Κασήλιος te etiam atque etiam pro amici-

tia

tia noſtra vetere & communium ſtudiorum jure rogo, ut ad dictum diem in primario Collegio ad ſpectandam ſolemnitatem, & ad audiendas orationes αὐτοπροσώπως compareas, ac prandium frugale nobiſcum ſumas, non oblitus modii ſalis, quem tecum feras. Venias autem non absque te, aut ἐξ ἡμισείας, ſed quantus es, hoc eſt, cum conjuge tua, μηδὲ τέκνα παραλείπητε. Vale. Helmſt. ex Ac. Julia IV. Non. Nov. cIↄ Iↄ CII.

EPISTOLA LXX.

QUæ notaſti, puta mihi inſculpta in animo, ita ut neutiquam poſſint excidere; nec ante quieſcam, quàm rei ſatisfactum ſit. . . De mandato τοῦ Ἄρχοντος ἐκ τοῦ Ἀρχιγραμματέως quæram, qui adhuc abeſſe dicitur. Habes ad illa, de quibus puta me eſſe ſollicitum: ac ſum profectò magis qnam tu. Heri dedi ad te Tychonis filii literas, in quibus ſcripſi, me rationem habere; de bono Academiæ habui: primum exemplum

reddet

reddet à me Theodorus: id quæſo, ut ſtatim ad editionem ſubſcribendam à Principe cures: vel ipſe vel per alium: ne alii interpretes ab hoſte aut invidis interveniant. Eſt de meritis Principis erga Academiam partim apologia: in hoſtem nihil, pro me nonnulla dixi. Quæſo tibi curæ ſit; etiam mone, ſi quid mutari velis, vel ipſe muta. De Buda à noſtris capta heri ad nos & ad alios allatum eſt. De Ismaele vidi quid ſentiat Sileſia. Hæc ſcribebam multâ nocte: quando ſimul mirabar, quid ſenes, quibus ſomnus minuitur, totas noctes agant: de vulgo loquor. * * Ego *poſt meridiem noctis* (ut nos Critici docent loqui) meditor, lectito, ſcriptito: omnia in lectulo. Hæc poſt meditatiunculas & lectiunculas exarabam: jamque plures epiſtolas exarabo. Illud te credo credere. Vides enim manum meam. Ut autem legas, tu videris. Leges quædam, divinabis alia.

Vale. Helmſt.

Epi-

EPISTOLA LXXI.

CORnelius heri in Esbecanum abiit tua causa, ibi adhuc hæret, ego eum revoco. Eodem miseram Bernhardum cum quinquaginta. Facio *καδδύναμιν* imo *ὑπὲρ δύναμιν. σὺ δὲ οὐχ ὁρᾷς τὴν ἡμετέραν ταλαιπωρίαν. Περὶ παιδαγωγοῦ*, quod capiemus consilii, ad te perscribemus quamprimum. Vale. Helmst.

EPISTOLA LXXII.

FOrtè tibi prænunciavit hodie Dipholdius de rationibus & adventu Cornelii. Jam ipsum audi & bono consilio juva. Tali viro Academia Julia carere nullo modo potest. At, judice Sycophanta, non solùm dimittēdus, sed exturbandus erit. Ipse autem cum adsit, quid quæris meas literas? Die solis erit duodeseptuagesimus natalis meus. Ad quem de Musis

tuis ſi unam ableges, grata hoſpes erit. Vale, Helmſt.

Epistola LXXIII.

OBdormiveram meridie, ut ſæpè ſoleo: dum dormio, illatum neſcio à quo ἐπιστόλιον imponitur menſæ, quo loco ſcribebam. Illud ego expergefactus reſigno ſtatim, ad me pertinere exiſtimans. Lego, miror: relego, video negocium eſſe alienum. Quod primum erat faciendum, inſpicio ἐπιγραφήν. Ibi fruſtra mihi ſuccenſui. Non conſcidi autem literulas, quod vidi ad exiſtimationem tuam facere. Ille idem homo olim acerbiores ad me ſcripſerat. Sed ei pridem ſatisfactum fuit, meo nomine. Tu verò ignoſces errori meo. Vale. Helmſt.

EPISTOLA LXXIV.

HEri demum Πινακὸς noſtri tria quatuorve exempla ſcribendo abſoluta

ta sunt: ex iis unum cras tibi reddet Ortlepius. Exul ille latrare & mentiri non desinit: adeò multa ad nos referuntur, ut meminisse non possim omnia, nedum aliis referre: de quibus fortasse aliàs. Nunc hoc die solemni ad sacra eundum est. Apitius Regia legatione fungitur πρὸς βαπτισμόν.. Ad eum heri literas dedi, nisi fortè jam abiit. Velim Uxor convaluerit, & tu te confirmaris. Vale. Helmst.

EPISTOLA LXXV.

AD caput istud epistolæ tuæ, quod pluris est tibi, quam vel necessitas tua postulet, vel, si id minus putas, necessitudo nostra sinit, quid rescribam, ne cogitare quidem possum per hæc negocia, sub hosce muneris ultimos dies cumulata, nec potero ante Successoris designationem, quæ erit sub natalem meum, quem videbo, si videbo, primum post ἑβδομηκοστόν. Nunc est, quod te rogem. Propinqvus meus Rhumannus accersivit me ad diem crasti-

num ἐγγονίδην filiæ sacro lavacro initiandæ. Ego quia ea, quam dixi, de causa domo abesse nequeo, (namque in causa Transvesceranorum jam jam cogere me Senatum oportet, postquam popularem quendam meum Danielem Quintinum virum provectæ ætatis, παιδαγωγήσαντα plures annos in Livonia, pridie Paschatis injuriarum accusarunt, occidente tum sole, quod potuerit tibi exponere Diepholdius) & quia valetudini operam do, & quia neptis admodum his diebus malè habuit: nec id fuit initio absque periculo, antequam conjectura assequi potuimus, quid morbi esset: quæso te, ut meas partes non gravatè sustineas, & ubi opus erit, me de absentia sedulò purgabis. In eum usum inclusi munuscula literis. Si quid præterea opus erit, posce à Bernhardo, qui id sumet ab Hoimia. Vale. Helmst. ex Ac. Jul. V. Kalend. Majas. cIɔ Iɔ CIII.

EPISTOLA LXXVI.

ECccum tibi juvenem justa ætate, severo vultu, nec asperum tamen, satis eruditum, modestum, industrium, deniq; in

in quo quæ eſſe velis potiſſima cum aliqua mediocritate! Eum tu docebis, quid quomodo fieri jubeas. Si quid deſideras, ſe moneri velit. Nomen ei Henricus Sluter, natus in finibus veſtræ diœceſeos, tantum non tuus popularis. Tui autem primi natu filii, jube, ut his vacationum diebus nos ad dies pauculos hîc viſant: non erit eis ea conſuetudo infructuoſa penitus. Rabanus ſcribit, ſe nequedum potitum ſperatis literis: iterum eo nomine iſtuc miſiſſe. Tu verò & Rhumannus conſtitueritis, ne mei hoſtes magis ex iſto triumphent. Quibus quod ille ceſſit, probo. Inveniet non magno negocio locum, ubi melius ipſi ſit atque in patria. Ego de Rabano bene ſentio, alteri, ne à me aut quiquam bono amentur, odio facilè obtinent. De Conrado ſecurum te eſſe jubeo: *non cujusvis eſt in cenſura aulæ vivere, ſubditum tot imperiis, inſolentum quis dixerit?* Habes ad omnia. Conficio literas ad Scaligerum, in quibus occaſionem nactus tui quoque, ut jubes, facio mentionem. Quid ſi & tu ad eum, conſilio quamvis importuno meo? Nihil tibi facilius, & erit ipſi gratiſſimum.

Literas, & ſi quid de grege tuo velis, ad me mittito. De Tragœdiis vicinis certiorem aveam cognoſcere. *Περὶ ἀπορρήτων δὲ οὐκ ἀκινδύνως γράψαι τις ἂν, ὥστε τὴν περὶ τούτων σιγὴν κρείττω εἶναι τῆς ἱστορίας. ἔρρωσο* Helmſt.

EPISTOLA LXXVII.

NOn queo *αὐτῷ τῷ μέτρῳ, ὅτι γε μὴ λῷον.* Itaque non poſſum aliud, quam mirari id lac merum & animi & venæ tuæ. *Περὶ χρημάτων*; ita vivam, ut hic habitant *Πενία καὶ Ταλαιπωρία*! De his & cæteris aut coram aut per literas brevi agam uberius. Ita eram modò affectus, ut ſi vellem, non poſſem quidquam præterea ſcribere. Vale. Helmſt.

EPISTOLA LXXIIX.

ITerum *λακωνίζω*. Pango neſcio quid, ut amico gratificer. Id fortè legas menſe altero. Et hoc igitur meditor & alia,

alia, & in cęteris *Πρόγραμμα κατὰ Πολιτικά.* Malè ſit illi *πυρετοῦ ἀναδρομῇ* ! quam vereor, ut diætam ſerves ! Ejus haud poſtrema pars eſt, quod ego ſæpè tibi occino, ut bono fortique animo ſis, inſultus fortunæ contemnas, nec Malitiæ & Invidiæ vocabulis tantulum afficiaris. Non in te eſt, ut hoc anno tui uſus exiguus fuerit, ſed vel in tempore, quod ſemper credidi & maneo in ſententia, vel in aliis, qui vel non jubent, vel obſtant: quorum illis gratia deberi videtur, quando tibi pepercere, his minus iraſci oportet, quod parum proficient. Crede mihi, hæc rei natura eſt, non alia. Si aut ſine literis ſis, aut imperitus vitæ, aut legum ignarus, aut conſilii inops, aut infans aut nullius induſtriæ, aut ignavus, ipſe te deſperatum ſuſpicer. Sed contraria in te eximia ſunt omnia; quę univerſa quotusquisque eorum habet, quos tu metuere videris? Cogita cætera, quæ ſcripſi proximè, ubicunque ſis: fortuna te non deſtituet: cujus ſibi architectus eſſe poteſt, quicunque iis animi bonis inſtructus eſt mediocriter, quibus tu abundas. Valetudinem tuam tuorumque in præſen-

tia cura : in quo video tibi ſatis eſſe negocii, ut de otio queri non queas. Non eſt, quod in aliqua re te purges, præſertim ad me : qui in re ejusmodi facilis ſum, & ita, ut te erga me eſſe velim. Vale. Helmſt.

EPISTOLA LXXIX.

ALterum mulorum gregem ad te remiſi proximè : tum tu, nec dicebatur, quò profectus fueris. Nibilo redierint macriores. Nos profectò in iis & adventantibus & abeuntibus nihil deſideravimus. Ita placuēre autem, ut eorum copiam flagitaverint familiares : nec iis illam nos negabimus niſi tu vetabis. Agentur vero etiam in mercatum Belgicum. Ἐνδεκασυλλάβως δὲ θαυμαστῶς ἐκοσμήσας, ἐν ἀρχῇ μὲν μονονουχὶ σκυθρωποὺς ὄντας, ἐν τέλει δὲ ἀπροσδοκήτως φιλανθρώπους ἐποίησας, ἔδοξαν δέ μοι ἔχειν προαύλιον ἀπὸ σάλπιγγος στρατηγικὸν, ἆσμα δὲ εἰρηνικὸν, longè diverſiſſimi modi. Vale. Helmſt. ex Ac. Julia Kal. Jan. clↃ lↃ CIV.

Epi-

Epistol. LXXX.

Mihi consilio amicorum, in quibus quem isthic potius primo loco ponam, quam te? nec id immerito meo, quod absque exprobratione dictum accipies, Rabano præsidio tuo opus est. Nondum puto audisti, quot quantisque maledictis me adorti sint in patria mea duumviri ἱερατικοί, mense Aprili, epistolâ ad Senatum datâ. Quod cum ego aliundè accepissem, petii ejus exemplum, & impetravi. Id legendum & tibi & aliis Hupæus, gener meus, dabit. Subsequitur enim tabellarium, istuc missus in negocio Academico. Dic sincerè, quid mihi contra faciendum censeas. Tam viles mihi sunt, ut, nisi patria sit, ne verbo quidem respondeam, præsertim in hac innocentia mea & ipsorum aperta calumnia. Istis censoribꝰ, οὔτε νεῖν ἔμαθον οὔτε γράμματα. Sic autem respondi, nec misi tamen, nec mittã, nisi prudentiũ amicorũ exploratis

ſententiis, ut convicium injecerim nullum, nec ad accuſandum accerſerim, ſatis habens, dum modò me tuear. Iidem anſam veterem & alienam arripiunt in Rabanum: qua de re audies Rhumannum atque etiam ex illius ſcripta narratione cognoſces. Æquum petit, & petere judicas. In qua petitione tu quoque homini amico, benè docto, viro integro, ex conſuetudine Zamoſciana, quę eſſe putatur magiſtra civilis prudentiæ, ad nos reverſo ſuffragabere. Quod nos tibi gratias agamus, Inſcitia doleat & Malitia. Vale. Helmſt. ex Ac. Jul. Kal. Quintil. cIↄ Iↄ CIV.

EPISTOLA LXXXI.

TUum de Pædagogo mandatum, Clampi, non obliviſcimur. In tanta copia egentium & ambientium tuis filiolis idoneum nondum invenimus, etſi ferè quotidiè quærimus. Nam quod in nobis eſt, tibi ſatisfactum volumus. Mitto quas meas nugas colligebas proximè. Tuos

Othoni

Othoni scriptos remitti ad nos velim: adde, si qui interea appulerint ex Arcadia. Vale. Helm. XIII. Kalend. Sept. clↄ Iↄ CIV.

EPISTOLA LXXXII.

Περὶ παιδαγωγοῦ Cornelius, Potinius & ego videmur invenisse hominem idoneum. Duo illi, novi amici mei, floreant, ut florent: siquidem aula jubet. ∴ ∴ Rabanum juva, si in te est: me rogat, ut te rogem: ego verò te rogo & obtestor. Doctissimus vir est, & prudens è disciplina Zamoscii, & industrius, nisi fortè propterea magis premendus videatur: etsi tu aliter sentis. Consule etiam in rem, quam ad te deferet Welandus, si æqua & hæc est postulatio, ut suum quisque habeat. V. Helmst. ex Ac. Jul. Kal. Sept. clↄ Iↄ CIV.

EPISTOLA LXXXIII.

QUod monebas, ut statim ad te extru-

truderem τὸν παιδαγωγὸν, id mihi curæ erat, ut amicorum, inprimis tua omnia. Venit paulò tardius, quam vel ipse voluerit: quod cum stomacharer, causabatur, nescio quid, quod tamen mihi tum probabat. Ἀνάγκη veniam dederis. Cupio cognoscere, ut satis tibi faciat in erudiendis filiolis. Duos majores natu, quos ad me venire jusseram, & te missurum scripseras, frustrà exspectavimus. Absque incommodo aberunt, aderunt cum commodo. A Calendis Novembris erit solemnitas Magistrorum Philosophiæ: ante Idus altera Rectoratus. Fasciculus meus exspectat duas ad Scaligerum. Cupio scire, viderisne duorum κατ' ἐμοῦ insulsam calumniam & meam defensionem, quam ad Senatum patriæ scripsi. Utriusque exempla tum ad Serenissimum misi, quæ istic quoque legerentur. Transeo ad aliud. Non queo non νεμεσᾶν, omnium suffragiis repudiatum nobis obtrudi, omnium suffragiis laudatum *Arnisæum*, denegari Academiæ, quod in hoc ipsoq; cive excellens ingenium & Philosophia admirabilis: in uno extero desiderarentur omnia, ut nihil dicam du-

Epi-

rius. *Sic præmia constituuntur Inscitia, ἀκηρδια scientia.* Vale. Helmst.

EPISTOLA LXXXIV.

REdeuntem, lectis literis tuis, monui, ne cunctaretur. Quominus è vestigio venerit, causam ostendit, & mihi facilè probavit. Cujusmodi esse vis, & ominamur ambo, futurum spero. Nec eum sine præceptis dimittam. De Rabano placet consilium vestrum, quod ad eum, cum esset commoditas, perscripsi, si fortè Rhumannus neglexerit: nec aliud video, eoque uti necesse habet, qui præsertim *à sacra invidia* prematur. Filios tuos exspectamus, qui uti hic habeantur, mihi curæ erit. Prolixè nihil soleo polliceri. Reversi tibi referent, quàm simus φιλόξενοι, si fortè nescias. De profectu utriusque quidni credam? Credo & alterum. Novi namque τρόπον παιδείας ἀρχαῖον, quem corrigi non patiuntur, qui, relictâ scientiâ, umbras amplexantur. * * Fama quædam de Borcholdo apud nos sata fuerat, fortè & istic.

Id ille

Id ille compererat. Bis interea ad me ſcripſit. Autorem execratur. Mera ψεύδη. Si quid meditatus es ad Scaligerum, mitte mihi. Supereſt, niſi ut componam faſciculum. Vale. Helmſt. ex A.J. IV. Non. Oct. clↄ Iↄ CIV.

EPISTOL. LXXXV.

CUm legiſſem tuos Σκάζοντας, quos ego non absque lacrymis legi, ſumpſi calamum, ut uberius reſcriberem. Quod cum non naſceretur cujusmodi vellem, abjeci. De tua conſolatione tibi gratias habeo. Nec verò ego tè ἀπαραμύθητον reliqueram, qui bis ſcripſeram, nec tu longiores poſtularis Nam & te virum judico & nomino ὡς ἀνδρεῖον ὄντα. Quod te audire ſcribis de animi mei abjectione, aut tu ſuſpicatus es, aut qui tibi retulit. Gener meus & Cornelius hunc vobis nodum ſolverint. Animus quidem μηδαμῶς τὰ τῶν Στωικῶν αἱρούμενος, nutat ultrè, quem tamen fulcit mens bonis ratio-

tionibus. Idem cum feceris,faciasque, quid ego denuo te in mœrorem revocem? nec ego de contentione noſtri luctus tecum contendere velim: *ita vulgo fit, ut ſuus cuique caſus videatur acerbiſſimus.* Vale. Helmſt.

EPISTOLA LXXXVI.

FAcis dignum, qui veterem alumnum tuum & fidelem filiorum tuorum Magiſtrum ornare præ aliis in animum induxeris. Accedit, quod ipſius animum cognoviſti intimè, quodque ipſe tuum: quod imperaturus ipſi ferendo eſſe noveris, quod omnia ad nutum tuum facturus. Quod autem voluiſti te certiorem fieri de commoditate ad ipſum ſcribendi, ecce tibi optimam, quæ & nobis & perferenti commoda ſit. Nam ſimul illum accerſes, & bene mereberis de hoc tibi item noto caroque populari tuo Theodoro Coſterio. Namque Alexander Hake cum de commendatione noſtra ſubſtituet

Lu-

Ludolpho & præficiet fratri ſuo iisdem conditionibus. Quod conſilium ſi probabis, uti ſpero, ipſe Theodorus cum litteris noſtris ad Ludolphum & Nobilem virum Alexandrum Hake quam primum proficiſcetur. Θεῷ τάδε πάντα μελήσει. Vale. Helmſt.

EPISTOLA LXXXVII.

DE negocio reſcribat Cornelius, ego in novas curas conjectus ſum brevior. Abeſt filius, in morbum incidit, nec ſcribit, cum tamen Hamburgo plures advenerint. Etiam Frencelius rebus humanis valedixit ante bimeſtre, ut narrat Doctoris Boëthii filius rediens Lubeca. Inciderat enim in Rigenſes, qui ipſi funeri interfuerant, cohoneſtato multis modis. Tabellarius accepit à nobis viaticum; id eſt pro via. Nihil fuit nobis intellectu gratius. Ἔχει θεὸς ἔκδικον ὄμμα, atque unde exorta eſt injuria, ſæpè imo ſemper revertit. Vale. Helmſt.

Epi-

EPISTOLA LXXXVIII.

AD noviſſimas nihil reſcribis: & neſcio quis hic narravit, te abiiſſe peregrè. Hic ut ſe erga generos meos ante geſſerit, & gerat hodie, ex alterutro audies. Deniq; eò devenimus: ὦ φίλοι, φίλοι, ὐδεὶς φίλος! Ipſe verò mori malim, quam abire ab officio, & ſtudio juvandi, quos queam, in quibus literæ & virtus: & quem ego non ſuſpicer, mihi meisq; opitulabitur. Vale. Helmſt. cIↄ Iↄ CIV.

LECTORI.

EPISTOLA LXXXIX.

CUm ALBERTUS CLAMPIUS, vir magnus, & inter clariſſimos, qui hoc ſeculo ita nominantur, verè meritoque ſuo clarus, anno abhinc, bona ipſe adhuc firmaque valetudine, hosce ſacros σκάζοντας, non tam è ſcriniis Muſarum, quàm ex intimis præcordiis depromptos, perſcripſiſſet; miſſos ad familiares in Acad. Juliam cenſuræ noſtræ, ut eſt doctorum virorũ conſuetudo inter ſe, ſubjecit. quid multis? Noveramus, nec epigramma, nec epiſtolã, nec χιδάφιον venire à Clampio:

quin ſucci veteris, pigmentorumq; absq; fuco, haberet plurimum, & ad unguem eſſet plerumque perfectum. Longè autem hoc carmen exſpectationem noſtram vicit. Non tantum enim ita compoſitum eſt, ut propterea magnam admirationem prædicationemq; noſtram mereatur: ſed ſunt prorſus piæ ſanctæque meditationes, & quod maximum eſt in homine venerante Numen absque ſimulatione, verèque Chriſtiano, id potiſſimum præ ſe ferunt atque repræſentant. Itaq; noſtra cura, & ſumptu quamvis exiguo, (nam & hoc neceſſarium eſt in omnibus ejus generis, quæ ſexcenteſimus non æſtimat unius teruncii) typis publicatas, cum pluribus communicavimus, ſcriptoris nomine omiſſo, ne aut ille pietatis & ſanctimoniæ opinionem aucupatus videretur, aut aliquid ab illo profectum, repudiaretur ante, quàm cognoſceretur, ut evenire ſolet quibusq; ſcriptis, quæ à doctis hominibus proficiſcuntur. Sunt enim maximè expoſita calumniis malitiæ. Ne autem eſſet alioquin ad eam rem occaſio, ipſe ante editionem perſona mihi ab animo moribusque

ribuſque meis alieniſſima ſumpta, faſtidioſè examinavi omnia, minutiſſima quæque etiam carpens: donec omnibus ad amuſſim vocatis, non calumniam nihil tentaturam, ſed omninò fruſtrà hic futuram mihi penitus perſuaderem. Tum à multis lectam fuiſſe hanc ψαλμῳδῇ meditationem, & paſſim placuiſſe accepimus: quæ neque contemni neque improbari debuit, nec niſi ab indocto aut impio potuit. Jam Clampii nomen præſcribere non dubitavi, idque feci, ut non ſolum de multiplici doctrina & facultate eximia ſcribendi, quibus præ pleriſque ſui ordinis præditus fuit, ſed etiam de ejus in Deum pietate & fiducia amicis magis, & iniquis exiſtimatoribus rerum conſtaret, etſi me non fugit reperiri, quibus ſatis nemo unquam fecerit. Sanè nobis vitæ quoque & animi integritatem ab adoleſcentia ad extremum uſque probavit: quod cum aſſevero, humana conditione, neq; ipſum, neque me eximo. Deceſſit honoratus hic vir quinquagenario major.

VI. Kal. Jan. anni exeuntis
clↄ Iↄ cIV.

EPISTOLA LXXXX.

Joanni Clampio Reip. Bremenſis Conſuli.

CUm ante menſes aliquot familiares mihi retuliſſent, ſacras & admodum religioſas preces CL. Viri ALBERTI CLAMPII, fratris tui germani, & in patria & in longinquioribus locis deſiderari atq; flagitari, tertiam earum editionem cogitabam, & ſtatim pollicebar. Cum enim ab annis plus minus triginta amicitiã ſincerè coluiſſemus ; (fuit enim ille, & mihi ab adoleſcente ob ingeniũ, literas, probitatem & morum elegantiam cariſſimus, & mei ex mea erga ſe benevolentia, & aliquibus beneficiis obſervantiſſimus) ipſe adultior jam, & adeptus bonã variæ bonæq; doctrinæ copiam, miſit mihi legenda & cenſenda, quæ quoq; tempore ſedulò meditata cõſcriberet, egoq; ad ipſum remittere ſolebam mea, cujus judicium in hoc genere non ſine cauſa magni faciendum ſtatuerem. Ut enim, primum quidem Reges, ſed ſecundo loco, vos bonis fortunæ præ vulgo auctiores, certatis inter vos muneribus, ſi quid carum & pretioſum inveneritis: ſic nos literarum cultores, ſi quid vel aliunde nati

nacti ſimus, vel ipſi ſcripſerimus, pulchrũ atq; ſapiens, quodve tale nobis eſſe videatur, non minus liberaliter, quam beneficè alter cum altero communicamus: neq; in hiſce ξενίοις ἢ ἀμοιβαῖς diligentiæ, neq; ſumptui parcimus: imò naturæ ductum ſequimur univerſi. Namq; & humiliores, quiq; vitam ruſticam colunt, uvas, poma, nuces, inter ſe donant, quæve alia anni quodq; tempus oſtendit. Frater autem tuus etſi, ut in aula, totos dies erat occupatus, quę eſt negotioſę illius vitæ perpetua ratio, tamen & reſpiciebat aliquando ad monumẽta ſapientum, & ipſe ſcribebat, ſive epiſtolam eruditam, ſive epigramma argutum. Cum enim eſſet vir doctus [grandiores enim titulos in populo uſurpamus, de quolibet, qui vel alia profiteatur, vel deguſtaverit pauxillum literarum] tum puriùs & luculentiùs, ſive proſam, ſive numeris ligatam orationẽ, in his regionibꝰ pangebat nemo; neque hoc in cujusquam invidiam dixerim, qui malo mediocri cuiq; addere potius aliquid, quàm detrahere. Non digrediar autem in Alberti Clampii alias laudes, ne pro epiſtola orationem meditatus videar: neque tamen non de ipſo plura

referam nova & uberiora, qui ipſius filium ALBERTUM CLAMPIUM, adoleſcentem ſingularis ſpei, qui à patris obitu apud nos in literis vivit, ad imitandum patrem, excitabo: quod ego & CORNELIUS MARTINUS quotidie coram facimus, etſi ille ſtudioſus & modeſtus, ultrò in officio eſt. Ille autem non ſolùm occupatior, ſed & aliquando perturbatior, ad ſcriptiones ejusmodi ſe referebat: quod ſcio, qui mirarentur: credo, ut hoc pacto, mente in meliores defixa, moleſtiarum aliquid ex animo ſive ejiceret, ſive reponeret. Ipſe mirabar minus, ab annis quampluribus eandem conſuetudinem ſecutus: ita tamen, ut ſcripta tum, ex intervallo ſub incudem revocarem: eundem verò etiam morem hac ætate ſervare me, teſtantur mihi domeſtici. Cęterũ, * * cum ad me preces ſuas miſiſſet, ita fuimus affecti, quotquot eas legeremus, ut typographo exprimendas darem: quod meum officium ipſi gratum, ſed paſſim multis eruditis viris gratiſſimum accidit, qui eas & amicis impertirent, &

& filiis aut adoleſcentulis ediſcendas darent. Itaque ab ipſius obitu easdem denuò monitus edidi, neque à quiquam lectæ vel ante, vel deinceps fuerunt, quin ſimul probatæ. Namque apparet ſtatim, tum quam puræ ipſæ ſint, ſive ſermonem, ſive piam ſententiam ſpectes: tum ex quo, quamque animo Servatori devoto profecto: quod tum quoq; mea epiſtola libenter teſtatus fui, quam & apud vos lectam, non dubito. Sciebam enim, illum virum longiſſimè abeſſe ab omni ſimulatione, & odiſſe ὑποκρίτας: qui de aliis cum contumelia ſæpe judicium ferunt, & tales eos eſſe autumant, cujusmodi ſemet intimè noverunt. Libenter autem leges, & has ad te literas: quibus quæ ante ſcripſi, item confirmo lubens: quod meum erga ALBERTUM, rebus humanis exemptum, & erga te ſtudium, & tibi, & amicis veſtræ familiæ, gratum eſſe velim: neque aliter fieri poſſe, quin ſit gratiſſimum, arbitror. Vale.

Et quidem has ad te literas ſuperiori autumno perſcripſeram: editionem retardavit in hunc diem aliud ex alio: hoc potiſſimum, quod præla typographica

majore & neceſſatio opere occuparetur. Interea te ſublatum omnium ſuffragiis in primum dignitatis in civitate gradum accepimus. Quod qui primus iſtinc mihi literis gratulabundus nunciabat, hoc addebat, cives ſibi de Conſulatu tuo ſingularia polliceri. Eſſe enim te virum & honoratum, & lauta in re, ſive potius beneficum, quod primum eſt civium tuorum de te teſtimonium; ſed multo gravius, & maxime ad laudem tuam pertinet: Senatorem eſſe integerrimum ϰ ἀδέκαστον, quem neque gratia, neq; ſpes cujusquam rei ab officio boni viri dimoveat: exploratum denique de ſingulari tua prudentia, qui cum in literis adoleſcens educatus fuiſſes, animo ad rem familiarem adjecto, ab illo tempore nobilem mercaturam feceris, & aliquot jam annis bono conſilio patriæ præſto fueris: neminem dubitare, te non ſolum futurum in hoc deinceps, ſed & facturum majore cum auctoritate omnia, quæ ſint ex bono, cum veſtræ civitatis, tum etiam publico Germaniæ. Quæ namq; rectè in civitatibus decernuntur, ea bona quoq; in omnem viciniam, & communem patriam redundant: uti ſi in illo aberretur, contrari-

trarium eventum ſubſequi, utinam abſque magno noſtro malo experiri, neceſſe non habuerimus. Quarum autem rerum cognitionem habeas, quantam non multi tui ordinis, earum cum paucis etiam ſapientioribus moderationem adeptus,* * vos etiam cæteros in ſaniorẽ ſententiam bonis rationibus facilè pertraheris: & quod in vobis eſt, nequaquam patiemini ſtatui, quod commercia, aut aliquam partem turbet tranquillitatis publicæ. Hæc bona vobis ex animo precor: facultatem autem tuis civibus, univerſæ Reip. bene conſulendi, quod nactus es, tibi & familię Clampiorum gratulor, Iterum vale. Helmſt. ex Acad. Jul. Kal. Mart. clↄ Iↄ cIx.

ALBERTI CLAMPII
Preces pro remiſſione peccatorum.

CReator & Servator omnium rerum,
Cœli ſoliq; præpotens gubernator,
Cui providæ & ſolertis ordo naturæ
Soli obſecundat architecto & auctori:
Qui perditos propter nefanda mortales
Peccata morte Filii redemiſti,

Et libertatis Spiritum tuum ſanctum
Donaſti, & ad ſonum tubæ ultimâ luce
Bonos malosq; ſuſcitabis à morte;
Damnationis aut ſalutis æternæ
Pœnamve præmiumve perſoluturus.
Tua ante genua pronus ecce devolvor,
Ac prętcr illud, quo mihi uſus eſt ſolo,
Et quod daturum tute te recepiſti,
Cum maxima fiducia nihil poſco.
Delicta partim neſciens & ignarus,
Partim ſciens volensque, multa patravi,
Tuisque ſanctis legibus refragatus,
Meapte culpâ à veritate deſcivi.
Quid ergò ſi te judicem voco juſtum,
Si criminum acris & ſeverus es vindex,
Si nemo clam te dicit & facit quicquam,
Quid me futurum eſt in noviſſima luce
Coram tuo juſtiſſimo tribunali?
Quis me ſuis ſuffragiis ibi abſolvet?
Quis collocabit in choro beatorum?
An ulla juſtum cura tanget injuſti?
An legis æquæ lator, ejus oſorem
A conſecratione legis immunem
Pronuntiabit? ô quid eſt, quod expectem,
Niſi iræ & indignationis affectum
In me tuum? ſi facta legis ad lancem
Libráq; pendes noſtra; pronus ac pręceps
In

In infimam detrudar ocius terræ
Voraginem, iſtic criminũ graves pœnas,
Procul remotus à tuo ſacro vultu,
Ullâ ſine intermiſſione laturus.
Sed ô Pater benigne, mitis & clemens,
Qui limen almæ gratiæ tuæ ſemper
Tenes apertum, nec precantium voces,
Et lacrymoſo lumina uda ſingultu (dis:
Spernis, nec aures obſtruis, nec os clau-
Memento pœnitentis optimum portum
Mutationem conſilî probè dici:
Memento, quod ſanctiſſimo tuo verbo
Jurâris (an perjurii reus fiat
Qui veritas eſt ipſa?) nolle te quenquam
Mortalium perire; ſed frui vitâ,
Si pœnitens modò in viam revertatur.
Ego omnia illa abominanda peccata,
Quæ perpetravi, ſponte legis oblitus,
[Ah ſingulorũ ob multitudinẽ imẽnſam
Utcunque coner; non queo recordari]
Commiſſa triſti conqueror miſer corde,
Unoque veræ pœnitentiæ faſce
Conſtrictâ propter unici tui nati
Pedes repono laſſus, & precor ſupplex,
Ut in lacertos ille & hæc ſuos tollat,
Qui ſuſtulit peccata totius mundi,
Et in profundo Nerei vado mergat.

Pater

Pater benigne: te voco, Pater mitis,
qui tres pares in gloria coæquali
Inq; unica divinitate personas,
Incognito nobis modo, repræsentas;
Si non fuit tibi molestum & in- (gratum
Nati unici per vulnera & cicatrices
Salvare mundum, perditosque (mortales
Cœlo reponere; ah velis & hoc saltem,
Ut unus in tot millibus redem- (ptorum
Ego, unus, inquam, humillimus tuus servus
Peccator, infidelis, attamen ser- (vus
Herum relinquens, & diu vagabundus.
In patriam reducar, unde profu- (gi,
Et cœtui rursum aggreger beatorum,
Quando hora furvæ mortis appropinquabit.

JO. CASELII EPISTOLARUM LIBER XV.

AD MATTH. OVERBECIUM BELGAM.

EPISTOLA I.

Διάσκεψις

De nobilium negotiatorum dignitate, & ſtudiis liberalibus: etiam de ſingularibus illius ordinis erga univerſum genus humanum & rem litterariam meritis.

QUod me, MATTHIA OVERBECI, ſub profectionem ad tuos, familiariter monebas, id jure tuo flagitare poteras. Recordor enim, ut ſuperiore anno, cum de tuis in omni liberali doctrina ſtudiis, apud te diſſereremꝰ, & ipſe con-

conſilium, quod de animi cultura cœpiſſes, probarem, & laudarem præterea, atque inſuper me meæ in te benevolentiæ qualecunque monumentum aliquando editurum dicerem. Id obliviſci, neque debui, neque volui: qui aderant familiares, uti debitum acceperant: Cornelius autem, hoſpes tuus, me etiam commonefecit ſeriò. Etenim quo eſſem in ejusmodi pollicitationibus promptior, hoc eſſe me ſolere ad ſolvendum lentiorem: me ſibi quoque olim tale quippiam promiſiſſe. Sunt autem ii, fateor, anni plus minus decem, quando me illo debito exſolvere debui: neglexi, quod ille nequaquam tali, unius applauſu, nedum meo, egeret, cui omne eruditorum theatrum applauderet. Eſt enim in invidia fortè inſcitiæ, atque malevolentiæ, ſed in bonorum doctorumque hominum amoribus & laudibus. Neque tamen prorſus ipſe neglexi. Neque enim ille negabit, me ſcripſiſſe, tum, quibus ipſi de publico honore gratulabar, quæ pauca erant: tum, quæ longè pauciſſima, quibus alios offenderim, alios imprudens irritaverim, ut mihi mali maledicerent,

alii

alii iraſcerentur. Ferendum hoc fuerat, ſi abfuiſſent, ad potentiores & auctoritate valentes, calumniæ. Etſi autem ejus generis injuriarum eò ſum impatientior, quò magis perpetuò cavi, ne quem verbo læderem: tamen illas patientiâ ſuperavi hactenus, vel maximam partem fregi. Sed ad te nunc redeo, ut tibi de promiſſo, ſi non quantum debeo, aliquid tamen prænumerem, ne ipſe fidem fefelliſſe videar, & tu æquiore animo reliquum differas in diem, quando fortè magis ſolvendo fuero. Sic enim negotiatores inter ſe agunt, quod ego audivi olim, & vidi fieri, tu ignorare neq; potes, neque debes, qui ex illorum familia ortus, neque mercaturæ omnem nuncium remiſeris. Etſi enim ad illas rationes rarò reſpicis: tamen ex illa potiſſimum vivis cum fratribus: his labores & curas detuliſti: tu verò, illo campo non deſerto, in hortos Muſarum te contuliſti, in quibus, quantum video, etiam conſeneſces, illam vitam non habens deſpicatui, ſed hanc tamen illi præferens, qua illuſtrior nulla eſt, quando hæc quoque vita principum reip. prima ſummaque

que omnium eſt , beneficio litterarum maxima ex parte bene & feliciter admi-niſtrantium omnia. Per ſe ipſe nego-tiatorum ordo , ſecundum equeſtrem honeſtiſſimus eſt, etiam hac de cauſa, quod & perpetuò , nec unam alteramve provinciam ſublevatis curis & laboribus veſtris. Sunt enim illa commercia, quaſi unum aliquod è vinculis, quibus longiſ-ſimè quoque diſtantia regna quodam modo inter ſe convinciuntur. Errant toto cœlo , qui mercaturam in vilibus ponunt, neque longiſſimo intervallo di-ſcernunt à tabernariis. Hi enim in iſto genere non pluris ſunt, quàm caculæ aut calones in militia, etſi contra ſæpè tanta eſt imperitia & ἀπαιδευσία, ut arrogan-tiſſimi quique inter literatos cenſeantur in doctiſſimis. De meo autem de ejus-modi rebus judicio dubitare non potes, qui ſæpe ſoleam prædicare , quantum navigationes negotiatorum quoque ad eruditionem conferant. Aperiunt enim nobis magis magisque plures orbis par-tes, & res novas, prioribusque ſeculis ne-que viſas neque auditas, nos edocent. Ego verò credo hæc ipſa moviſſe nego-

tia-

tiatorum alios atque alios, ut ſe quoque ad humanitatis & ſapientiæ ſtudia multi converterent. Hoc ex quo frequentatum fuit, haud dixerim; plusne ſibi ejusmodi mercatores boni repererint, an reip. an optimis literarum ſtudiis. Non referam, in quem dignitatis gradum è mediocri conditione plures emerſerint, aut quàm firmo loco familias ſuas conſtituerint, qui conſilio pleraq; regerent, non omnia fortunæ temeritati committerent: ferunt autem uberrimos omninò fructus regnis, & populis, qui exportant, quibus hæ gentes abundant, quibus egent, aut quę non habent, inferunt, ad uſus neceſſarios, neque non ad vitæ acerbitatem ſuavitate condiendam, deniq; adverſus morborum ingruentium frequentem crudelitatem. Multa item ipſi quotidie conferunt beneficia in omnis generis bonas diſciplinas, quibus ſe quoque profeciſſe intelligunt: neque nulli Regum exemplo, & alunt ingenia, & optimorum monumentorum editiones munificè non adjuvant ſolum, ſed ſæpè ipſi magnificè procurant. Multos ipſe adducam, qui exemplo

 ſunt,

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

sint, si opus sit: nec autem opus est, ad te verò minimè, qui ejusmodi multos noveris, de pluribus audiveris. Ipsas urbes proferre etiam plures è pluribus locis facilè possit, qui hanc rem persequi velit: dicam de una atque altera, quæ ad nos propiùs attinent. Spectemus enim in Germania Norimbergam, & Augustam Vindelicorum, in Belgio Andowerpiam, ex qua tu originem ducis. Pulchrum sit nosse Europæ emporia, eorumque præstantium & præcipuorum in negotiando civium aliquas nobiliores vitæ rationes: quę tu ipse scis pleraque, neque ego, qui mitius vitæ genus colo, prorsus ignoro, observata prima ætate, & audita plus quam uno seculo: sed hæc ejus generis, sermonum sunt, non scriptionum, nisi quis hanc rem persequendam sibi per variam historiam arbitretur, aut tantum è memoria unius nostri, patrumque nostrorum, seculi. Non prorsus dispar ratio est Norimbergensium & Augustanorum, neque meum est eos inter se comparare in cæteris. A mea memoria, neque dubium, quin pluribus jam seculis, utraque civitas floruit: dicam,

quod

quod ad utramque æquè pertineat: utrobique fuère, & ſunt, viri longè doctiſſimi, rerum peritiſſimi, patriæ & ſuæ, & communis amantiſſimi: & ita facti atque educati, ut rectè & feliciter, & hac de cauſa feliciter gubernent ſuam civitatem. Hoc de Norimbergenſibus non hac primum ætate longè latèque gentium innotuit: neque obſcurum fuit de Auguſtanis: utriusque civitatis ſapientiam ſapientes non ſine cauſa prædicant. Unum eſt difficile Auguſtæ, & arduum, diſſentientibus in religione ſententiis, tueri otium publicum: ſed illarum aliquas laudes ita prædicabo, ne quid aliis detraxiſſe videar. Huc autem ibam, ut dicerem; etſi neque hoc tu ignoras, cum utrobique primas partes quique ſuę civitatis adminiſtrent, negotiatoresne dicemus, an ſapientes? quando & hoc munus non niſi horum eſt, & illi patriæ principes ſunt: tum porrò educant filios ſuos, ut ipſi à patribus educati fuerant. Etenim, quod eſt negotiatorum cujusq; in ſuo genere, ita exerciti fuerunt in omni genere mercaturæ, ut quamcumq;, ſi vellent, ipſi exercerent, & laborum

patientia & arte, (quam negotiandi prudentiam appelles licet) ſive intelligerent, atque facilè dignoſcerent, quibus in negotiando uterentur. Alterum fuerat ipſis ab hoc ſecundum, præſtantia prius, ſtudium probitatis, humanitatis, beneficentiæ, cum reliquæ porrò virtutis, tum prudentiæ civilis. Ne quis verò exiſtimet, me quidquam eorum omnium ſtatuere absque ſincera in Deum pietate, ſive cultu: quod neque te, neq; quemquam familiarium de me ſuſpicari ſcio, profani ipſi de aliis malè & ſentiunt libenter, & cupidè loquuntur, qui cum quotidie in ore habeant litteras divinas, de conformatione animi ad cœleſtem regulam parum ſoliciti, vitam temerè tranſigunt, ut de eo genere ſeverius nihil cenſeam: neque hæc à doctis accipiunt, neque intelligere ejusmodi laborant, quibus neglectis & ſpretis, neque dum hominibus aggregantur, nedum præſtent, quam præ ſe ferunt, ſanctimoniam. Quos dixi, rectè, ſi quid intelligo, quibus de cauſis dixi, prædico: his accedunt novæ, prioribus conſentaneæ. Fœcunda enim ſemper eſt bonitas, eſtque quaſi

quaſi perennis quidam fons probitatis [neque enim glorioſè loquar] & ſimul felicitatis in bonis. Boni namque cum, ut verbum vetus eſt, ſui ſimiles, bonos videlicet, de ſe procreent, eoſdem exemplo & ſtudio, & præceptis faciunt bonos, aut etiam meliores: ſive recta accurataq; educatione. In illis enim vertitur educatio, accedant modo literæ, quas neq; unquam omittunt. Patere, ut eadem dicam, non perinde repetitu neceſſaria, neq; tamen injucunda, & fortè utilia, ſive nobis, ſive aliis. Jubent ſtudere è ſe genitos, probitati, modeſtiæ, comitati, humanitati, benevolentiæ: temperantiæ cumprimis: non videas in illis urbibus petulantiam, torvos vultus, contentiones, digladiationes verborum, inter minores injurias, aut contumelias, nedum ira furentium concertationes aut cædes: nihil ejuſmodi illic auditur, aut nihil omninò rarius. Etenim & noxiæ herbæ pullulent in agello optimi ſoli: verùm ſi quid: id radices agere non patiantur, cũq; ipſis fibris continuò evellant: de primariis familiis loquamur. Etenim plebis perverſior eſt genius, & legibus & pœnis

 vulgus

vulgus compeſcitur, ad quam vilitatem relabi non patiuntur liberos. Hac ipſi de cauſa, & ea, quæ dixi, faciunt omnia, & filios erudiri jubent bonis literis, neq; id ad opinionem, ſive plebejum in modum: ut olim Sophiſtæ juventutem Græcam inſcitia quadam garriente, dementabant, & hodie paſſim faciunt novi, illis deteriores, inaniloquentiæ magiſtri. Diſcunt igitur adoleſcentes, ut verbo dicam, quę diſcunt ipſi Regum filii, quę docent doctiſſimi quique, diſcunt poëtas, res geſtas imperiorum, decreta ſapientum: peregrinantur item, quo fine utrique etiam illi. Quæ eſt autem vera laus duarum laudatiſſimarum civitatum, eandem pridem obtinuit, & tuetur veſtra Andowerpia, & ſi ſit à majoribus idem ſtatus, qui illarum, eundem facilè conſilio conſervent. Non libet autem mihi Belgii fatum deplorare, neque illius majorum tuorum patriæ. Non eſt nullius felicitatis; & ſingularis item ſapientiæ, quod etiam hodie, in tantis tempeſtatibus non ſolùm res ſuas omni ſtudio agunt, ſed ſimul ad virtutem reſpiciunt, & ad ſapientiam: & ſive domi, ſive foris

ſint,

ſint, neutrum deſerunt. Tu verò, MATTHIA OVERBECI, utramque toto animo complecteris: atque hoc unicum eſt, quod tanti te facio, ut initio oſtendi, imò, omnes noſtri ordinis in pretio te habemus. Statim enim vidimus, & quis eſſes, & quid tecum ferres adveniens, & cujusmodi merces ipſe deſiderares. Non te puer ad nos contuliſti: ſed bonis moribus à puero imbutus, & maturè acceptis ingenuæ doctrinæ principiis pluribus & bonis. In utroque proceſſiſti ſtatim longius, cum & ingenio bono eſſes, & acri, & bonus tibi dux, & fidelis, præiret. Utrumque fuit, ſive illa plura fuêre, felicitatis tuæ. Namque & tui hoc voluêre, & tuus idem fuit animus. Quis te huc invitarit, aut in Acad. Juliam potiſſimùm ire juſſerit, à te dictum, non recordor: quisquis ille fuit, ipſe cum tibi omninò voluit, tum de nobis idem bene ſenſit: neque fortè ſuo iſto de noſtra republ. literaria judicio erravit. Semper autem operam dedimus, non ut greges duceremus, in qua inanitate multi palmam ponunt, & imperiti ſtatuunt: ſed neque frequentiam tamen contemſimus, neq;

minus frequentatur hodie hic locus culpa docentium. Quæ enim inciderint his annis mala, non uni Germaniæ, ſed orbi innotuit: quid magis turbat & evertit ſępè omnia quęque, quemadmodum peſtis & bella à quibus ita infeſtati fuimus, ut neque in hunc diem tranquillitatem ſibi polliceantur longinquiores. Frequentia autem interdum bonitatis argumentum eſt, unde prædicatur ſchola Theophraſti, quam copia doctrinæ, & eloquentia habuiſſe memoratur duorum millium. Nos igitur & ab initio operam dedimus, & in hocipſum porrò omni diligentia incumbimus, ut bonitate Acad. Julia cæterarum nulla ſit inferior; idq; aſſequimur, quando ſuo quisque loco, & vera, quæ probè olim didicerimus, docemus, qua fide oportet, neque conſilio deſumus juventuti, alios excitamus, confirmamus alios, corruptelas autem, quæ & frequentes & variæ ſunt, luculentè refutamus. Cur enim hoc non prædicem, quod ad ſingulorum commendationem facit? nec enim quisquam eſt, quin à me ſincerè ſemper cultus fuerit, quæ non ſolum collegii, ſed & amicitiæ

citię interioris leges ſunt: denique hoc quoque agitur, ut tanti boni, veritatis & integritatis particeps etiam fiat poſteritas. Eſt enim nobis nihil magis in votis, quàm, ut hac Ἀρχαῖ,

Quæ noſtro vehitur ductu, ſit ſicca juventus,
Nec inſoleſcat: veritatis aureæ
Multi non inopes, ſibi vera & ſancta per orbem
Hinc auferentes, dividant mortalibus,

ut in quodam ſolenni voto ſcripſimus. Hæ ſunt merces, ut dicimus, perpetuæ noſtræ πανηγύρεως, ſed caræ admodum ſunt: veneunt enim numo deûm, ut Epicharmus minoribus occinebat, quem optimæ notæ, juſti ponderis, numerare aſſiduè oporteat: tu autem ex alia arca, quàm numaria depromis: hoſpiti autem tuo ſunt primariæ gemmæ: ſed quidquid habet optimarum mercium, ipſe tibi pridem expoſuit absque oſtentatione, relicta gloria ſophiſtis, & inſcitiæ venditatoribus, cum nulla ſpe lucelli te ditans cupitis opibus, tam primis, quàm inferioribus. Namq; ab ineunte ætate, non minus pietatis ſtudia coluit, quàm ab his ſecunda, quibus neque debet, neq; vult

carere pietas. Cum enim omnia nostra, cujus illa cunque modi sint, tum quæ prima sunt, in humanis omnibus, nempe liberales disciplinæ, inservire debent cultui Numinis. Hoc nomine, OVERBECI, te quoque suspicio, neque injuria dilaudem: neque tu tamen hoc ad te fieri velis, neque ego ipse velim, utitu merearis, qui incurrere in pudorem tuum nolim: alterum accipies lubens, ut de hoc tuo instituto sine adulatione censeam: fortè & injiciam, si quid inter scribendum mihi in mentem veniat, quod abs re non esse arbitrentur etiam alii. Non requires autem pleniorem meam sententiam, quando intelliges, quid de iis sentiam, quibus quotidie totos dies uteris. Horum enim qui disciplinam & vitæ rationem magni æstimet, quod de te primum consilium capis, facilè probet: quod ego consilium probo, ut qui maximè, neque id antè mihi dissimulandum putavi, quando cum indicatione benevolentiæ προχίλδιομα deferre tibi videbar. De Cornelio iterum loquar, quando primus ille fuit. Hic autem, præter quàm quod in manu habet

ve i-

veritatis regulam, ſive in mente & ore, manum ſapientiæ, (etenim illa & eſt, & dicitur) & hanc è cœlo regulam juventuti commodat, ſi velint, & percipiant, nullius eſt expers partium ſapientiæ, rectius enim, ut me facturum dixi, loquar. Etenim in hiſce multus & luculentus eſſe, ſi nequeam, neque de re aliquid intelligam, neque ad ſcribendum venire debeam. Non docet autem te hic hoſpes tuus: ex quo tamen in ſingulos dies accipis doctrinę, quantum capere mens tua poteſt, bonę autem & variæ & ſingularis: docet igitur nihilominus te, è cujus ſermonibus, aut etiam jocis familiares erudiri videntur: quin illis ipſe natu majores delectat. Hinc ego aſſentiri poëtæ non dubito, qui multos etiam diſcipulos magiſtris præſtare dixerat: & mihi Euripides aſſentiatur, ſi audiat, multos itidem magiſtros in iis, quæ ipſi docuerant, erudiri, neque rarò à diſcipulis. Sed is quem dico, cum te, aliud agens doceret, etiam de docto familiari tibi proſpexit, quem è pluribus deligebamus, hominem non minus modeſtia præſtantem, quàm litteris. Eſt enim profectò Nicola-

Nicolaus Granius, vir integerrimus, in quo variæ optimæque doctrinæ copiam deprehendimus, officii nihil deſideravimus: Suecus ipſe, è patria, inſtructus diſciplinis etiam Mathematicis, venit in Germaniam, porrò literarum gratia, ut omnium ſapientię partium cultor, in nulla hoſpes, expeteretur à juventute noſtra: neque paucos ille in Logicis, Aſtronomicis, Geographicis, Phyſicis, ſic erudiit, ut ingenioſiſſimi quique ipſi & nobiliſſimi gratias agerent. Ex hoc genere ſtudiorum ſive meritorum (tales namq; hoſpites ſuccenturiati nobis veniunt) & nos voluptatem capimus, & gratulamur cùm juventuti, tum reipubl. Granium habuiſti ab illo principio contubernalem, quem quando, quoties & quam diu velles, in illis audires: & haberes præterea monumentorum vetuſtatis interpretem: quod ſine his nemo vitam, aut veras vitæ rationes, plenius intelligat, neq; ad rectè diſſerendum, neq; ad diſertè loquendum, perveniat. Tu gaudes, habere te ejuſmodi in hoc curſu ducem, ſive magiſtrum: ille non minus gaudet, ſibi has gratas & ſacras moleſtias à te creari

creari totos dies: & fructus hic ad bonos redit potiſſimus, quod ſtudia & operas feliciter ponunt: ut contrà dolemus, quoties nos fruſtrantur conatus ejusmodi. De uno adhuc dicam, in quo & ipſi & nobis admodum placuiſti. Ipſe enim, quæ de vita & moribus à principe doctrinę ſupra omnium doctrinas prodita cum avidè legeres, ubicunque paululum hæreres, ipſum interpellabas, cui illa in promptu eſſent omnia, ut paucis diebus omnia cognoſceres, cognita admirarere, & ad ea animum vitæque rationes conformare deſiderares, neque in hoc ſegnis futurus unquam ſis. Itaque etiam te nihil humanius, nihil modeſtius, nihil beneficentius. Sæpè enim te vidimus beneficum, non uti nos ſumus, qui largimur paucula, ſed tu largè admodum, qui exules, viros bonos, bene donatos dimittis, cum indicatione miſericordis animi. Qui ita affecti non ſunt, aut opes cumulent, quibus ipſi eſuriant, hæredes pereant, aut profundant in veſtem & convivia, quibus populo exiſtimentur beatiores. Præter duos, de quibus dixi, neque nos contemnis, noſtrosque

ſer-

ſermones: ſive enim in menſa, ſive in ambulatiuncula tecum ſumus, *Diepholdius* Græcorum ſcriptorum ſolertiſſimus interpres, *Fuchtius* Theologus, *Calixtus* Holſatus juvenis, patriæ decus & noſtri ordinis: me habetis unâ, ut auditorem ſæpius, aliquando uti cenſorem, neque tamen aliorum, niſi quæ intelligere mihi videar. Sunt enim non unius generis, in quibus me proficere non puderet, ſi eſſet hæc, alia, pręter olim cœpta, diſcendi ætas. Acceſſit proximè, ut item è Suecia advenerit Olaus Buræus, excitus fama Acad. Juliæ, & cumprimis Duncani Liddelii, Philoſophi & Medici primarii, clari diſciplinis Mathematicis: ille verò utriusque ſtudii ſedulus & felix cultor, qui & Archimedea multa noſſet, in altero genere ſe magis magisque indies confirmaret. Et hunc nobis adſcripſi, quo te quoque uti viderim, quem hoſpitem & nos etiam in pretio habemus. Habes à me, ſi non quæ exſpectas, aut ego perſequi debui: non tamen à noſtra amicitia, noſtrisque ſtudiis aliena: atque ita iſto me ære alieno quodam modo exoluiſſe mihi videor, quod & tibi videri

derivelim Vale. Helmſt. in Acad. Jul. cIɔ Iɔ cix.

EPISTOL. II.

Qua hora familiaris mihi narravit de tuo à tuis ad nos ſalvo reditu, nonnihil mihi ipſe ſuccenſui ob negligentiam, ſi moram ita nomines, qui ὑπόμνημα ultrò promiſſum, non ita perfeciſſem, ut tibi ſtatim legendum, conſiderandumque mitterem. Prædicabo tamen etiam diligentiam in eadem hac re meam, planè religioſam. Quo enim die iter ingreſſus es, cœpi ſcribere, quæ fueram antea ad te qualiacunque meditatus, &, ut fert ætas, & valetudo, & mos meus, perſcripſi. Plerumque enim fui lentior, virium mihi eſſe ſatis ratus, ſi morbo vacarem: neque etiam de annis queri debet, qui naturæ parent: dedi ipſa quoque legenda, uni atque alteri familiarium, ut ab annis quadraginta facere ſolitus fui, mihi non nimium fidens, etſi hoc quoque habeo,

beo, ut eadem retexam ſæpius, malim enim aberrare rariùs, ut ſi non multum laudis adipiſcar, minus tamen in reprehenſionem incurram eruditiorum. Hic autem nihil quæro, niſi ut & promiſſum ipſe præſtem, & me voluntati tuæ ex aliqua parte reſpondere voluiſſe intelligat: geminum tamen præmium abs te repoſcens, unum, in quo mihi palmarium pono, ut me porrò benevolentia tua complectaris, alterum, quod tibi ſaluti laudique ſit, ut quod ſpatium feliciter ingreſſus es, id percurras uſque ad metam. Hoc etiam ad me pertinet, ut appareat, me dilexiſſe juvenem non ſine cauſa, & laudaviſſe intra modum etiam, quem majori laude dignum cenſuerim, & ſi vivam, majore afficere debeam, quo etiam in te me eſſe animo nolim dubites.

Vale. Helmſt. in Academia Julia idib. Majis. cIↄ Iↄ CIX.

JO.

JO. CASELII EPISTOLARUM LIBER XVI.

AD

RUDOLPHUM DIEPHOLDIUM Frid. Ulrici Duc. Br. & Lüneb. Doctorem.

EPISTOLA I.

CÆtera cognoſces ex meis ad Principem tuum & fratris tui ad te literis. Exemplum literarum D. Schachtii ad Hoffmannum quæſo mihi cura: quod aut habes, aut petere potes à Delio. Meas ad Principem non nolim aliquando à ſapientiſſimo Patre legi. Lucæ ſalutem & ſau-

fauſtum hunc annum. Vale. Helmſt. ex Acad. Jul. Non. Jan. clɔ lɔ cI.

Epistol. II.

MOne Delium ex hac ſcida, ut heſternam petitionem ſibi curæ habeat. Etſi enim & Cornelius ipſe vult, & à nobis monetur, tamen ut ſoleat procraſtinare, meo etiam, ne negem, exemplo meminimus. Itaque graviore inſtigatore vel imperio ad ipſum opus eſt, in negocio præſertim, ubi mora fraudi ſit, niſi malimus quotidie plures tranſire in caſtra inſcitiæ. Sunt in altero hoſte urbani ſales, nec mirum, cum in ſalinis habitet: me cum ſcrofa Ariſtophanica comparat, ſe ſequi porcellos grunnitu invitante. Scilicet liberales diſciplinæ & Philoſophia ſunt illis immundiſſimis hominibus ſuum balneæ. Etiam me vocat hypercriticum Theologorum: at unde, niſi quod me unius imperioſi & irati pedibus proculcandum non ſubitò humi proſtravi. Sed reprimo me: pergam potius in Xenophonteis, de quibus Principi tuo ſpem feci

feci. Vale. Helmſt. ex Acad. Julia VII. id. Januar. clɔ Iɔ cx.

EPISTOLA III.

ILLe adoleſcens non ſatis bona fide nobiſcum egit, cui abeunti jam, ut præ ſe ferebat, faſciculum literarum & libellorum ad te ante aliquot dies dederamus ego & frater tuus: omnia tamen nudius tertius acceperis, literas familiaribus reddideris. Quod te alteris monui, quas etſi poſteriores, prius tibi Rufus iſtac tranſiens reddidit, curæ tibi fuerit: at tu fortè, quid vellem, tum ex meis non intelligebas, qui priora non cognoviſſes. Niſi perfectum ſit, ne deſine monere Delium, nam publicè intereſt, tantam inſcitiam detegi, quę per malitiam latere non poterat. Quò plus ſcribunt, hoc magis conatus ſuos, non de premendo uno atque altero, ſed de obſcurandis literis & abolenda Philoſophia aperiunt. Quod eſt quid aliud, niſi ſtudium evertendæ ſimul Eccleſiæ & Reipublicæ? quod Principi tuo ſpem feci κύρϐ παιδείας, in eo ſum quotidie: poſtremum librum hoc menſe abſolvero.

 Vale.

Vale. Helmſt. ex Academia Julia prid. id. Jan. 1601.

EPISTOLA IV.

QUi non obtinuit, ut video, me ſuſpectum habet. Ego verè hæc de ipſo noveram, neque dum ſcio, an à quoquam illic monitus fuerit *ἄρχων ἐκεῖνος ἢ μήτηρ*. Verum *ἄγνοια μισεῖ ἐπιστήμην*, & hujus cultores ſuſpectos habet temerè. Quamquam verum eſt, quod hoc illi locum non daret, ſi in conſilium adhiberetur. Mihi autem in illo negocio non ſolùm nihil mandatum eſt, aut creditum, ſed hactenus in conſilium quidem adhibitus ſum; nec me conſuli velim. Sunt plures, qui à me commendari velint: & his reſpondi, me non conſuli. Cui autem faveo, tuque me favere vis, vereor, ne illi, ſi quid tentetur, ætas repulſam conciliet: nec eſt in omnibus confirmatus. *οὐ μόνον παιδείας ἐν τοιούτοις, ἀλλὰ καὶ φρονήσεως δεῖ.* Cogitabimus, quid, quando, quomodo, qua in re rectè fiat. Vale. Helmſt. ex Academia Julia 16. D. Januar. clɔ Iɔ CI.

EPISTOLA V.

VAlde me delectarunt tuæ literę: sed iis persolvam sive cras sive perendie per M. Leonem. Quæ inclusi huic fasciculo, omnia reddes Delio. Vale. Helmst. ex Academia Julia VIII. Kalend. Febr. clɔ lɔ cI.

EPISTOLA VI.

NOn fugit filium Latonæ, habere jam pridem quosdam in manibus multa de nostris, quæ edere in animo habuerint, quorumque nonnulla pars jam expressa sit. Quære ex eo, quid facto opus sit, anne eos moneamus, ne quid publicetur, atque ut subsistant, an verò rectè pergere in instituto ipsi possint. Uno verbo vel ipse respondeat, vel tu de ipsius consilio. Vale. Helmst. ex Acad. Julia Non. Febr. clɔ lɔ cI.

EPISTOLA VII.

QUod ostenderam, me plenius scripturũ ad tuas, id nunc nõ faciã. Hac enim

enim tempeſtate, non certè ridentibus pratis, nec ſpirantibus eteſiis, ſed omnibus quoquò reſpicias, ita profunda nive contectis, ut domo prodire in viam grave ſit, & ventis ſtridore gravi frangentibus auras: ita animo affectus ſum, ut me occupare ſeria re nullâ poſſim, nedum perſcribere, quæ velim: neque nunc volo, cum nequeam, ut velim. Fortè alio tempore te collaudabo ſive confirmabo in iſto laudabili eloquentiæ ſpatio. Mirum enim in modum mihi placuiſti in illa epiſtola, quam frater tuus attulit, præterquam enim, quod conſilium iſtud rectum eſt [nec enim aliter fieri utrumq; debet, ut videlicet hoc omittat, cui conſultum volumus, & alterum agat & urgeat] in oratione nihil deſidero, cum verbis luculenta ſit, ſententiâ gravis. Brevi futurum eſt, hanc quoque laudem cum paucis tibi communem obtineas. Nec enim te fugit, quemadmodum utrumque aſſequaris: neque tibi quicquam facilius, cum in iſto genere vitæ, & legas diſertiſſimos & cognoſcas tum Hiſtoricos, tum Philoſophos, qui rectiſſimè animos noſtros informent ad civilis vitæ

me-

modum. Quæ ſcire debet non ſolùm Princeps aut moderator reipublicæ, ſed & qui alios ad imperium educare debeat: quod tuum nunc munus eſt, ab eoq; tibi demandatum, qui filium ſuum non vult tingi quodam colore literarum, ſed imbui ſtudiis ſapientiæ. Intelligit enim Princeps ſapientiſſimus, quantum inter adumbratam eam vulgoque jam cognitam educationem, & veram regiamque interſit. Nec tamen minuta quædam negligenda erunt, quamvis in rebus nihili habenda, niſi acceſſerint & altera, de quibus alius eſt ſcribendi dicendive locus. Imò de his ipſe inter nos ſæpè familiariter egimus, quæ quidam ſpecie religionis aut imperitè aut ſuperbè repudiant. Quis enim pietatem ab his excludet? quam in omnibus & hominibus & diſciplinis primas tenere, neque ignoramus & iſtud ipſum jubemus. Vides, ut ex argumento, quod prætereo, inciderim in gravius, majorisque conſiderationis, non cujusdam extemporaneæ. Vale. Helm. ex Academia Julia. Non. Febr. CIↃ IↃ CI.

EPISTOLA VIII.

CUm omnis calumnia norit mille artes, tum nihil inſtructius eſſe certum eſt illa ſacra ſive hypocritica. Ringetur nunc maximè: quid non aget manibus, pedibus, equis, velis, quadrigis, denique falciferis curribus? quos non admovebunt arietes vel machinas? [etiamſi auſint, quod fortè etiam audebunt.] animo Sereniſſimi noſtri. Sed & hujus exiſtimatio ad omnem poſteritatem vertitur in hac Sententia. Nec enim dubito, quin hoc negocium multi relaturi ſint in hiſtoriam utramque, & eccleſiaſticam & civilem. Verum de his plura. Nam ſi vivam, ſi valebo, ad dictum diem adero. Mirabor, ſi Pfaffradius ad audiendam ſententiam citatus non ſit: quod tamen hactenus non audimus. Vale. Helmſt. ex Academia Julia prid. id. Februar. clↄ Iↄ CI.

EPISTOLA IX.

IGitur ſi vivam, ſi valebo, ad diem Solis

Solis iſtic unà erimus. Juſſi enim ſumus comparere poſtridie auditum ſententiam, quam ſecundum Acta pronunciatum iri in omnibus epiſtolis τοῦ Ἄρχοντος ad ſcriptum eſt. Accerſiti ſumus non ſolùm nos quatuor, ſed & Facultas univerſa Philoſophica, itemque Theologica, cujus duo tantum ſunt, Boëthius & Scheurlæus. Namque tertius extra ordinem docet, τὴν τοῦ κακοῦ πρώτην δᾷδα λέγω. De eo citato nihil cognovimus. Fortè occurret ultrò Συνάρξων τῷ Αὐτοκράτορι. Quid nunc illi non manibus, pedibus, remis, velis, δρεπανοφόροις, ἅρμασι καὶ πάσαις μηχαναῖς? Quas non καταπέλτας καὶ κριοὺς admovebunt animo τοῦ Ἄρχοντος, idque non uno loco? Novit enim & experitur mille nocendi artes. πᾶσα μὲν διαβολὴ, μάλιστα δὲ ἡ ἱεροειδής. Λαπείδη εὖ πράττειν καὶ Κλάμπτω. Vale. Helmſt. ex Academia Julia pridie id. Februarii ↀ ↀ CI.

EPISTOLA X.

RESignavi ipſe literas ad Delium, ut ex iis videres, referre plurimum,

ſtatim rectè reddi : quod hodie futurum ſperavimus, ſed non potuit fieri, tum per συγγραφέα, tum per ὑπογραφέα. Tamen tabellarium vel ad veſperam extruſimus, qui tibi adſit vel prima luce vel ſub prandium. Cætera in ſermones noſtros vel craſtinos, vel perendinos rejicio. Ea enim via eſſe narratur , ut ſub noctem demum adfuturi ſimus σὺν θεῷ. Vale. Helmſt. ex A. J. D. XIV. Febr.

EPISTOLA X.

HÆ tempeſtates faciunt , ut his diebus noſtræ litteræ quierint: & eædem tenuerunt M. Scaperum , qui ſui negotii cauſa iſtuc properaret. Abeunti dedi literas ad Delium : nec obſignavi, ſi fortè abeſſet, ut legeres & faceres, quod videretis. Neque ad Clampium ſcribo, tum quia & ipſum abeſſe ſuſpicor, & adhuc meditor, quod ſcribam. Multi ex me quærunt de alterius negotii exitu : quem etſi familiaribus expoſui, tamen & Sententiam & Deprecationem videre cupiunt. Utriusque exemplum pete mihi à Magnifico Dño Cancellario : imò fieri

ri poſſe arbitror, ut ea vobis in promptu ſint. Sparguntur omnia per Germaniam: jamque Berlino habeo literas, quò fama delata ſententia advolarat. In vicinis autem urbibus ea iiſdem ferè diebus innotuerunt. Nec dici poteſt, quam multa exempla ante noſtrum reditum hîc deſcripta fuerint, quædam etiam miſſa in ſuperiorem Germaniam. Vale. Helmſt. ex Acad. Julia prid. Kal. Martias clↄ Iↄ ci.

EPISTOLA XI.

UTræque mihi redditæ ſunt ab iis, quibus dederas. Clampio dixi, quæ tibi renunciaret. Tabellarius nondum rediit. Aut nihil à me, aut non niſi ſcidam referet. Quæ miſiſti, ut ederentur, Typographo dabo. Ea perendie cum mea ad Wittershemium epiſtola curabuntur per generum meum, vel ſi iſtuc non veniet, [pangit enim orationem funebrem, ut ſcis, Comiti Julio] per D. Speckhanium.

Vale. Helmſt. ex Ac. Jul. V. Non. Mart. clↄ Iↄ ci.

Epiſt.

EPISTOLA XIII.

UNo die lentius redit scriptum tuum: tamen, ni fallor, maturè satis. Mitto unà epistolam ad Cancellarium Schaumburgensem D. Antonium Wittersheim. Scripsi diligenter. Ne tamen exspectes magnam ἀμοιβήν. Non est hæc consuetudo aularum. Quid ille die Lunæ responderit in Prætorio, duobus verbis nos edoce. Vale. Helmæstadii ex Academia Julia III. Non. Mart. clↄ Iↄ CI.

EPISTOLA XIV.

QUarto demum die rediit ad me tabellarius, sed prima luce, ferens à Clampio & à te literas. Clampio respondi, præterea nihil scribere poteram. Nam & ad te & ad Delium aliquid dedissem. Jam tum enim accingebatur itineri Magnificus. Nec erat, neque nunc est, quod scriptu magnopere opus sit. De exemplis tuæ ἐπιγραφῆς & uno

Pro-

Programmatis te amamus. Per Ovenum, si ante Magnificum redibit, quod puto, mittes exempla Sententiarum, Deprecationum, & Programmatis, quæ proximè petam. De Pfaffradio ut se habet? Hîc narrantur novi honores & magnæ gratiæ. Mihi credere χαλεπὸν accidit. Heri habuit orationem funebrem D. Theodorus, qua me magnoperè affecit. Admiratus enim sum & lætatus. ἔστι γὰρ χαρακτῆρος παλαιοῦ. Vale. Helmst. ex Academia Julia IV. id. Mart. cIɔ Iɔ CI.

EPISTOLA XV.

MIrum, aliquis istinc absque tuis? Neque ipse modo scriberem, nisi vellem te scribere. Has enim tibi reddet ὁ τῶν à Reden ἐπιστάτης, νέος μὲν, πολλοῖς δὲ διαφέρων ὁμηλίκων. Hortare fratrem, ut non solùm domum meam frequentet, sed crebras etiam μελέτας ferat. Illud cum faciat, velim neque hoc negligat.

Illud

Illud mihi gratum est, hoc ipsi utile. Scis enim absque hoc non commendare me quemquam aliis. Quos orno, ea re ornatos esse oportet. Atque in literis mea opinione oratio primum est, quo adolescentes informari debeant. De dignitate nova τοῦ δεῖνος, ut audio, nemo vestrum intellexit. Sive hoc verum est, sive, ut illorum pleraque. * * * Deniq; quid nostra ? modò nihil amplius turbetur. Nam qui juvant publicam rem, & in hoc συμφωνοῦσι, mihi amici. De reditu Cancellarii, quoniam privatim mea interest, fac, ne ignorem. Exempla τῶν ἐκεῖ ἐκτυπωθέντων nondum allata sunt: sed ista cara erunt, ut narratur, unum quinque paginarum quadrante argentei. Malè sibi consulet adolescens, cui donata sunt. Nec enim divendi poterunt: atq; paulò post multo minus, ubi alibi erunt edita, & exemplum pauculis nummulis venibit. Novi Typographorum πλεονεξίαν. Tam charè autem, etsi bella charta est, bella littera, istic adornata editio, quis poterit emere, præter exemplum unum sive alterum ? mihi quidem centum opus est & amplius: sed unde mihi

Joa-

Joachimici viginti quinque affluent? si sciat ille, fortè sibi quoque utilius consiliū cupiat, quem profectò, nolim spem commodi frustrà cepisse: quin αὐτὸν τὸν Ἄρχοντα malè habeat, si tam pulchrè expressa exemplaria non disseminentur longè latèque de tam memorabili controversia. Narra filio Latonæ: & hoc, neque dum redisse hominem à viadro: & exspecto Rhodium. Vale. Helmst. ex A. J. D. 19. Mart. 1601.

EPISTOLA XVI.

Audio τὸν Ἄρχοντα istic esse. Fortè constituet de examine, nisi negocia graviora impediant. Si accersat hac hebdomade, &, si quid opus est mea præsentia, adero: sin alterá, mihi domo abesse, erit ἐκ τῶν ἀδυνάτων, nisi salutem filii negligam. Hoc vos scire volui, si cujus vestrum interesset, me illi explorationi profectus Alumni vestri interesse. Tanti est nostrum negocium, ut excusationem meam istic valituram, si ea opus erit, arbitrer. De Paulino rectè scribis. Nec tamen minus ille stomachum movebit

malis. Ringantur igitur: sed maledicere nobis non desinent: malè, si queant, faciant. Fratri tuo nusquam deero. Ingenii satis habet: sed inflammatum esse oportet studio doctrinæ, & quasi ruere in labores. Quæ eduntur, eorum exempla exspectamus. * * ὁ Ἄρχων hodie Schöningam veniet; qua de causa non te fugit: hoc arcanum in ore populi fuit & est: quod proximi nesciebant, aut silentio premebant. Scilicet illustria sunt & in conspectu etiam Regum somnia; nec opus illis est, ut fenestrati sint omnes palatiorum parietes, quod Drusus Romanus volebat. Namq; quis non Lynceus in factis Regum? Hæc scribebam in lectulo, cum ad me veniebat Borcholdus vicinus meus, & refert, quæ nos heri manè comperistis Spirensia. Nefas foret, si non justè pronunciaretur pro Principe, qui æquitatem in sententiis dicendis ἐρωικῶς observat. Illi autem Brunsvicenses, si nonnihil modò contrahent: atque hoc fortè fuit, quod legationem ad Principem mitterent, ut fama fuit his diebus. Sanè expedit illis, ut pareant; qui liberi si sint, qua arte

rem

rem administrent bene? sed ad institutum redeo. Velim aliquid pangas populari tuo, quod cum nostris edatur. Ipse cœpi alternos τριμέτρας καὶ διμέτρους: in quo genere tyro sum. Ego existimo de examine nihil futurum ante Calendas. V. H. ex A. J. IV. Kal. Maj. 1601.

EPISTOLA XVII.

CUm hic juvenis Lohman Helmstadiensis istuc negocii causa proficisceretur, dedi ei hanc scidam accincto jam ad iter. Epistolam Clampii cum voluptate legi: scribam otiosior. Corfinius nequedum venit: neque non tamen eum in singulas horas exspectamus. Vides meâ interesse, ut in dies aliquot examen vestrum ducatur. De nuptiis Nendorfii puto te à me esse monitum, quem ornare nostrum est, tuum omninò, qui popularis ejus es. Fama est & M. Conradum uxorem ducere. Audio abesse Delium, eumque ἀναθηματισθῆναι: sed & alia. Multi quoque ægrè ferunt laudatum à me ἀγαθὸν ποιμένα, cum nulla καπηλευόντων commendatione. Vale. Helmst. ex A. J. VI. Non. Maj. cIↃ IↃ CI.

EPISTOLA XIIX.

SI quid nos scire velis, habes vicinum meum, cur des. De adventu Corsinii ut habeat, scripsi ad Clampium. De nummaria istinc nihil rescisco: an propinquum? an longinquum? Τȣ̃το θεῶν ἐν γȣ́νασι. Ne negligas Nendorfium, popularem tuum: nuptiæ erunt XVII. Maji. Τȣ̀ς φίλȣς ἀσπάζομαι. Vale. Helmst. ex Acad. Julia. III. Non. Maj. 1601.

EPISTOLA XIX.

TUam ad Nendorfium gratulationem exspectamus: annon frustrà? Jam enim fero nonnulla Epigrammata ad Typographum: quibus præfigo epistolam, ut proximis, non diversæ sententiæ. Qualiacunque erunt, videbitis altera hebdomade. Eâdem, ut ante scripsi, aderit Corsinius. Namque heri factum fuit funus filio Electoris, cui ille interfuit. Hodie iter ingredietur, aut die crastino. Hinc conjecturam facio, adfuturum pridie ἀναβάσεως. Ἑβδομὰς ἡ πρὸ Πεντηκοστῆς

tota

tota est destinata promotioni Magistrorum, & renunciationi Rectoratus. De Sententia Spirensi cognovimus postridie illius diei, quo istuc allata fuit. Exemplum deinceps accepimus. Erat Magnificus iturus tum Schœningam ad Principem, [fuerat namque accitus.] Itaque exaravi literas, quas, si videretur commodumque esset, redderet. Mitto eas, non tam ut reddantur, licet non repugnem, quam ut legatis, tum Clampius, Delius. Mitto & Delio exempla reddenda ex amicorum epistolis. Plus garrirem, sed non teneo adolescentem, ut hodie istuc veniat. Vale. Helm. ex A. J. id. Maj. 1601.

EPISTOLA XX.

SAtis diu non vidi fratrem tuum: ac mirabar, quid esset, ut minus jam domum meam frequentaret. Scilicet D. Scheurlæus parat filiæ nuptias, & suos omnes occupatos tenet. Non est prætereundus ὁ Ἀρχιγραμματεύς. Puto ipsum tibi daturum operam, præsertim cum sciat, è Principis re futurum

maximè, ut à te solo instituatur, donec fundamenta jecerit, non solùm illius nostræ linguæ ἀναγκαιοτάτης πρός τε τὸν βίον καὶ πρὸς πάσας ὁμιλίας βασιλικὰς, ἀλλὰ καὶ τῆς προαιρέσεως, de qua nimis parum plerique sentiunt & intelligunt: cumq; sentiat, ab uno id jaci & perfici oportere, & nihil educationi obesse magis, quàm docentium mutationes, non deerit nobis. Tantum mihi de ipsius integritate polliceor: etsi velim mercedulam annuam tibi initio fuisse liberalius constitutam: sed miræ sunt consuetudines aulæ non probandæ fortè in universum, sed probandæ prorsus, donec nos expediamus: sed in tempore omnino videndum, ne patientia nostra nobis fraudi sit. Fratri tuo dictabo quædam nostrâ linguâ, ut videas, quibus argumentis te uti oportere arbitrer. Eas literas ubi confeceris, mihi censendas mittas. Cogitabo, sitne ex re, ut ipse in eo negocio πρός τε τὸν Ἐφιφανέστατον καὶ πρὸς τὸν Ἀρχιγραμματέα scribam. Fortè tibi profuero, sed multo magis disciplinæ tuæ alumno. Simul hoc mihi olim erit honori. Ut enim ille e-

rudietur & proficiet, ita de me loquentur, qui aliquid consilii ad ejus παιδείαν contulerim. Vale. Helmst. ex Acad. Julia d. xv. Jun. clↄ Iↄ ci.

EPISTOLA XXI.

TAntum ut epigrammatum ἐπιθαλαμίων exempla ad vos mitterem, hæc exaravi: & unum heri lusit D. Theodorus, quod hodie operis dedi. In tuo ἄτην ἀντὶ μεγαίρας posui: nec τὸ *equidem* locum habet, quia est ἔγωγε: sed nonullibi legitur tamen pro *quidem*. Heri hîc solemniter actæ gratiæ: nec quisquam est, qui invideat Βρουνοπολίταις justitiam. Meam πρὸς τὸν Ἀρχέντα ἐπιστολὴν non nolim sciri scriptam à me: fortè Clampius legerit. Per Angelium exspecto promissos versus: hic pulchrè proficit: utinam & Theodorus, sed ratione in ordinem redigendus est. Tu, quod blandè exorsus fueris, ego severius persequar. M. Possellio Henrico funus in patria factum mense Aprili. Σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωπος.

 Vale.

Vale. Helmst. ex Acad Julia natali meo undeseptuagesimo anno primo post millesimum sexcentesimum.

EPISTOLA XXII.

HEri sub noctem reddidit mihi gener meus D. Theodorus epistolam tuam cum versibus Nendorfio scriptis, serius ut ipse fateris, quam oportebat. Nostra enim jam partim edita, partim collocata, ut tibi tuus locus tribui non potuerit. E vestigio ad Typographum misi, ut seorsim ederentur, neque dum à me lecta. Si quid animadvertero ἐπανορθώσεως δεόμενον, faciam, ut jubes. Quæ mihi scribis, exspecto, libenter legam, & opus est non tam laudatione, quàm benevolentia vestra. Dici non potest, quam post unius Cerberi latratum multi me canes ex variis angulis prosilientes allatrent, ut canes rure solent adoriri & allatrare transeuntem viatorem quamvis innocentissimum. Illa igitur aut ne flocci quidem facienda sunt, aut ulterius vitæ spacium minimè optandum. Illud velim, de

de hoc ſum non admodum ſolicitus. Caminæus abierat. Corſinius nondum venit, qui ſe iter ingreſſurum Berlino ſcripſerat idibus. Hinc eum in ſingulos ferè dies exſpectamus. Alterum octidum hic deſtinatum eſt ſolemnitatibus publicis. Ad Delium ſcripſeram de negotio Typographico, qui utinam adſit & aliquid in medium conſulat! ſi venerit, quæſo, Jacobum Lucium in ipſius ſermonem inſinues. Non tam ipſius intereſt, quàm Academię, quod toties monui τὸν Ἀρχιγραμματέα, ut, ſi iterem, videar importunior: quem etiam de re mea tam valde neceſſaria monere vix auſim. Ad diem fortè non accerſar, quod quidem mihi perinde eſt. Velim tamen & opus eſt hoc negocium domeſticum, quod ſcis, cum Corſinio prius expeditum. Vale. Helmſt. ex Acad. Julia XVII. Maji 1601.

EPISTOLA XXIII.

BEllè ſtetiſſe in omnibus Principem tuum, omnibus nominibus gaudeo, ſed tuo non minimum.

Etenim honestè potes, quæ ad res tuas constituendas pertinent, petere, quod te proximè monui, in quam sententiam supplices litteras confici oporteat. Vernaculâ linguâ dictabo fratri tuo & ad te mittam: quin ipse cogita & conscribe, quod tibi cunque videbitur. Consule & Clampium. Nam & utrique in mentem venient, quæ mihi non item: alia mihi: proinde nihilo minus mittam, quæ dixi. Filius Joannes Carolus binas ad me Berlino dedit ἐκ πεντηκοστῆς. Quando nemini dum literas meas reddiderat, nedum aliquid constitutum fuerit. Interea ex aliis accepi, quæ quantæque difficultates sint in illa familia Archi-Episcopali ob ἔφορον. Malè ibi vivitur, & omnia administrari pessimè necesse est, ubi non συμφωνοῦσιν ὅ, τε ἔφορος καὶ ὁ διδάσκαλος. Hæc quomodo se habeant, & de cæteris conditionibus intelligetis, ubi ipse cognovero. Quæ, si erunt mediocres, flocci faciam judicia malevolentiæ. Eram hominem Grôningam missurus ad Lippium & ad Delium. Ad illum scripseram, negocium tamen meum χρηματιστικὸν ei aperuit Cornelius.

Quando

Quando promisit omnia , iterum erat scribendum. Quia verò mihi Groninga narrat Oveni filius, parata fuisse illic omnia, ut istuc irent, mitto ad te illas litteras, quas venientibus reddes. ∴ Facio, quæ possum. Τὰ λοιπὰ θεῷ μελήσει. Vale. Helmstadii ex Academia Julia prid. id. Jun. cIɔ Iɔ cI.

EPISTOLA XXIV.

QUid litteris opus est? qui fratrem audies de omnibus. Ego istinc nihil comperio, quod mihi saluti sit: nec me fugit, quod ais περὶ ἀναβολῶν. At hæ sunt ἐπιφαιτεῖς. Utinam ne fiant perpetuæ σκήψεις! Me verò adoriuntur quotidie acres illi monitores non molliter. τὴν ἐσχάτην τῶν θεολόγων πρὸς τὸν Ἐπιφανέστατον παραίνεσιν, de qua ex Clampio audivi & postea ex Cornelio, valde aveam legere. Roga τὸν Λήθους υἱόν. Hornii filius revertens è Pomerania ac Megapoli, narrat passim quæsitum de controversia, re intellecta prædicasse sapientiam & justitiam Serenissimi: multa item alia.

Ego namque ibi, meique mores notissimi. Περὶ Βρουνοπολιτῶν aut scribe, aut narra omnia fratri. Vale. Helmst. ex Acad. Julia 22. Junii 1601.

EPISTOLA XXV.

PEr fratrem tribus verbis ad te scripsi: scribo totidem per Lucium, quàm velim huic consuli, vel Academiæ gratia: quo nomine ad te minem quiddam dare audeo. Negocium enim ὁ Ἀρχιγραμματεὺς Bodomario in manus dedit: hic Serenissimo retulerit, aut referet. Sum sollicitus, quod de filii rationibus nihildum habeo. . . . ὁ ἐκ Δήλου bonam mihi nec eam longinquam spem fecit: ei salutem, & ut pro me vigilet, καὶ τ χείλωνα ὀτρύνῃ.. Vale. H. ex A. Julia cIↄ Iↄ CI. VII. K. Quintil.

EPISTOLA XXVI.

AD capita tuarum literarum hæc habe. Περὶ γαμηλίων expediam hodie sedulò: etiam vos excusabo. Librum de republica à Crusio

Crusio habui, non habeo: reposcenti remisi, ni fallor: at quando? at per quem? neque hoc memini. Redde Peparini literas Clampio. * * Cum anno abhinc ad nos excurreret, me ei perferendum dedisse suspicor: nec tamen ausim affirmare. In meis libris ille nusquam apparet. Interea me, ut potes, purga: cogitabo, investigabo. ·. ·. Permulta habeo, quæ iterum legas, in iis quædam aculeata καθ' ἱεροφαντῶν, & sunt, de quibus consulere pervelim τὸν Λητοῦς. Namque quis alius de re nostra cogitat? Ἡ ἀγάπη καὶ πᾶσα εὔνοια ἢ φιλανθρωπία, ποῦ; μικρὰ πάντα καὶ ἄφιλα, καὶ ἐρίδων καὶ μίσους μεστά. ἔρρωσο. Vale. Helmst. ex Acad. Julia 27. Julii cIↄ Iↄ CI.

EPISTOLA XXVII.

EXempla μουσηγέτου ad vos mitto: mitto aliquot & ad Cancellarium: quod propterea moneo, quando ille literis exemplum flagitavit, quod ipse redderet Serenissimo, Rhodomanni nomine: quod vos moneo, ne τὸν ἀρχιγραμματέα antevertatis. Sic enim minus bonam gratiam inierimus. Quod

ad te

ad te pertinet, perscribam mane crastino. Vale. Helmst. ex Acad. Julia vi. Non. Quint. clↄ Iↄ ci.

EPISTOLA XXVIII.

NOn vacat mihi rescribere ad singula epistolæ tuæ capita. Quò spectas, id agam. Non reprehendo, quod tibi in futurum non nihil prospectum cupis. In hoc quia mihi fui negligentior, jam pœnas pendo. Formicæ granarium complent æstate, non ratione, sed occultâ vi naturæ instigante, ut hyeme quod edant, habeant. Quod in hac re consilium à me petis, id habes in promptu. Quid enim rectius, quam ad eum confugere, qui hoc negocium direxit initio? Sed videris hoc dicere, ut quoniam, suadente me, te istuc contulisti, illum ipsum moneam, cui te tum primum tradidi. Hoc fortè non opus sit, quando talium rerum ille existimator est, & intelligens καὶ δίκαιος: tamen, ut tibi morem geram, paucis verbis eum monebo, non tam, ut te audiat, qui vel è vultu tuo videat, quid velis, quam ut cogitationem de negocio

porrò

orrò suscipiat, ut cum Principi per te
ptimè consulatur, tibi quoque consu-
tur à Serenissimo. Vale. Helmst.
x Acad. Julia IV. Non. Quintil.

EPISTOLA XXIX.

ITa scripsi alteram ad te, ut eam, si videatur, legat ὁ ἀρχιγραμματεύς. Meæ quoque ad ipsum exemplum mitto. De meis rebus lege, quæ scribo ad Clampium: cognoscas, quæ nolis, neq; nulla tamen probes. Ego autem hoc absque indignatione accipio, ut omen duxerim. Expedit enim, ut alia præsidia sibi filius omni contentione paret, quæ firmiora sunt & certiora: κηλῶν ἢ ἱπποκενταύρων ἐν νεφέλαις ἔσθ' ὅτε φαινομένων. Theodoro, τῷ ὑπογραφεῖ τοῦ ἄρχοντος narra, gravissimum mihi facturum, si à Serenissimo quædam Decreti exempla mihi obtineat: utinam etiam consilii L. Melchioris, quod mirè placuit omnibus, qui legere, & facit plurimum ad honorem optimi Ducis nostri. Res docet, fuisse juris peritissimum, virum integerrimum, nec tantum amantem justitiæ ac sa-

ac salutis publicæ, sed infensum malarum causarum patronis, qui astuta & impudentia consilia auro vendunt, ut plus negocii & calamitatum mortalibus concilient. Vale. Helmst. ex Acad. Julia prid. Non. Quinctil. CIↃ IↃ CI.

EPISTOLA XXX.

HEri in eo eram, ut ad te scriberem, sive potius deplorarem communem calamitatem nostram: sed hoc reservo in congressum nostrum, qui quando sit futurus, ne suspicari quidem possum. Nam eorum alter plerumque abest. Ego tantum non despero, nec video, tu quid sperare à quoquam possis, nisi ab ipso Evergeta, modò ei in mentem veniat. Nam quocunque alio niti: nos vetat experientia, quæ mihi est longissima: niti, dico. Nam tentare oportet, sperare nonnihil licet. Et invaluit: ἡμᾶς μὲν ἐνδεεῖς εἶναι, πάντων δεῖν καὶ πεινᾶν· ἐκείνους δὲ πλουτεῖν καὶ πεπληρῶσθαι εὐτυχιῶν. Hoc si persequar ante vesperam, non perscribam, quæ in mentem veniunt: vera quidem, sed ad

salu-

lutem parum. De examine an primi
ocuerint Sereniſſimum, me fugit: ne-
no me eo nomine monuit. Sed redeo
d principium. Cum igitur illud agerem,
eddidit mihi à te frater literas: ſed &
lteras legendas dedit; quod in rem eſt,
onſulit. Nunquam ad me venit, quin
pſi occinam veterem cantilenam, ut to-
us ſit in literis, ſed ante omnia munus
uum bona fide gerat: facere utrumque
uto. Vale. Helmſt. ex Acad. Julia die
8. Sept. cIↄ Iↄ cI.

EPISTOLA XXXI.

QUod comperiſſe te arbitror, perendie huc veniet Nobiliſſimus Κρυσιάδης, πρωτοπαιδευτης veſtri Principis, & ad me divertet, ſic curante Parcovio, hoſpes cum aliis gratus, tum mihi gratiſſimus. Per eum & ſcribes, ſi qua voles, & mittes, quæ proximè rogavi, modo in promptu ſint. Exemplis autem mihi opus eſt, cum hic quotidie, tum in itinere, quod Merſpurgum faciam ad conſanguineum meum. Hoc enim ille me fuit aliquoties

ties obtestatus, & ipse profuturum valetudini meæ spero. Vale. Helmstadii ex Academia Julia III. id. Septembr. cIↄ Iↄ CI.

EPISTOLA XXXII.

Domum ex itinere breviore, & aliquando citius redii: in utroque reperi, quod præsciebam: nihil videlicet commodi & molestiæ satis. Hanc enim etiam hodie fero: sed non, ut olim. Quid agam, te docebo, cum aliquid agam. Incipio enim respicere ad officium. Nec tamen dubites, quotidie se offerre plus, quam exhaurire valeam, domi, foris, in familia, inter alios. Eum autem laterem, quem tot annos lavo, is colorem non mutat, nec fortasse candescet aut ad solem collocatus, aut in nive positus. Datum mihi fuit consilium, quo ut me ἐαδοξάλω, quanquam ferè extremo, non utar, etiamsi pereundum sit, à quo absum proximè. Mea autem causa istuc aliquando veniam: & hæc si moveri non poterit, vel tua. Imperabo autem tibi rem

rem difficilem ἀναίδειαν, qua ipse non utor, sed tantum opus est, ne sit ἄκαιρος: atque hæc hoc difficilior. Corfinii res sunt bono loco, sed meliore spe, nisi in quo omnia sunt mala, quod luctatur jam suo Leonidæ. Tu habes συνεπιστάτην καὶ πρωτεπιστάτην ἄνδρα πεπαιδευμένον, φιλάνθρωπον, ἐπιεικῆ συνετὸν, φρόνιμον καί σοι φίλον. Feras igitur cætera, ut speres bene: neque spes te juvenem fallet: ætate desperatos spes etiam, quoad reliqua deficit. Fratrem tuum excito, quoties ad me venit. Venit autem non quotidie, ut solebat: vel quod abesse à pædagogia non potest, vel quod totus in libris est. Vale. Helmstadii ex Acad. Julia 3 id. Octobr. clↃ lↃ cι.

EPISTOLA XXXIV.

Subitò scribendum est καὶ αὐτοσχεδιαστέον. Proximè scribam ad Clampium: quem tamen abesse narrat Corneli9, itemq; ad Deliũ, nisi ipsemet venio. Ex itinere Merspurgensi redii die divi Michaelis. Biduo triduove mihi proficiscendum est in Sokevedel: ubi

ubi in nuptiis Stampelii conveniemus ego & affines mei Megapolitani. Quæso adi uxorem D. Othonis, eamque mone de mittenda pecunia Jo. Ernesto in Italiam. Pervelim quoque eos excitari ab aulæ Magistro. Novi enim nostrorum hominum in rebus tam necessariis ἀναβολὰς, vel potius veternum. De pecunia queri aut scribere, video tam esse inane, quam illa mihi valde opus est: quotidie magis magisque demergor in voraginem curarum. Vale. Helmst. ex Ac. Jul. 2. die Oct. clɔ lɔ ci.

EPISTOLA XXXV.

Rectè hic heri omnia mihi reddidit: remittitur istuc ad Wolterum, qui nobis inanes literas Calfortum dederat, ac fortè hunc remittet inanias ferentem pro nummis. Crusio musicos libros quæram. Modò eram in meditatione oratiunculæ, quam die crastino habebo Pro Cancellarius, & despicio, unde tam subito aliquid corrodam. Vale. Helmst. ex Ac. Jul. IV. Nov. clɔ lɔ ci.

Epi-

EPISTOLA XXXVI.

CUi alteras daturus eram, abierat. Negocium nostrum tibi curæ erit, ut rogo. Aliud nihil habebam, nisi audire velis, quod ex hesternis literis cognovi, quas ad me dedit Rector Gymnasii Islebiani, Graverus, vir doctissimus, Theologus eximius, itemque Philosophus, acutus item disputator, ut noster Cornelius, expeditus, disertus. Utinam ille aut ejus similis apud nos doceat! Scribit ad Ratisponense colloquium profectos Theologos, Vitæbergâ D. Hunnium, Marpurgo D. Mencerum. Eram in media scriptione, cum Rufus reddidit mihi tuam epistolam longiusculam; rescribam per generum perendie. Hoc nunc: putare me, sive scire, fratrem tuum niti benevolentiâ Λιχαίῳ, deque ejus consilio videri facere, quæ faciat. Vale. Helmst. ex Ac. Jul. v. id. Nov. clↃ lↃ cI.

EPISTOLA XXXVII.

MUltum tibi debeo, qui in tempore me accerseris. Non quiescam

ante, quàm fecero, ut mihi contra debeas. Tu interim ne te animo crucies. Non novum est illud: βάρδιςαι μακάρων ὧραι φίλαι, ἀλλὰ ποθειναὶ ἔρχονται. Quod de Divis ludis, si inter ipsos conveniat, ὡς εἰκός ἐςι τοὺς θεοὺς συμφωνεῖν, perinde foret: sed postquam Homerici dies dominãtur, ad hosce illosve te conferas, meritò dubites. Hoc igitur jam relinquimus in medio: tu facies, ut utrobique plurimum causæ sit tui amandi: ego quotquot benevolentia erga te omni occasione confirmabo. Idus tuas Octobres istic ne percurreram quidé, hic consideravi; in iis te vicisti, mihi satis fecisti. Quod si intelligat is, cujus illæ propriæ sunt, non maneas ἀδώρητος: sed aliquando cognoscet, quis tute sis, idque bono tuo, dicam optimo, si tibi fortuna faveat. Literæ quoque tuæ in dies fiunt nitidiores, quamvis extemporaneæ. In hoc & in prudentia non minimam partem præmii tibi positam puta. Cynthius measne literas in Regiam miserit, doce me, si non misit, ad me remitti velim. Quæso

hanc

hanc mihi operam da: mea interest: ne pereant. * * Vale. Helmstadii ex Academia Julia 3. id. Novemb. clↄ Iↄ CI.

EPISTOLA XXXVIII.

De fratre tuo nemo interea quicquam nunciavit: nec ego satis mirari queo adolescentis προπέτειαν, qui te ante non consuluerit. De repentino obitu Heimburgii nostri prudenter & piè scribis: mihi verò hac ætate nihil est optabilius, quàm εὐθανάτως ex hoc theatro miseriarum & maledicentiæ decedere. Interea & Cludius minimã natu filiolam sepeliit, quę quo morbo perierit, ne Medicis quidem constare video. Ex meis convictoribus variolis quoque decumbit Hudebergius, sed citra omne periculum. Tempestas hæc brumalis me graviter afficit. De quo rumusculo proximè scripseram, eum attulit, qui primus fons illius mali olim exstitit, ut audio, gratulabundus, quemadmodum & alter, quem proximè nominavi, ac si res magna sit, aut vera etiam. Audio, non esse de nihilo. Adventurum enim, ut quibusdam

Ecclesiæ ministris, de reculis, nescio quibus, depositis rationem reddat: quod cui potest esse aut molestum aut dolori? Ipse etiam gaudeam, si ad sanam mentem redeat. Equidem existimo, me hominis calamitate plus affici, quam afficiatur ipse, aut ipsius amicissimi, qui non tam ipsi bene, quam aliis malè esse velint: quod dum agunt, nihil ad extremum sibi parient boni. Sed hoc relinquam. Brunonem quæso mone, ut apud Wolterum instet: maximè opus est Pflugio, cujus penuria meam duplicat. Cum enim eget, quem compellet, nisi me? Monuit me gener de Pharmacopæo: quod ne te solicitet. His enim diebus agam, ut primum ejus compellandi mihi otium erit, ne verbo tibi molestus sit. Audio huc in quodam negocio venire Clampium: per eum iterum aliquid dabo, quicquid erit. Hoc Decembri ad principium Xenophontis revertar & de integro describendum curabo; ubi duos tresve libros correxero, eos ad vos mittam, & pergam tamen interea. De Delii tabellario, ubi redierit, quæso quas mihi literas feret, vel

Digitized by Google

vel ad te recipe, vel per ipsum ad me mitte. In negocio isto Apollineo audio esse ἐκεχειρίαν, malim ἀμνηστίαν: præsertim cum nihil profici posse videam. Quæ flagitat Mancinus, si in promptu fuissent, curassemus antea. Ipsi & cæteris salutem. Vale. Helmst. ex Ac. Julia cIↃ IↃ CI.

EPISTOLA XXXIX.

SUperiora leges ex altera epistola. Videmus προφηλίσαι τὸν ποιητήν. Hodie enim cum ambulatum exirem versus forum, ad quod nondum veneramus, vidi duos currus ascendentes in adversam plateam, quæ est ad curiam. **Ille igitur advenit, cui gratulabuntur, sive gratulabātur [jam enim cœperant]** qui aliquibus nostrum minus volunt, quod neque adulari, neque servitutem servire didicimus. Scimus autem officium nostrum facere, & juventutem solidiore doctrina imbutam cupimus: quod certum quoque signum est, ne optare quidem nos κολακεύεσθαι. Ejus præsentia literis spargetur per Germaniam,

niam, eruntque varii hac de re sermones, discrepantes judicantium sententiæ: nec deerunt, qui dicant, vel scribant, vel certè existiment, rescissa superiora omnia. Quin hîc sunt, qui restitutum iri autument: quod etsi ego ne suspicor quidem, tamen quam omnia inter mortales dubia sint, cum cogito, ipse nihil mihi affirmo, præsertim cum præter omnem meam opinionem unus lacrymando muliebriter, & gloriando militarem in modum, obtinuerit omnia. Hoc cum intellexissent alii, mirati fuere, in re tanti momenti, in qua videlicet consisteret salus Academiæ, geri ὑπεναντία. Sed ego hæc interpretor, ut Nazianzenus Theodosii remissionem accipiebat: sive ὁ ἄρχων hoc consultò fecit, ne videretur ordini minus favere, sive ipsi quorundam importunitate extorsum fuit. Quidquid futurum sit de universo negocio, aut quid conjiciam, vix habeo scribere. Unum ego non dubito, hanc quorundam συνδρομὴν non futuram sine malo, quod velim non esse publicũ. Satis enim jam laborat hęc Academia. Ego sequar rationem, & servabo mores meos, abhorrentes ab omni contentione,

ne, nec non rationem habebo valetudinis, ætatis, & dignitatis meæ: nec quisquam erit contentiosior, quam ego modestior & taciturnior. Opto quoque, ne quis quidquam de molitionibus ad aures meas perferat: & eos fugiam, qui illarum sunt conscii: denique amicos rogabo, ut si quid ejusmodi cognoverint, id sibi sciant. Non enim solum ero quietior de animo, sed etiam quæ in manibus habeo, tractabo diligentius, eorum unum atque alterum exemplum videbis brevi. Quia & Cornelius abest, minus fortè verborum fiet: nam illi minimum solent parcere, nec ipse illorum insolentiam ferre potest. Mirabitur, si utrumq; audiet, hunc hic esse, alium in me scriptitare. Verum dic mihi, nihilne allatum interea Ratisbona? Sed propiora sunt, quid tumultus Brunopoleos? An conscribunt militem? De ducentis equitibus hic affirmatum est: an eruptionem facient? Sunt qui hic metuant: sed profectò non dormiet, ᾧ λαοὶ ἐπιτετράφαται. Si in armis illi sunt, nos arma sumere res ipsa jubet. Sed nequedum illud credo. Itaque hic non ferro, sed consilio opus est. * . * .

Hæc dictabam pervesperi, fortè

alia subjiciam ante lucem: multa enim mihi in mentem veniunt, aliud ex alio. Sed fortè satius sit me alia agere, quæ propius ad me attinent. Verum quò magis inclinabo, eo me occupabo in crastinum. Vale. Helmst. ex Ac. Jul. Kalend. Dec. 1601.

EPISTOLA XL.

EXtemporaneam meam scriptionem feras, modò aliquid à me scribi velis. Feram ipse quoque tuam, si subitò scribendum sit: ut ut utrique plurimum evenire video. Discerno autem tuas epistolas. Namque in quibus operæ aliquid posuisti, ostendo familiaribus; nisi quid habeant, quod alios ignorare velimus: quanquam quę ejusmodi sunt, ita obscuras, ut ea mihi relegenda interdum sint. Ipse quoque de te ita scribo, ad quem maximè volueris, ut qui præterea legat, nihil suspicetur. Ille verò videat mihi res tuas cordi esse, & ipsi quoque cordi esse desiderare. Commonebo, ni fallor, ipsum, nec ejusmodi scriptione videbor importunus,

cum

cum talibus literis laudetur magis quam rogetur. Sanè non puto hanc rationem Φιλοτίμῳ ἀνδρὶ adversam aut oneri esse. Verum mora gravis est, nec tam per se, quam quod in dubio interea manent omnia, de quibus certius aliquid cognoscere desideremus. Verum quid facias? *Ferenda est fortunæ torvitas, & interim demulcenda. Id fit ferendo, sperando, officium faciendo. Quod qui faciat, fieri non potest, quin palmâ potiatur.* Namque quam sapientissimi principis gratiam non vulgaribus meritis, perpetuâ curâ & magno labore tibi paras, ea tibi honorem & commoda tempestivè pariet. Quod si omnibus excidas, quod non erit, aufferes tecum duo bona eximia: *plurimum prudentiæ & animum rectissimè sibi conscium.* Hic in semet ipse quiescit, nec à re abripitur: illa fortunæ nunquam compedes injicit: atque ita bonus bonam sibi fortunam fabricatur, moderante nostra quoq; Moderatore universi. De fratre, quem in transitu ad te declinaturum rebamur: rediit nudius quartus, expedito negocio suo, an magis impedito? habet rem in regiis familiarem, ὑποχέσεις, primum, ut ego videre videor, dubias, cum conditione,

ne, quam tu non suaseris, ego dissuadeo. Nosti id obligationum genus, quæ libertati vim inferunt: cum ἁπλῶς etiam dicatur *vendidisse libertatem, qui beneficium acceperit.* Alterum verò, grave profectò & ejusmodi beneficium est, & tale, ut potius prima ætate quis servitutem serviat, ne libertatem in discrimen adducat. Verum ipsum forte brevi audies, & quod in rem erit, consules. Ludovico numeravi, quod numerare meum fuit: aliquando non memineram, nec ferè fuit, unde satisfieret: nosti angustias meæ rei familiaris. Cætera ex genero meo & Pflugio audies. Vale. Helmæstadii ex Acad. Julia XIII. Kalend. Jan. anni CIↃ IↃ CI.

EPISTOLA XLI.

Carissime Diepholdi.

LOquor namque breviter, & volo, ut epistolarum tuarum initio ne me oneres solemnibus illis & ponderosis titulis, cum per se sint plumâ leviores. Tuas autem litteras cum iis, quæ Ratisbonâ allatæ ad vos fuerant, reddidit mihi vicinus Groboe,

Digitized by

beccius prætereunti, cum gener & Pflugius portam egreſſi vixdum erant. Ita evenit, ut nihil de tuis ſcripſerim, quod miratus fueris. Non enim erant adeò recentes. Puto illa cum cæteris narratiunculis Noribergâ miſſa ad Cruſium. Legeramus hîc ſimilia, nempè exempla duarum epiſtolarum Hunnii, ut inſcriptio loquebatur, ferè in eandem ſententiam, quarum alteram ſaltem γνησίαν non ſuſpicabamur, quod condita videretur jocis νεωτερίζουσιν, οὐ πρέπουσι θεολόγῳ. Sed noſtra ſunt pleniora, ſcripta tamen, ut apparet, à noſtris. Narrabunt illi, ut ipſis erit commodum, quid autem? nihilne dum Cornelius? ſcripſiſſe nullus dubito, modo valeat. Abiens enim IV. Non. Nov. quam ſanctè promittebat ſtans ad currum, ſe quamprimum, ſæpius, diligenter, copiosè ad nos perſcripturũ omnia. Nam, verè, non dubitamus. An minus valet? an fallunt γραμματοφόροι, & ipſi ἡμεροδρόμοι? Mercatores credo, qui, niſi de lucro agatur, nullas literas fideliter curant, quas illi inanes & nihili habent. Cœpi earum deſiderio ſtomachari, & ſtomachari τὸ Ἄρχοντα ſuſpicor. Fortè aliquid referet gener: aut tu ſcribas, ut pri-

primum erit, quod narras, si meâ præsentiâ opus foret in meo negocio, decreveram ante Kalendas vobis adesse. Jam non potero. Iis anni diebus veniet ad me frater in re sua necessaria: quo nomine heri nuncium ad me misit cum literis. Per fratrem tuum iterum scribam, si erit otium. Ait enim se cum Potinio in feriis istuc iturum, ut capiat tecum consilium; atque illis ipsis diebus præsto vobis erit ὁ τῆς πατρίδος τῆς σῆς Ἀρχιγραμματεὺς πρὸ τοῦ πρὸς ἡμᾶς ἐλθεῖν. ἔρρωσο. Vale. Helmst. ex A. J. IX. Kal. Jun. cIↃ IↃ CI.

EPISTOLA XLII.

QUam acerbus appellator sit amicus noster, ex pluribus literis, quas eadem de re ad me dedit, facilè appareat: nec fuit proximè mitior, nec ullum preci meæ reliquit locum. Gener pro me apud ipsum locutus, idque me inscio: putavit se inventurum viam, qua versuram facerem. Quem putavit nobis fortè posse gratificari, ejus conveniendi ipsi pote-

by Google

potestas nondum fuit. Ἐπεὶ δὲ τὸ μέλλον ἄδηλον, οὐδὲν ὑπισχνεῖσθαι ἐν τῷ παρόντι δυνάμεθα. Quæso, ut, redditis literis, agas causam meam. Demulce: denique doce amicum communem, ne se totum quærendæ rei devoveat: nec existimet, tali cura se beaturum liberos. Talis conatus plerosque fefellit, & fallet deinceps. Vale, & felicem operam hac in re nava. Helmst. ex Acad. Julia 4. Non. Jan. cIↃ IↃ CIII.

EPISTOLA XLIII.

PRætuli inauratum poculum argenteo, ὅτι δοκεῖ δῶρον βασιλικώτερον, utriq; aureos vel argenteos. Quodcunque tamen constitueritis, nihil aberraveritis. Nam & argenteus scyphus in oculos incurrit, & conflari potest in monetam, quando voles. Cum paululum vacabit, de decretis ἐφορίας tecum garriam; miraberis. Militaris petulantia etiamnum hic grassatur, & mihi cumprimis multum facessisit negocii. Ante biduum D. H. filius grave vulnus adolescenti inflixit, οὐ πάνυ ἀκίνδυνον, vel Chi-

Chirurgus, quem inter has literas audivi, narrat: illa hodie ut evenerint explorandaſunt, Parcovius vobis cras aderit. Iterum ſcribam. Exemplum habebis Valleſii. Vale. Helmſt. ex Ac. Jul. prid. id. Febr. cIↄ Iↄ cI.

EPISTOLA XLIV.

Ὁ τοῦ καμβροῦ λόγος καί μοι δοκεῖ μηδαμῶς ἔκ τινος φρέατος δημοτικοῦ ἠντλημένος ἀλλ' ἐκ τῆς χαρίτων πηγῆς: verum hodie ἐν δ' ἴσῃ τιμῇ ὁ μὲν κακὸς ἠδὲ καὶ ἐσθλός, ὁ στρατιώτης, καὶ ποιητὴς καὶ ῥήτωρ. Noſtra ætate, qui ad rem malit aſpirare, neceſſe habet præmium rejicere è conſpectu, ſibi vivere, aliud nihil ſperare. Meas Kalendas mitto abſolutas & perfectas, ut à me potuerunt perfici. Libri de ſacra Philoſophia, ut uno verbo dicam, divini ſunt: qui ſi Muſis non ſapient, habeant ſimiles ſibi labra lactucas. De altero exemplo & aliis libris mihi curæ erit. Fiet enim, ut in contractu ipſo auſus fui præſcribere. Vale. Helmſt. ex Acad. Julia xv. Kal. Febr. cIↄ Iↄ cIII.

Epi-

EPISTOLA XLV.

HEri indicavi, me per Parcovium iterum aliquid daturum: exemplum unà mitto Vallesii, quem ego tibi non parum commendo. Pollet enim judicio; cumque hunc scriptorem cœperis legere, non depones è manibus ante, quàm legendo absolveris. Id ego feci, & nunc passim iterum lego, non minore cum voluptate, quàm fructu. Ad Crusium non scribo: mittam autem die crastino literas Schöningam: in qua arce tum pernoctaturam Serenissimam, narrat Parcovius. Vale. Helmst. ex Acad. Julia 13. Febr. clↄ Iↄ CIII.

EPISTOLA XLVI.

NE veniret absque literis Duncanus, has absque sensu exaravi, tuarum similes. Concisus es, multa tangis, nihil explicas: ad generi sermones me relegas: cum eo nulla de re verbum contuli: audiam & fortè intelligam,

quid velis sive optes. Namque in negociorum omnis generis perplexitate etiam spe præcisa vota superant: sed & illam consilio somnolentam excitabimus, imò fugitivam revocabimus. Nec nos turbabunt, quæ cæteros, certè non conturbabunt: & si officii cursum quædam impedient, non tamen illius studium tollent. Sed neque hoc tu intelliges; volui scilicet meas esse tuarum similes: erit cum declarem, modò obscurum est. Vale. Helmst. ex Ac. Jul. Kal Febr. cIɔ Iɔ CIII.

EPISTOLA XLVII.

PEr Foppium scribebam, neq; nisi hoc unum, revenisse filium, nec unà tamen adduxisse avunculũ, ut inter ipsas constitutum fuerat, repente enim in morbum inciderat. Nec aliud tum habebat præter *μεμψιμοιρίας καὶ νεμέσεις*, justas sanè, sed illas viro indignas, has inutiles. Illo genere ferè nunquam utor, hoc raro. Potius, quæro, quibus sedem animi commotiunculas. Idem tibi faciendum censeo. Tam vilia

lia ſunt ſtudia humanitatis, ut nos ſpiritum ducere, doleat Inſcitia: agit certè omnibus modis, ut à via virtutis & veritatis avertat quamplurimos. Incipio indignari, quod faciendum non putabam: certè in dolore ridere non poſſumus. Patientius tamen ipſe fero, me magis magisque vileſcere, quam alios negligi. Hac enim re fit, ut non ſolùm relinquant plures ſapientiæ ſtudia, ſed etiam contra animi ſententiam exſecrentur. Niſi bibliopegus me fallet: cum hac epiſtola mittam tuos libellos. Vale. Helmſt. ex Acad. Julia 3. Kal. Mart. clↄ Iↄ III.

EPISTOLA XLVIII.

NOn hæc ἀμέλεια ἦν, ἀλλά τις τῆς ἀμελείας σπουδή. Dic Michaëli, ut σπουδαιότερον ſe gerat in tanto negocio. Ad Mancinum mitto fratris literas. An eidem illi exciderunt Bersmanni ad vos litteræ? Namque ipſe nihil dederam. Redeo ad incuriam: qui utinam recuperarit illum faſciculum, aut recuperare poſſit. Suſpi-

cari ipse potes, esse ἐν ἐκείνοις τοῖς γράμμασί τινα ἀπόῤῥητα. Vale. Helmstadii ex Academia Julia XVII. Martii. 1603.

EPISTOLA XLIX.

HEri cuidam τῶν προφίμων τοῦ εὐεργέτου literas dedi cum duobus libellis. Scidam do huic homini, si quid fortè habeas, quod vel nuncies vel narres. Vale. Helmst. ex Academia Julia prid. Kalend. Mart. 1603.

EPISTOLA L.

TU, RUDOLPHE, ut video, non existimas te istic beatiorem factum: quin, qui te audient, plerique tibi assentientur. Illæ enim spes, quæ ante tot annos effulgebant, sive interea occiderint, sive lateant in hunc diem. At ego tibi accessisse ajo, quæ sunt beati hominis: factum multo doctiorem, humanæ vitæ peritiorem, prudentiorem, laborum tolerantiorem,

ami-

amicis veteribus cariorem, novis bonis auctiorem, denique bene meritum de Principe Frid. Hulderico: & hac amplissima Provincia, quorum quid est, quod in miserum cadat, aut à misero vilive mancipio proficisci queat? De primo dicam tribus verbis. Quoniam Nonas modò ad nos misisti; ego eas legere exorsus sum ad finem: ac probavi cum admiratione ac prædicatione ingenii doctrinæque eximiæ, qua præditus es, quam tibi paras. Quæ autem tu præterea tuique desiderant, qui majora in te contulit, non negabit: neque hoc, crede mihi, aberit longius. Sin; prudentiâ fortunam, ubicunque eris, in ordinem coges. Quod de reliquo, suspicari te nolim: si sit, & adversa repellit animus sibi rectè conscius, & habes amicissimum, qui cum σύν τε δύ' ἐρχομένω magnũ opus & salutis plenum te profecturum auguror. Volebam de me quoq; loqui: sed nosti & instituta consiliorum meorũ, & cursum vitæ; nec in hisce tot adversis animũ abjicio. Utrũque sentio, & me premi, ut durius me premi ferre non valeam, & levari *divinitus*:

cari ipse potes, esse ἐν ἐκείνοις τοῖς γράμμασί τινα ἀπόῤῥητα. Vale. Helmstadii ex Academia Julia XVII. Martii. 1603.

EPISTOLA XLIX.

HEri cuidam τῶν τροφίμων τοῦ εὐεργέτου literas dedi cum duobus libellis. Scidam do huic homini, si quid fortè habeas, quod vel nuncies vel narres. Vale. Helmst. ex Academia Julia prid. Kalend. Mart. 1603.

EPISTOLA L.

TU, RUDOLPHE, ut video, non existimas te istic beatiorem factum: quin, qui te audient, plerique tibi assentientur. Illæ enim spes, quæ ante tot annos effulgebant, sive interea occiderint, sive lateant in hunc diem. At ego tibi accessisse ajo, quæ sunt beati hominis: factum multo doctiorem, humanæ vitæ peritiorem, prudentiorem, laborum tolerantiorem,

amicis veteribus cariorem, novis bonis auctiorem, denique bene meritum de Principe Frid. Hulderico: & hac amplissima Provincia, quorum quid est, quod in miserum cadat, aut à misero vilive mancipio proficisci queat? De primo dicam tribus verbis. Quoniam Nonas modò ad nos misisti; ego eas legere exorsus sum ad finem: ac probavi cum admiratione ac prædicatione ingenii doctrinæque eximiæ, qua præditus es, quam tibi paras. Quæ autem tu præterea tuique desiderant, qui majora in te contulit, non negabit: neque hoc, crede mihi, aberit longius. Sin; prudentiâ fortunam, ubicunque eris, in ordinem coges. Quod de reliquo, suspicari te nolim: si sit, & adversa repellit animus sibi rectè conscius, & habes amicissimum, qui cum σύν τε δύ' ἐρχομένω magnũ opus & salutis plenum te profecturum auguror. Volebam de me quoq; loqui: sed nosti & instituta consiliorum meorũ, & cursum vitæ; nec in hisce tot adversis animũ abjicio. Utrũque sentio, & me premi, ut durius me premi ferre non valeam, & levari *divinitus*:

illud amotum velim: hoc mihi sit perpetuum. At tale, inquies, exemplum paucis placet: nec mihi, si mutare queam: forte tamen sic melius: denique exerceri mortales laboribus & molestiis omninò oportet: quæ mala, ut putantur, ego sæpè subii ultrò, ut si qua insuper acciderent, ea æquiore animo ferrem, aut sentirem minus: atque in neutro prorsus animi falsus fui. Exempla dedi quibus inscripseras: in cæteris fuisti parcior: mitte satis multa, quæ à me amici & docti viri passim legant. Vale. Helmst. ex Academia Julia IV. id. Apr. clↄ Iↄ CIII.

EPISTOLA LI.

QUod meas partes suscepisti, absente Clampio, amo te. Denuo tibi onus impono, nec ipsum grave, ut Sponso Ortlepio γαμήλιον ab Academia Julia reddas, reddive cures, per quem tibi videbitur. Debet mihi ejus παράνυμφος Ludolphus τρεῖς ἀργυρέους: unum tibi det, Ortlepio item donandum. Τίς ἔρις ἄρτο τῶτε

πρω-

πρωτεπιςάτη, καὶ ἀνδροφευγατευδῇ; διατί; γράψον, εἰ μὴ φανερῶς, ἀλλὰ ἐν ἀνιγμοῖς. Vale Helmst. ex Acad. Julia VI. Non. Maj. CIƆ IƆ CIII.

EPISTOLA LII.

TA' γαμήλια ab utroqne Principe lectis tuis litteris statim reddidi Sponso: de more gratias egit: quas tu ad illos item de more referes. Hæc enim sunt solemnia, καὶ καθόλυ πάρεργα, ut sunt, benevolentia, beneficentia, gratus animus, officium. Quid tibi autem venit in mentem, ut istic me esse volueris? Nec per valetudinem potui, nec per occupationes: adde, quod non solum non abundo tempore, sed neq; sumptu. In isto ipso autem negocio quod ne nutu quidẽ quid ostendis, nimium cautus es, mihi ingratus profectò: tamen hoc perinde habebo. Et quidem gener, dum hæc scribo, intervẽnit. Inaudierat pauca, ἀρχὴν εἴδος non norat: de provocatione utriusque generis, deque compositione aliquid narrabat: γελοῖα maximam partem. Me

etiam hac de causa abfuisse non doleo. De Radistao Barone, ut aliis scribo ad Crusium. Vale. Helmst. ex Acad. Julia 3. Non. Maj. 1603.

EPISTOLA LIII.

TU sanè περὶ χρημάτων ἧττον μανθάνῃ: at illis ego miserè egeo. Hac enim ratione συσσίτους domi alere, esse mihi damnosum intelligis. Quæ prænumerata patrifamilias oportet: ut ego vix tandem magna mea cum molestia nequeo extorquere; atque insuper illis, qui nihil dant, gratias nos agere oportet, quasi accepto singulari beneficio. Ad hoc natus videor, ut mea cum jactura aliis serviam. Hoc est φιλοσοφεῖν nec operas vendere, nec gratis quidquam recipere. Verum hæc ego jam pridem frustra. Si quid præter spem utriusque aut obtinueris, aut obtinebis, mittes per Duncanum. Hic est secundus Magistrandorum examinis dies, quo tertium ἐξετάσεως deprecari, mei muneris est: solemnitas erit die Maji X. Venit in mentem de fratre

tuo

tuo Theodoro: is huc nullus venit: quid cepit de rebus ſuis conſilii? Vale. Helm. ex Academia Julia VI. die Maji, anni 1603.

EPISTOLA LIV.

QUando commodè abeſſe poſſem, conjecturam nobis facere licuit ex iis, quæ antè ſcripſi. Quia verò mandat Sereniſſimus, ut adſim die abhinc octavo, [poſtridie enim, & quidem pridie mei natalis futurum examen] quid faciendum ſit, ex litteris Domini Cruſii intelligam: eas tu quoque leges, & quæ peto, ſedulò curabis. Hinc enim alioquin vehiculi nulla mihi ſpes. De cæteris coram. Vale. Helmſt. ex Ac. Julia 3. Kal. Mart. cIɔ Iɔ III.

EPISTOLA LV.

HEri prima luce litteras veſtras reddidit mihi tabellarius. Fiet igitur, quod jubetur, egoq; vobis ad dictū tempus σὺν θεῷ adero. Evenit autem, ut Abbas Mariævallenſis

interesset solennitati Magistrali, cum quo sub finem prandii de vectura egi & obtinui: id quod vos scire volui. Interea de iis, quæ ad negocium pertinent, vos cogitabitis, & ego cogitabo omni diligentia: nec enim plusculos dies istic teneri possum. Etenim renunciatio mei successoris decreta est ad diem XIX. Maj. Quando verò & D. Grunfeldius eo nomine accitus est, cum eo de quibusdam ante quoque loquar in sententiam, quam vos quoque probaturos non dubitem, cætera in medio relinquens. Cum ὁ προσδοκώμενος idibus, quo die me venire oportet, se mihi hîc affuturum scripserit, quid mandati hic ad eum relinquam? Velim à vobis id doceri per literas, nisi scripseritis, jubebo per scidam, ut istuc ad nos veniat. Vale. Helmst. ex Ac. Julia die XI. Maji. CIƆ IƆ CIII.

EPISTOLA LVI.

EPistolæ exemplum mitto, ex quo cognosces, quid scripserim ad Serenissimum, disertius de te non ausus fui loqui: hinc tamen tibi debe-

deberi præmium intelligit. Dum pendet illa cum oppidanis contentio, quid sperem περὶ παρουσίας ὑμῶν ; Fortè eum diem ipse non videbo, ut illi redigantur in ordinem. Secundum sit, vos esse in vicina arce. Quos enim velitis, vobis in summa vicinia facilè præsto sint. Præ-tores Clampii exspecto: orationem, quam hîc abiens magistratu, habui, mittam proximè, quæ est, ut videbitis & mirabimini, novæ notæ. Tractavi enim φιλοσόφημα θεολογικὸν, sed nostræ disciplinæ proximum, ut istam gentem ne commoverem: quorum quis si quid in eum locum disertius, erit mihi gratissimum, ὅσα ἀληθῆ &c. Vale. Helmst. ex Ac. Jul. 24. Maji. cIↄ Iↄ CXII.

EPISTOLA LVII.

HOdie adolescentem istuc dimisi absque litteris: huic do hasce perbreves. Narra Crusio etiam Electorem Brandeburgicum gratulatum mittere Regi Angliæ: legationem obibit D. Balthasar Caminæus: iter ingredientur sub Kalendas Junias. Id per hunc tabellarium mihi scribitur à

Stam-

Stampelio & Arnisæo : hic se illi comitem futurum suspicatur. Salve & vale. Helm. ex A. Julia IV. Kal. Jun. cIↄ Iↄ CIII.

EPISTOLA LVIII.

KΑταλογάδην tecum agam, ut sim brevior, etsi fortè nihilominus in quibusdam immorabor: primò mitto hunc tabellarium propter pecuniam Pflugianam, quam si à quæstore impetravi, rectissime est: sin; reddat tabellarius epistolam, qua iterum debitum mihi tantum non πλωχένω. Est enim mihi opus, & Pflugius debet, quæ dissoluta jam oportuit.

Rufus ille, quem proximè miseram, eo in tempore non venit, quòd qua hora matutina à me fasciculum accepit, se in iter non dedit, sed teneri passus fuit, nescio à quo alio. Itaq; cui parum esse credendum præsciebam, deinceps nunquam credidero. Crusius autem nihilne rescripsit?

De amico meo rogaveram Crusium coràm, & mihi promiserat: scribebam tamen per Duncanum, communes literas ad ipsum & Dn. Langemantell. Vereor ut aliquid effectum sit: de quo tu me docebis. De

De visendis vobis hic locuti fueramus: haud scio, quam rectè in eo faciam, si sponte accurram. Calumnia enim in pessimam partem accipit, quæ rectè fiunt, & officium interpretatur sæpè πολυπραγμοσύνην. Cogitabo tamen: tu verò quid sentis? quid velis fortè scio: ὑπομονὴν tamen non abjicies.

Cohortationem ad Principem Frid. Huldericum meam fac legat & intelligat: ita eam à Serenissimo nostro videri non nolim, atq; ipse fortè leget.

Tui προπεμπτικοῦ ad me nimis pauca exempla soles mittere: ego jam ne unum quidem habeo: quod affixeram parieti, hodie refixum misi ad Monichovium. Frustra est, quod quibusdam inscribis, quorum alii nostra non legunt, alii non curant, alii etiam despiciunt. Itaq; quorundam nomina rescidi, ut exempla darem ἀξιωτέροις.

Mei carminis ut exempla non habeã, factum fuit properatione γραμματοθέτου, qui paucis impressis literas subitò disjecerat. Duo tamen mitto, ac velim istic exempla majore charactere in typographia Serenissimi circa centum mihi exprimi cures, ἐπιγραφῇ correcta, ut videbis. Papy-

Papyri mundioris mentionem non facis, cujus te tamen oblivisci nolim. Vale. Helmstadii ex Acad. Julia secunda Feria πεντηκοστῆς. cIↃ IↃ CI.

EPISTOLA LIX.

DUo tibi mandabo, vel etiam plura. Sum enim imperiosior è semestri magistratu. Unum, ut quod Pflugius pecuniæ à Quæstore acceperit, qui utinam non absit, tibique ad me mittendum reddiderit, cras per tabellarium meum mihi cures: imò excita tu Pflugium, ne vel rem vel me negligat. Alterum, ut accuratè ad me perscribas, quid cum amico, quem nosti, egerint, quidque impetrarint Crusius & ejus antecessor. Prætores iterum flagito, & aliquid chartę mundioris. Vale. Helmstadii ex Acad. Julia IV. Non. Jun. cIↃ IↃ CIII.

EPISTOLA LX.

NUdius tertius noto tabellario istuc excurrenti obviam factus ad portam

tam, mandavi, ut salute dicta literas abs te flagitaret: quod si ille neglexit, quæso per hunc scribas, hoc primum, fasciculusne meus rectè perlatus sit ad Crusium, deinde de cæteris, quæ & tu velis, & me velle suspiceris. Vale. Helmstadii ex Academia Julia 8. die Jun. cIɔ Iɔ CIII.

EPISTOLA LXI.

UT obvii familiares, ita nos per epistolas sermones serimus: & seramus. Quid enim jucundius? quid rectius? Est enim amicitiæ munus haud ultimum Heri ad te scripsi, etsi tuas ruri reliquerat *οἰμιάδης*: quas regressus domum misit statim. Nihil habent, nisi quod me facturum binis prænunciaveram: etsi de die nequedum certi aliquid habeo: addidi conditiones, si valeam, si vehiculum inveniam: de utroque spero: sed erunt apud nos nondinæ, quæ ultra bidui moram nihil injicient. Et velim ipsum advolare, quem desideras, ut sit, qui te sublevet. Interea hoc alloquii genere studebo, ut tibi molestias leniam: adveniens in-

incurram in meas, ut proximè. Πικρῶς enim me ille tum salutabat, cui ego olim fui pro melle Attico: non ὀνειδίζω, sed doleo, nimis esse veras veteres illas querelas, quibus præceptum supra modum inhumanum affigunt, *ne quis in posterum, nisi de se cogitet.* Hoc servant pleriq; religiosè admodum absque pietate. Ego in errorem inductus jam olim, non potero non errare eundem, quoad vivam. Multi sunt anni, quando hac in re hæsitabam cum stomacho: cumque jam cogitarem de referendo pede; tum verò me quoque non retraxit Pallas, sed in statu illo tenuit, & firmavit. Itaque uti statua, neque nunc moveor, & orno quotidie, neque mihi neque meis quidquam exspectās, οὐκ ἀγνοῶν τὸν βραβεῖον, et si hoc aliqui non putant, quorum quidam me nequiter proscidit, referens me in familiam Diagoræ. Verum hoc pertinet ad dissertationes, quarum primas lineas duxi proximè. Vale. Helmst. ex Acad. Julia IV. Non. Quint. CIↃ IↃ CIII.

EPISTOLA LXII.

EX genero meo audisse te arbitror. quo

quo die huc redii, advenisse & adfuisse tum Monichovium: heri à cæna domum abiit: sermones nostri & in mensa, & in ambulationibus varii, non solum de literis: octiduo hac se denuo transiturum ajebat in comitatu Principis Anhaltini Ludovici; trajicient autem & ipsi in Britanniam: quando appellent, fortè Crusius abierit. Cum istic essem, erat in exspectatione, qui aliqua te parte oneris sublevaret: vide literas hominis ad me, quarum lectione ut affectus fuerim, item vide ex iis, quæ rescripsi. Cepi & alterum consilium, ut ad Ducem scriberem. Statuite, tu & gener meus, rectène mittantur. Ego ex illa mora non leviter commoveor, & suspicor nescio quid præterea: per totam ferè epistolam vacillat: quod in extremo dicit, id sincerè dici, & adfuturum ad illum diem, puto: nec id adeò longũ est. Tu verò, mi Diepholdi, qui aliquot annorum molestias exhauseris, tolerabis easdem mensem unum atq; alterũ. Quid facias enim? in quas thermas descendimus, ibi lavandum est: ∴ ac mea conditio hoc deterior, quod reditus ad alia mihi non datur, nec tam per amicos, quam

per veteres malevolos mihi in otio officium facere licet. Illi nos amant sinistrè admodum: hi oderunt etiam quàm antè infensius: commovere autem se dicuntur more suo clanculum. Verum hi pereant: nec aliter iis evenire potest, qui veritati nulla in re student, mendacia è mendaciis consuunt. Hinc autem qui sibi spiritus sumunt, ab illa dejici necesse est, quæ palma nunquam excidit. Venio ad ipsum Lac: ille mihi irascitur, quod se domi non viserim: poterat cum benevolentia, si non, ut solebat, ad me venire, me ad sese accersere. Illo autem σχεδαρίῳ placatusne fuit, an magis irritatus? & modò fortè aliquid dabo. Quàm graviter ferat meas ἀναβολὰς, ne scire quidem cupio: ego tamen interea, una re prius expedita, quæ ad filium pertinet, ne diu habeat, quod de me queratur, agam omni diligentia. Mihi enim acerbum est, debere, acerbius multò, vapulare creditorum querelis. Vale. Helm. ex Acad. Julia 21. Jul. cIↄ Iↄc III.

EPISTOLA LXIII.

PEr Magnificum Scheurlæum & Ovenum

venum nihil scripsi, quia properabant. Dedi heri tabellario literas, in quibus declinavi ὑποθέσεις sermonum, quos συνεῶ instituemus. Ad tuas nihil rescribo. Quid ita? inquies. Fortè eas in præmio oblitus erat Jo. Ernestus: si hodie mittet, cras aut perendie respondebo. Jam enim composui literas ad Othonem quas ab ipso, antequam ad vos veniemus, legi velim. Tuorum carminum exemplum nullum habeo: & meorum velim habere aliquot. Sed cum unà erimus, utrumque agemus, nisi ante factum fuerit, quod non suspicor. Coronationem ad diem D. Jacobi futuram, ex pluribus locis nunciatur: sive ita res est, sive fama ludit homines, novitatis avidos. Principi salutem dicimus, & Latinitatem præcipimus, Musarum jussu, auctoritate Apollinis. Vale. Helmst. ex Ac. Julia v. Non. Quintil. cIↄ Iↄ CII.

EPISTOLA LXIV.

DIe abhinc quinto Ascaniam versus iter ingredimur D. Sigfridus, M. Ovenus & ego: illò postridie venimus: nudius tertius

testimonia deposuimus. Oportet enim nos cum illis loqui. Res est plena molestiæ & tædii, ut illos legatos & scribas confici necesse sit, nisi condimentum accedat, spes alicujus lucelli. Longum iter est, quod heri remensi domum rediimus. Ego ex illa celeri & plurium horarum concussione ita defatigatus sum, ut me pigeat vestigium facere, adeoq; filiam visere ægrè potuerim. Nostræ mercedes adhuc retinentur. Streithorstius mihi istic operam suam promiserat: nihil præstare potuit: dedi ad ipsum litteras per adolescentem: per hunc suadet, ut petam à designatis, quod mihi debetur. At ego jam ad Serenissimum scripseram. Nihil de hac Academia spero boni, dum à tot δεσπόταις regitur: ἡμεῖς δ' ἀνδράποδα: sed & alia causa est, quod inter nos ἥκιστα πεπαιδευμένοι omnia agunt, ut imperent: neq; nihil caussæ habent ad sperandum. Verum non libet hæc scribere, neq; queri. Fama est ab illis orta, negocium propositum apud Provinciales: quid statuerint ambiguum: non referri tale αἴτημα πρὸς τὸν Ἄρχοντα καὶ αὐτὸς ἡγοῦμαι, καὶ ἐστὶν ὅς

φησί. Nemo hodie Μούσας respicit: quin despicit, quicunque aliquo loco est: neque vix aliquem reperias, qui qui se magnum putet, nisi nobis præcipiat. Sed quid denuò querar? optabo potius ὑπομονὴν, ἐπανόρθωσιν haud sperans, quam enim qui pollicentur, τοὐναντίον πράττουσι. Sed colligo me, παλινῳδήσων· μελήσει γὰρ θεῷ τῆς ἀληθείας, εἰ καὶ ἡμεῖς ἀπολλύμεθα. Quid etiam nobis polliceamur περὶ βασιλικῆς παιδείας; quanto omnia fatis in pejus ruere: non referam, quæ incurrunt in sensus. Ego verò, ut proximè ὀργῶν ταῦτα cohorrui. Age verò, nihilne tibi respondeatur in hunc diem? Si quid; hoc aliquid sit boni: gaudeam sanè, & non omnem spem abjiciam. Vereor etiam, quemadmodum accipiatur, quod non obscurè me effero: quod ille non venit: de quo velim, nobis in mentem non venisse: quamquam probus est, & illa vera, quæ scripsi: sed nimia ejus fuit δυσωπεία. Sic enim malo interpretari, quam imprudentiam: quamquam

Digitized by Google

& hæc fortè sit. Si quid à Serenissimis allatum sit, quod ipsum scire in rem sit, & mittam ad ipsum tabellarium. Hæc scripsi, cum per valetudinem & animi perturbatiunculam non lenem, in consistorium non irem. Vale. Helm. ex Ac. Julia 3. die Aug. quo ante annos 50. & ipse Magister renunciatus fui Vitæbergæ, ubi tum charior Phil. Melanchthoni eram, quàm hodie nonnullis, illius dissimillimis, qui putant rectè præcipites dari de ponte senis. De hoc ego amicorum genere pango, quod aliquando legas, preces tamen, ne tu me σκυτοχοδαφεῖν rearis. cIɔ Iɔ CIII.

EPISTOLA LXV.

PEr Parcovium scripsi: à te nihil interea adfertur: nisi pauculis diebus revertimini, scribo pro more nostro, Heri ad te in ambulatiunculа meditabar, quæ scriberem, & quidem de rebus tuis: quæ consignare tam subitò non queo, festinante tabellario. Nec enim moram sibi patitur injici. Scribam hoc biduo, quæ si non istic, vel hic

hic ad nos reversus leges, & apud animum considerabis. Malim sanè hic esse Principem, sed id non auguror futurum: nec tamen plurimum interesse putem, ubi sit his diebus, cui tu adsis. Cœperam ad ipsum ante has scribere, quas altius inchoatas conscidi, meditaturus breviores: lepidiores etiam, si ætatis morositatem in scribendo æquè ut in consuetudine queam compescere: quo nomine suspicio stilum Erasmianum. Ἄρχοντι εὖ πράττειν καὶ τῷ πρωτεπιστάτῃ, καὶ τῷ τρίτῳ, ὅ τοῦ ἀξιώματος ὄνομα λέγειν ἀπρεπέστερον. τῇ γὰρ ἀληθὲς, τῇ δὲ ψεῦδος εἴητ. ἔχει σοι αἴνιγμα εὐδιάλυτον, καὶ ἔρρωσο. Helm. ex Ac. Julia IV. Non. Aug. clɔ Iɔ CIII.

EPISTOLA LXVI.

TÀ ἀπὸ Κρουσιάδου καὶ περὶ βριταννικῶν libenter cognovimus. De novo equite affatim risimus. Quamprimum adferentur, quæ in illa inauguratione gesta sunt, fac ut itidem cognoscamus. Scripseram Monichovium cum Principe Anhaltino Ludovico illuc quoque ire habere. Id ingressi nondum sunt: ade-

Papyri mundioris mentionem non facis, cujus te tamen oblivisci nolim. Vale. Helmstadii ex Acad. Julia secunda Feria πεντηκοστῆς. cIↄ Iↄ CI.

EPISTOLA LIX.

DUo tibi mandabo, vel etiam plura. Sum enim imperiosior è semestri magistratu. Unum, ut quod Pflugius pecuniæ à Quæstore acceperit, qui utinam non abfit, tibique ad me mittendum reddiderit, cras per tabellarium meum mihi cures: imò excita tu Pflugium, ne vel rem vel me negligat. Alterum, ut accuratè ad me perscribas, quid cum amico, quem nosti, egerint, quidque impetrarint Crusius & ejus antecessor. Prætores iterum flagito, & aliquid chartę mundioris. Vale. Helmstadii ex Acad. Julia IV. Non. Jun. cIↄ Iↄ CIII.

EPISTOLA LX.

NUdius tertius noto tabellario istuc excurrenti obviam factus ad portam

tam, mandavi, ut salute dicta literas abs te flagitaret: quod si ille neglexit, quæso per hunc scribas, hoc primum, fasciculusne meus rectè perlatus sit ad Crusium, deinde de cæteris, quæ & tu velis, & me velle suspiceris. Vale. Helmstadii ex Academia Julia 8. die Jun. cIↄ Iↄ CIII.

EPISTOLA LXI.

UT obvii familiares, ita nos per epistolas sermones serimus: & seramus. Quid enim jucundius? quid rectius? Est enim amicitiæ munus haud ultimum. Heri ad te scripsi, etsi tuas ruri reliquerat *αἰμάδης*: quas regressus domum misit statim. Nihil habent, nisi quod me facturum binis prænunciaveram: etsi de die nequedum certi aliquid habeo: addidi conditiones, si valeam, si vehiculum inveniam: de utroque spero: sed erunt apud nos nondinæ, quæ ultra bidui moram nihil injicient. Et velim ipsum advolare, quem desideras, ut sit, qui te sublevet. Interea hoc alloquii genere studebo, ut tibi molestias leniam: adveniens

in-

incurram in meas, ut proximè. Πικρῶς enim me ille tum salutabat, cui ego olim fui pro melle Attico: non ὀνειδίζω, sed doleo, nimis esse veras veteres illas querelas, quibus præceptum supra modum inhumanum affigunt, *ne quis in posterum, nisi de se cogitet.* Hoc servant pleriq; religiosè admodum absque pietate. Ego in errorem inductus jam olim, non potero non errare eundem, quoad vivam. Multi sunt anni, quando hac in re hæsitabam cum stomacho: cumque jam cogitarem de referendo pede; tum verò me quoque non retraxit Pallas, sed in statu illo tenuit, & firmavit. Itaque uti statua, neque nunc moveor, & orno quotidie, neque mihi neque meis quidquam exspectās, οὐκ ἀγνοῶν τὸν βραβεῖην, et si hoc aliqui non putant, quorum quidam me nequiter proscidit, referens me in familiam Diagoræ. Verum hoc pertinet ad dissertationes, quarum primas lineas duxi proximè. Vale. Helmst. ex Acad. Julia IV. Non. Quint. CIϽ IϽ CIII.

EPISTOLA LXII.

EX genero meo audisse te arbitror. quo

quo die huc redii, advenisse & adfuisse tum Monichovium: heri à cæna domum abiit: sermones nostri & in mensa, & in ambularionibus varii, non solum de literis: octiduo hac se denuo transiturum ajebat in comitatu Principis Anhaltini Ludovici: trajicient autem & ipsi in Britanniam: quando appellent, fortè Crusius abierit. Cum istic essem, erat in exspectatione, qui aliqua te parte oneris sublevaret: vide literas hominis ad me, quarum lectione ut affectus fuerim, item vide ex iis, quæ rescripsi. Cepi & alterum consilium, ut ad Ducem scriberem. Statuite, tu & gener meus, rectène mittantur. Ego ex illa mora non leviter commoveor, & suspicor nescio quid præterea: per totam ferè epistolam vacillat: quod in extremo dicit, id sincerè dici, & adfuturum ad illum diem, puto: nec id adeò longũ est. Tu verò, mi Diepholdi, qui aliquot annorum molestias exhauseris, tolerabis easdem mensem unum atq; alterũ. Quid facias enim? in quas thermas descendimus, ibi lavandum est: ∴ ac mea conditio hoc deterior, quod reditus ad alia mihi non datur, nec tam per amicos, quam

per veteres malevolos mihi in otio officium facere licet. Illi nos amant sinistrè admodum: hi oderunt etiam quàm antè infensius: commovere autem se dicuntur more suo clanculum. Verum hi pereant: nec aliter iis evenire potest, qui veritati nulla in re student, mendacia è mendaciis consuunt. Hinc autem qui sibi spiritus sumunt, ab illa dejici necesse est, quæ palma nunquam excidit. Venio ad ipsum Lac: ille mihi irascitur, quod se domi non viserim: poterat cum benevolentia, si non, ut solebat, ad me venire, me ad sese accersere. Illo autem χεδαρίῳ placatusne fuit, an magis irritatus? & modò fortè aliquid dabo. Quàm graviter ferat meas ἀναβολὰς, ne scire quidem cupio: ego tamen interea, una re prius expedita, quæ ad filium pertinet, ne diu habeat, quod de me queratur, agam omni diligentia. Mihi enim acerbum est, debere, acerbius multò, vapulare creditorum querelis. Vale. Helm. ex Acad. Julia 21. Jul. clↄ Iↄc III.

EPISTOLA LXIII.

PEr Magnificum Schaurlæum & Ovenum

venium nihil scripsi, quia properabant. Dedi heri tabellario literas, in quibus declinavi ὑποθέσεις sermonum, quos σὺν θεῷ instituemus. Ad tuas nihil rescribo. Quid ita? inquies. Fortè eas in præmio oblitus erat Jo. Ernestus: si hodie mittet, cras aut perendie respondebo. Jam enim composui literas ad Othonem quas ab ipso, antequam ad vos veniemus, legi velim. Tuorum carminum exemplum nullum habeo: & meorum velim habere aliquot. Sed cum unà erimus, utrumque agemus, nisi ante factum fuerit, quod non suspicor. Coronationem ad diem D. Jacobi futuram, ex pluribus locis nunciatur: sive ita res est, sive fama ludit homines, novitatis avidos. Principi salutem dicimus, & Latinitatem præcipimus, Musarum jussu, auctoritate Apollinis. Vale. Helmst. ex Ac. Julia v. Non. Quintil. cIɔ Iɔ CIII.

EPISTOLA LXIV.

DIe abhinc quinto Ascaniam versus iter ingredimur D. Sigfridus, M. Ovenus & ego: illò postridie venimus: nudius tertius

testimonia deposuimus. Oportet enim nos cum illis loqui. Res est plena molestiæ & tædii, ut illos legatos & scribas confici necesse sit, nisi condimentum accedat, spes alicujus lucelli. Longum iter est, quod heri remensi domum rediimus. Ego ex illa celeri & plurium horarum concussione ita defatigatus sum, ut me pigeat vestigium facere, adeoq; filiam visere ægrè potuerim. Nostræ mercedes adhuc retinentur. Streithorstius mihi istic operam suam promiserat: nihil præstare potuit: dedi ad ipsum litteras per adolescentem: per hunc suadet, ut petam à designatis, quod mihi debetur. At ego jam ad Serenissimum scripseram. Nihil de hac Academia spero boni, dum à tot δεσπόταις regitur: ἡμεῖς δ' ἀνδράποδα: sed & alia causa est, quod inter nos ἤτ̓τοι πεπιστευμένοι omnia agunt, ut imperent: neq; nihil caussæ habent ad sperandum. Verum non libet hæc scribere, neq; queri. Fama est ab illis orta, negocium propositum apud Provinciales: quid statuerint ambiguum: non referri tale αἴτημα πρὸς τ̀ Ἄρχοντα καὶ αὐτὸς ἡγοῦμαι, καὶ ἐστὶν ὅς

Φησ

φησί. Nemo hodie Μούσας respicit: quin despicit, quicunque aliquo loco est: neque vix aliquem reperias, qui qui se magnum putet, nisi nobis præcipiat. Sed quid denuò queràr? optabo potius ὑπομονὴν, ἐπανόρθωσιν haud sperans, eam enim qui pollicentur, τοὐναντίον πράττουσι. Sed colligo me, παλινῳδήσων· μελήσει γὰρ θεῷ τῆς ἀληθείας, εἰ καὶ ἡμεῖς ἀπολλύμεθα. Quid etiam nobis polliceamur περὶ βασιλικῆς παιδείας; quanto omnia fatis in pejus ruere: non referam, quæ incurrunt in sensus. Ego verò, ut proximè ὀργῶν πάντα cohorrui. Age verò, nihilne tibi respondeatur in hunc diem? Si quid; hoc aliquid sit boni: gaudeam sanè, & non omnem spem abjiciam. Vereor etiam, quemadmodum accipiatur, quod non obscurè me effero: quod ille non venit: de quo velim, nobis in mentem non venisse: quamquam probus est, & illa vera, quæ scripsi: sed nimia ejus fuit δυσωπία. Sic enim malo interpretari, quam imprudentiam: quamquam

hic ad nos reversus leges, & apud animum considerabis. Malim sanè hic esse Principem, sed id non auguror futurum: nec tamen plurimum interesse putem, ubi sit his diebus, cui tu adsis. Cœperam ad ipsum ante has scribere, quas altius inchoatas conscidi, meditaturus breviores: lepidiores etiam, si ætatis morositatem in scribendo æquè ut in consuetudine queam compescere: quo nomine suspicio stilum Erasmianum. Ἄρχοντι εὖ πράττειν καὶ τῷ πρωτεπιστάτῃ, καὶ τῷ τρίτῳ, ὅ τοῦ ἀξιώματος ὄνομα λέγειν ἀπρεπέστερον. τῇ γὰρ ἀληθές, τῇ δὲ ψεῦδος εἶναι. ἔχε σοι αἴνιγμα εὐδιάλυτον, καὶ ἔρρωσο. Helm. ex Ac. Julia IV. Non. Aug. CIↃ IↃ CIII.

EPISTOLA LXVI.

TÀ ἀπὸ Κρουσιάδου καὶ περὶ Βριταννικῶν libenter cognovimus. De novo equite affatim risimus. Quamprimum adferentur, quæ in illa inauguratione gesta sunt, fac ut itidem cognoscamus. Scripseram Monichovium cum Principe Anhaltino Ludovico illuc quoque iter habere. Id ingressi nondum sunt: ade-

runt autem, sive transibunt hac die abhinc septimo sive octavo, ut scripsit hesternis literis. Nos denuò citamur in Aschersleben, ubi Kalendis me esse oportet. Interea aliquid ad me dabis, & responderit Princeps, nisi fortassis hæc res in iis est, quæ silentio prætereuntur. Ego istinc abiturus de reliquo mei stipendii cum A. S. diligenter locutus eram, & ille mihi certam spem fecerat, verum nihil attulit gener, imò ostendit, pendere cætera omnia. Hoc scilicet, etiam restat, ut postquam tot annorum malis nihil aut non satis profectum est, fame denique enecentur exiganturve Musæ. Talium consiliorum architecti quam quæso laudem reportabunt? Non equidem intelligo, quò eant. Brevior via erat exigendi, quos vellent, & complendi Academiam indoctis mancipiis. Sanè ego, quo propior sum metæ, hoc minus metuo. Quem pavit annos septuaginta, qui *σῖτον δίδωσι πάσῃ τῇ σαρκί*. alicubi mihi & locum dabit & alimenta. ∴ ∴ Qui venere è comitiis provincialibus, dicuntur pertulisse, exspectanda nobis decreta nova, superiorum

rum

rum similia vel iis graviora. Ego dixerim, quod ille. Etiamsi enim ruat cœlum, impavidum ferient ruinæ. Futurum item, ut non pauca mutentur. Forte ut reducantur Ranæ & Ranarum patroni. ὁ ἔξαρχος τῆς ἔριδος quasi in integrum restitutus die Solis superiore & hesterno die occupavit in templo locum, qui est primus ordinis Theologici. Unde increbescit ad vulgus fama. Nec dubito quosdam hoc moliri. Sed quid agunt, nisi ut Principis existimationem prostituant calumniæ? an ut contentiones novæ vigeant? Ille enim non erit sui dissimilis. Quin certum est, ipsum quædam conscripsisse recens: & modo hunc, modo illum adorietur, novabit alia atque alia, studia sapientiæ in extremum contemptum adducet: atque tum tacebit Cornelius, *& in servitutem inscitia adducet Scientiam.* Dedet ille se totum Δεσπότῃ & nos unà. Verum hæc gubernabit Deus, ut rescis̄cat Serenissimus & compescat superbos & noxios ejusmodi conatus. Alieno sanè tempore

abest Latonæ filius. Ἀυλογαλαξίας δὲ non habet sibi curæ hanc matrem: τῶν ῥημάτων γὰρ οἱ μέλει Illius u.entii causam utramq; non tetigisti: intereane nihil? Namq; iterum scripsit ad eundem, cujus ego litterarum nullis fui delectatus ab autumno proximo. Per γραμματοφόρον, qui ad Serenissimum mittitur ab ordine JCtorum, scribo ad Parcovium: exemplum ad te quoque mitto. Velim & Hoimius legat: quid si quis præterea alius? Vera namque sunt illa. Novos versiculos pango: quos & ipsos ibi perficio legendos: quædam etiam ad Πηλείδην: [sit namque hic Ἀχιλλεὺς, Pater Πηλεὺς, tu Φοίνιξ] nempè quæ cœpi dictare ad Cyri prædiam, tibi statim potius legenda, & sic dijudicanda mittam, ut me si qua desideras, moneas. Vale. Helmst. ex Ac. Julia clↄ Iↄ III.

EPISTOLA LXVII.

E Vicinia nec dedisti quiquam ipse, nec nunciasti. Ex antistite divi Laurentii audiam de curru quid constitutum sit. Præsto enim erit

Mollini

Mollini filio in illa solennitate futura die Martis. Postridie ad vos cogitabam: verum heri ex Martisburgo ad me scripsit consanguineus, se die Augusti 17. aut 18. hic mihi adfuturum. De re autem quadam agemus seria, quam tibi adveniens exponam: audies tum quoq; quæ hic interea. Omninò & foris expugnamur, & molitiones intestinæ non desunt. Audies item non diversi argumenti, & quidem varia, quæ ab Albi huc perscripta sunt. Sunt ità multa, ut me referre pigeat: nec negocium cuique describendum dandum existimem. Sunt autem *ἄξια νεμέσεως ἅμα καὶ γέλωτος* pleraque. Vale. Helmst. ex Acad. Julia XII. die Aug. clɔ lɔ CIII.

EPISTOLA LXVIII.

PEr Martii Consulis Henricopolitani puerum scripsi, fortè uno alióve die me tardiùs vobis adfuturum, quam constituissemus ob adventum patruelis mei, qui se ad XVII. Augusti jussit exspectari. Satis audies nugarum, vel [cum Sapientissimo mortali-

talium loquar] ματαιότητος ἢ ματαιοτήτων. Crastino die solemni Doctorali utinam ne nova oriantur: sunt qui aculeos jaciant ἀλόγως: sunt, qui non ferant. Quis enim præter me? De Maxii fratris filio obliti fuimus. Ei velim indicari, coram nos istic locuturos brevi. Siquid ex Anglia sit allatum, vel ὁ πρωτεπιστάτης scripserit, narra quæso. Monichovius IX. August. Bremâ scribit, inaugurationem Regis XXV. August. factam, nec tamen Londini, ubi pestis non leviter sæviat: locum non nominat. Hoc malum Rostochii quoque grassatur jam à multis mensibus. Hæc in lectulo scribenti puer Parcovii reddit literas tuas. De earum argumento coram, sed ut vides, paullò lentius, causa illa nisi esset, potius equidem die crastino vobis præsto essem. Cum enim ab εὐωχίαις semper mihi caverim, jam illud εὐωχεῖσθαι prorsus non placet. Salve & vale. Helmst. ex Ac. J. 15. Aug. clↄ Iↄ III.

EPISTOLA LXIX.

HEri ad Patrem Hoimiorum veni sub prandium: tres quatuorve horas

ras unà fuimus: ſermones noſtri fuerunt de filiis: cæteroqui præter querelas nihil: ſed & has tamen abrupimus. Equis iſtis mihi huc uſque utendum fuit: ingreſſo oppidum ad ædes D. Sigefridi obviam mihi fit Duncanus. Ex eo alia audivi, alia porrò audiam: in cæteris narrabat, die craſtino vobis adfuturum τὴν πρωτεπισάτην: quod ſi præſciſſem, hoc quoque biduum iſtic me tenuiſſem. Alia enim narrabit & plura, & interiora, quàm Duncanus: quod illius ſolemnitatis ille pars nonnulla fuit. Narra ipſi, gaudere me, quòd ſalvus, quòd honoratus, quòd οὐκ ἀγέραστος redierit: recita item παρῳδίας initium: facilis trajectus ad Anglos, ſed revocare ratem noſtrumq; evadere ad Oucram, hoc opus, hic labor eſt: atque ipſe hoc tibi interpretabitur. Conſilium noſtrum de mittendo tabellario rectum eſſe non dubito, eumque ut dixeram, cras mitterem: ſed quia Criſpus adeſt, fortè & ipſe aliquid ſcribet, quod biduo ad me mitti velim. Legat ipſe quoq; Verrini perplexam epiſtolam, quam tamen ad me remittes. Noſtrarum argumentum ipſi expones. Ejus frater

Her-

testimonia deposuimus. Oportet enim nos cum illis loqui. Res est plena molestiæ & tædii, ut illos legatos & scribas confici necesse sit, nisi condimentum accedat, spes alicujus lucelli. Longum iter est, quod heri remensi domum rediimus. Ego ex illa celeri & plurium horarum concussione ita defatigatus sum, ut me pigeat vestigium facere, adeoq; filiam visere ægrè potuerim. Nostræ mercedes adhuc retinentur. Streithorstius mihi istic operam suam promiserat: nihil præstare potuit: dedi ad ipsum litteras per adolescentem: per hunc suadet, ut petam à designatis, quod mihi debetur. At ego jam ad Serenissimum scripseram. Nihil de hac Academia spero boni, dum à tot δεσπόταις regitur: ἡμεῖς δ' ἀνδράποδα: sed & alia causa est, quod inter nos ἧττον πεπαιδευμένοι omnia agunt, ut imperent: neq; nihil caussæ habent ad sperandum. Verum non libet hæc scribere, neq; queri. Fama est ab illis orta, negocium propositum apud Provinciales: quid statuerint ambiguum: non referri tale αἴτημα πρὸς τὸν Ἄρχοντα καὶ αὐτὸς ἡγοῦμαι, καὶ ἐστὶν ὅς

φησὶ

ησι. Nemo hodie Μέσας respicit: uin despicit, quicunque aliquo loco st: neque vix aliquem reperias, qui ui se magnum putet, nisi nobis præci- iat. Sed quid denuò queratur? optabo po- ius ὑπομονὴν, ἐπανόρθωσιν haud sperans, am enim qui pollicentur, τὐναντίον ϖράττουσι. Sed colligo me, παλινωδήσων· μελήσει γὰρ θεῷ τῆς ἀληθείας, εἰ καὶ ἡμεῖς ἀπολλύμεθα. Quid etiam nobis polliceamur ϖερὶ βασιλικῆς παιδείας; quanto omnia fatis in pejus ruere: non referam, quæ incurrunt in sensus. Ego verò, ut proximè ὀργῶν ταῦτα cohorrui. Age verò, nihilne tibi respondeatur in hunc diem? Si quid; hoc aliquid sit boni: gaudeam sanè, & non omnem spem abjiciam. Vereor etiam, quemadmodum accipiatur, quod non obscurè me effero: quod ille non venit: de quo velim, nobis in mentem non venisse: quamquam probus est, & illa vera, quæ scripsi: sed nimia ejus fuit δυσωπεία. Sic enim malo interpretari, quam imprudentiam: quamquam

hic ad nos reversus leges, & apud animum considerabis. Malim sanè hic esse Principem, sed id non auguror futurum: nec tamen plurimum interesse putem, ubi sit his diebus, cui tu adsis. Cœperam ad ipsum ante has scribere, quas altius inchoatas conscidi, meditaturus breviores: lepidiores etiam, si ætatis morositatem in scribendo æquè ut in consuetudine queam compescere: quo nomine suspicio stilum Erasmianum. *Ἄρχοντι εὖ πράττειν καὶ τῷ πρωτεπιστάτῃ, καὶ τῷ τρίτῳ, ὅ τὸ τοῦ ἀξιώματος ὄνομα λέγειν ἀπρεπέστερον. τῇ γὰρ ἀληθὲς, τῇ δὲ ψεῦδος εἴητ. ἔχε σοι αἴνιγμα εὐδιάλυτον, καὶ ἔρρωσο.* Helm. ex Ac. Julia IV. Non. Aug. CIↃ IↃ CIII.

EPISTOLA LXVI.

TÀ *ἀπὸ Κρουσιάδου καὶ περὶ Βριταννικῶν* libenter cognovimus. De novo equite affatim risimus. Quamprimum adferentur, quæ in illa inauguratione gesta sunt, fac ut itidem cognoscamus. Scripseram Monichovium cum Principe Anhaltino Ludovico illuc quoque iter habere. Id ingressi nondum sunt: ade-

runt autem, sive transibunt hac die abhinc septimo sive octavo, ut scripsit hesternis literis. Nos denuò citamur in Aschersleben, ubi Kalendis me esse oportet. Interea aliquid ad me dabis, & responderit Princeps, nisi fortassis hæc res in iis est, quæ silentio prætereuntur. Ego istinc abiturus de reliquo mei stipendii cum A. S. diligenter locutus eram, & ille mihi certam spem fecerat, verum nihil attulit gener, imò ostendit, pendere cætera omnia. Hoc scilicet, etiam restat, ut postquam tot annorum malis nihil aut non satis profectum est, fame denique enecentur exiganturve Musæ. Talium consiliorum architecti quam quæso laudem reportabunt? Non equidem intelligo, quò eant. Brevior via erat exigendi, quos vellent, & complendi Academiam indoctis mancipiis. Sanè ego, quo propior sum metæ, hoc minus metuo. Quem pavit annos septuaginta, qui *σῖτον δίδωσι πάσῃ τῇ σαρκὶ*. alicubi mihi & locum dabit & alimenta. ∴ ∴ Qui venere è comitiis provincialibus, dicuntur pertulisse, exspectanda nobis decreta nova, superiorum

rum similia vel iis graviora. Ego dixerim, quod ille. Etiamsi enim ruat cœlum, impavidum ferient ruinæ. Futurum item, ut non pauca mutentur. Forte ut reducantur Ranæ & Ranarum patroni. ὁ ἔξαρχος τῆς ἔριδος quasi in integrum restitutus die Solis superiore & hesterno die occupavit in templo locum, qui est primus ordinis Theologici. Unde increbescit ad vulgus fama. Nec dubito quosdam hoc moliri. Sed quid agunt, nisi ut Principis existimationem prostituant calumniæ? an ut contentiones novæ vigeant? Ille enim non erit sui dissimilis. Quin certum est, ipsum quædam conscripsisse recèns: & modo hunc, modo illum adorietur, novabit alia atque alia, studia sapientiæ in extremum contemptum adducet: atque tum tacebit Cornelius, *& in servitutem inscitia addicet Scientiam.* Dedet ille se totum Δεσπότῃ & nos unà. Verum hæc gubernabit Deus, ut rescîscat Serenissimus & compescat superbos & noxios ejusmodi conatus. Alieno sanè tempore

abest Laronæ filius. Ἀυλογαλαξίας δὲ non habet sibi curæ hanc matrem: τῶν ῥημάτων γὰρ οἱ μέλει Illius silentii causam utramq; non tetigisti: intereane nihil? Namq; iterum scripsit ad eundem, cujus ego litterarum nullis fui delectatus ab autumno proximo. Per γραμματοφόρον, qui ad Serenissimum mittitur ab ordine JCtorum, scribo ad Parcovium: exemplum ad te quoque mitto. Velim & Hoimius legat: quid si quis præterea alius? Vera namque sunt illa. Novos versiculos pango: quos & ipsos ibi perficio legendos: quædam etiam ad Πηλείδην: [sit namque hic Ἀχιλλεύς, Pater Πηλεύς, tu Φοίνιξ] nempè quæ cœpi dictare ad Cyri prædiam, tibi statim potius legenda, & sic dijudicanda mittam, ut me si qua desideras, moneas. Vale. Helmst. ex Ac. Julia clɔ lɔ III.

EPISTOLA LXVII.

E Vicinia nec dedisti quiquam ipse, nec nunciasti. Ex antistite divi Laurentii audiam de curru quid constitutum sit. Præsto enim erit

Mollini

Mollini filio in illa solemnitate futura die Martis. Postridie ad vos cogitabam: verum heri ex Martisburgo ad me scripsit consanguineus, se die Augusti 17. aut 18. hîc mihi adfuturum. De re autem quadam agemus seria, quam tibi adveniens exponam: audies tum quoq; quæ hîc interea. Omninò & foris expugnamur, & molitiones intestinæ non desunt. Audies item non diversi argumenti, & quidem varia, quæ ab Albi huc perscripta sunt. Sunt ità multa, ut me referre pigeat: nec negocium cuique describendum dandum existimem. Sunt autem *ἄξια νεμέσεως ἅμα καὶ γέλωτος* pleraque. Vale. Helmst. ex Acad. Julia XII. die Aug. CIↃ IↃ CIII.

EPISTOLA LXVIII.

PEr Martii Consulis Henricopolitani puerum scripsi, fortè uno alióve die me tardiùs vobis adfuturum, quam constituissemus ob adventum patruelis mei, qui se ad XVII. Augusti jussit exspectari. Satis audies nugarum, vel [cum Sapientissimo mortali-

ras unà fuimus: sermones nostri fuerunt de filiis: cæteroqui præter querelas nihil; sed & has tamen abrupimus. Equis istis mihi huc usque utendum fuit: ingresso oppidum ad ædes D. Sigefridi obviam mihi fit Duncanus. Ex eo alia audivi, alia porrò audiam: in cæteris narrabat, die crastino vobis adfuturum τὸν ἀξιωτέπιςολῆν: quod si præscissem, hoc quoque biduum istic me tenuissem. Alia enim narrabit & plura, & interiora, quàm Duncanus: quod illius solemnitatis ille pars nonnulla fuit. Narra ipsi, gaudere me, quòd salvus, quòd honoratus, quòd οὐκ ἀγέραστος redierit: recita item παρῳδίας initium: facilis trajectus ad Anglos, sed revocare ratem nostrumq; evadere ad Oucram, hoc opus, hic labor est: atque ipse hoc tibi interpretabitur. Consilium nostrum de mittendo tabellario rectum esse non dubito, eumque ut dixeram, cras mitterem: sed quia Crispus adest, fortè & ipse aliquid scribet, quod biduo ad me mitti velim. Legat ipse quoq; Verrini perplexam epistolam, quam tamen ad me remittes. Nostrarum argumentum ipsi expones. Ejus frater Her-

Hermannus ad me scripsit, se pro fratre de argento laborare: sed frustrà hactenus. Itaque accuratius nobis & acrius scribendum censeo. Tuas ad fratrem Drosemarii literas hodie per tabellarium misi, quem hac hora exspecto: quod referet, in fasciculum conjiciam. Ipsum Lac est ipsum absinthium. Gener ipsum compellans vapulavit hominis in me conviciis pluribus: denique ille nihil sitit præter pecuniam, & flocci habet amicitiæ leges, ut molliter loquar. Itaque mihi opus erit ad eum refutandum opera Sallustii. Rationibus enim emolliri ille nullis poterit: nec, credo, quidquam velit omnium in orbe rerum, à quo absit nummus. Queritur se extrema inopia premi: credo: & hoc erit ei perpetuum, qui expleri non potest. Ego tamen viam pecuniæ nullam invenio, & ipsi à me proposita conditione satisfieri citra ipsius jacturam scio: sed eam repudiat. Cornelius puerum mittit, ut rescisceat, quid de negocio ad te Theodorus scripserit, nisi quid tibi heri sit redditum. De mendacio, quòd de migratione ad Viadrum statuerit, merito

ritò graviter indignatur: perdat νέμεσις τὸ συκοφαντικὸν γένος. Valc. Helmst. ex Academia Julia V. Kalend. Sept. 1603.

EPISTOLA LXX.

QUæ ad Sallustium scribo, iis repetitis ad te haud opus est: & illa enim non minus leges. Aut ego valde fallor, aut Verrinus ad dictum diem non veniet, hoc est, prorsus non veniet. Quia autem Britannicus rediit, nihil est jacturæ, sive ea minor. Nec succensebitur cuiquam, quod ille à veteri hero tenetur. Certè enim tenebitur, & se teneri, si non nolet, æquo animo feret: denique, quantumcumque laborabit, expedire sese non poterit: quod ego tam asseveranter dico, ac si factum viderim, etsi errasse malim. Haud scio, tibine dixerim, me filium in Italiam mittere; adeoque ipsum hoc mense iter ingredi oportet, ne tempore alieno proficiscantur. Habebit enim comitem Frid. Σιμιάδην: ante non est, quod avocer: nec me opus erit. Nam vel

ad παραβαλλαοτίυς, nondum rediit, nec quando hominem exſpectem, ſcio. Eremim cognovi hac hora; quod mirum ni ad vos perſcriptum ſit. Narrat mihi Stetino rediens Rufus, Ducem Barnimum die C. Ægidii deceſſiſſe: ibique exſpectatum Ducem Bogislaum, cujus filius Dux Philippus illi defuncto ſuccedit. Fortè Verrinus cum hero ſuo ejusq; patre Stetinum unà abierit. Quod igitur ante augurabar, Criſtatum non venturum, id modo apud animum meum pro certo habeo: adeoque ille facilius per hanc mutationem excuſari poteſt. Hoc interea vos ſcire volui: ego interea iſtinc neque cuniculum, neque cuniculi pelliculam vidi. Vale. Helmſt. ex A. Jul. xix. Sept. clɔ Iɔ ciɪɪ.

EPISTOLA LXXII.

EX heſternis literis vidiſti, me veriorem vatem fuiſſe in hoc negocio, quàm maluerimus. Et ille autem hoc caſu erit excuſatior, neque quidquam nobis imputari poſſit: prorſus aliter fieri non potuit. An nunc enim exploratæ induſtræ & fidei nomine careret Princeps?

an ille effunderet bona, ob quorum aliquam exſpectationem decem annorum non leves moleſtias devoraſſet? Itaq; non ſolùm cautè, ſed rectè in ea epiſtola ſcripſit, ſe hac in re Deo parere? Fortè Criſpus non prius huc veniet, quàm cum Sereniſſimis locutus ſit: quod cum ſuſpicer, iterum ad ipſum ſcribo: quæ à te quoque legi velim, & ſi ille Grœningam ierit, ad ipſum mitti. Uti ſcribo, ita de juvene ſentio, & eum nobis in cæteris auſcultaturum mihi perſuadeo. Namque ejus animum ab humanitate non abhorrentem, humaniorem fecit conſuetudo cum gente omnium humaniſſima, prudentiorem anni & uſus rerum, & iidem illi homines, apud quos cum Temperantia ſedē fixiſſe Prudentia credi poteſt. Non te prorſ9 fugit, quid quis adverſus quem ſuperioribus diebus moverit: cognitio cauſæ inſtituta ſapienter exitum ſortita eſt legitimum. Cætera in id tempus rejicio: quando una erit, vel ad nos veniet ὁ πρωτεπιστάτης. Quos enim ſermones habuerimus, quaſi tecum habuero, ἐν πᾶσι γὰρ συμφωνεῖτε, καὶ συμφωνήσετε. Vale. Helmſt. ex A. Julia 21. die Sept. CIↃ IↃ CIII.

Epi-

EPISTOLA LXXIII.

HIc per strepitum & οἰνοποσίαν, quę aularum primum decus putatur, ut revera prima pestis est, qua de re potuimus seriò sermonem conferre? Ego qui nihil biberem, visus mihi fui μεθύειν. Ad Sallustium nunc non scribam: quem tu monebis de editione νεφελῶν, ut quid, quando, quomodo fieri posse existimas, vel modo, vel ut primum poteris, scribas. Age quoque, ut loquatur cum τῷ ipsum Lac, ne mihi vertatur in perpetuum absinthium: quinquaginta autem me missurum, quas in horas singulas à creditore meo exspecto. Quædam scripseram, quæ legeretis: sed ad eam rem otium non fuit: nec talia sunt, quæ in fasciculum conjicias. Cœperam quoque conscribere ad tuum Principem de initiatione Academiæ; in qua epistola & περὶ ἱερεχειλίας Atheniensium. Quæ de genero tibi narravi, etiam illi narra. Quantum cogito totas etiam noctes! Salus non queat servare hanc Academiam, nisi expergiscatur Ναύκληρος, aut Deus

 omnia

omnia mirificè διαθῇ. Vale. Helmst. ea Academia Julia die 4. Octobr. 1603. περὶ λοιμοῦ nihil audio amplius.

EPISTOLA LXXIV.

JUlio has dedi: qui ipse sibi erit Sub-Mercurius. Namque negocium neque incipi, neque perfici queat sine Sallustio. Quod ad meas litteras & rem ipsam, non nitimur profectò, vel potius ego non nitor ramusculis. Namque certò scimus, & quibus ille homo supplex factus sit, & quis negocium apud Provinciales egerit, & quis ad Serenissimum retulerit. Decretum autem quidnam, decernendumve sit, θεῶ ἐνὶ γούνασι κεῖται. Utinam cognoverit, cognoscatve, priusquam quid decernatur, quæ perscripsi: malim ex quocunque potius quàm ex me: sed tamen meas litteras ὑπὸ τῶ Ἄρχοντος legi nescio qua gratia nolim: ita salvus sim, non propter me aut meos, sed propter salutem publicam. Fabellas habemus plures: unam audi.

Heri

Heri advenit ab Albi Gesnerus Theologus Brunſvigam proficiſcens: vix ingreſſo diverſorium adeſt, qui diceret, hominem reſtitutum in dignitatem priſtinam: advenit eadem hora Pocinius detegens mendacium. Namque ille, ſi quid etiam decretum eſſet, noviſſe non poterat. Τὸ ψεῦδος τῆς διαβολῆς certiſſima mater eſt. Vale. Hel. ex academia Julia pridie Non. Octobr. cIↄ Iↄ CIII.

De ipſo autem homine luce meridiana clarius eſt. Tamen ὅπερ δόξῃ Κρυσιάδῃ, qui omnia momenta ponderare poterit, γενέσθω.

EPISTOLA LXXV.

Iter iſtud Hamburgenſe ἐμποδισθῆναι plures adſerebant: alii demum affirmant negocium procedere: hoc ſi ita eſt, ibitis. Περὶ Οἰμιάδου audio eſſe in ſpe: ex Esbecano iſtuc accitum πρὸς τὰς συμβουλὰς: & vobis hodie affuturum puto. ὡς καλῷ καὶ ἀγαθῷ ἀνδρὶ πρέπει:

denique in ipso minimum desidero, nec vidi, nec video, quem cum hoc compararemus. Ipse cum cura fungetur officio, & acuetur meis verbis, te diligit, Crispum colit. Nostri juvenes quotidie à Bructero abeunt longius, ad Alpes accedunt propius. Res academicæ sunt, uti erant: unus adhuc καραδοκεῖ, οἱ αὐτῷ σύμψηφοι καὶ κόλακες σιγῶσι. Vale. Helm. ex Academia Julia eid. Octobr. 1603.

EPISTOLA LXXVI.

MEllea non sunt, neque lactea, quæ ille scribit: absinthium, aloë, merum fel. Qui si herus mihi sit, miserum equidem sim mancipium. Cœperam respondere & responderam: sed jam nunc ea conscindo. Æquissimæ enim ipsius petitioni mihi cedendum video. Hoc enim ille æquum putat, quod vult, oblitus, quid amicitiæ debeat, & ei amico, quem ille modo habebat unum & unicum. Vult autem nihil, nisi suam φιλουμένην. Aut Crispus ei verbum non fecit, aut hominem accendit magis. Scidam ex epistola

stola exemeras. Venerat enim. Cum eo quid actum sit, scire aveo: nisi hodie, audiam die crastino. Unà igitur nobiscum iter ibit: quos ego reverti, quàm abire malim. Vale. Helmst. ex Acad. Jul. die 17. Octobr. 1603.

EPISTOLA LXXVII.

POstquam rediistis, redeamus ad scribendum. Ex te scire cupio τὰ τῆς ἐκείνης πανηγύρεως: adde praeterea, quae de illa solennitate illic typis edita narrantur. De vestro in Academiam adventu fortè interea verbum nullum. Nobilissimi Othonis ab Hoim uxori scripsi versus aliquot: correctos ad ipsum mittam, velim te hoc amico & pio officio itidem fungi. Quod ad προαἰτεπιστολὴν darem, erat quidem, sed non vacabat. Scaligeri ad me epistolam mense Majo scriptam, recèns mihi redditam, si vobis lubet legere, misi ejus exemplum ad Othonem. Vale. Helmst. ex Acad. Jul. Id. Nov. cIɔ Iɔ CIII.

Josephus Justus Scaliger Joanni Caselio S.

Binas à te litteras eodem ferme tempore accepi. Quæ tamen prius scripta, posterius reddita sunt. Neq; verò causam scire potui, cur is, cui priores tradideras, tam lente fidem suam liberaverit. Statim enim, si vacat, ad amicorum literas respondere soleo, id quod & jam fecissem, si per ejus culpam mihi licuisset. Nihil enim mihi antiquius est, quam negligentiæ & causas omnes & suspicionem à me amoliri, ut ternis potius literis ad unas quam nullis respondeam. Primum igitur, quod ex iis accepi, qui mihi tuas reddidere, gratissimum mihi de valetudine tua fuit, quam adhuc constare tibi in ætate illa affirmabant. Quod verò ex literis tuis cognoscere potui, ex eo non vulgaris mihi admiratio incessit. Non quod mirari soleam, quæ miranda non sunt, sed quia, quibus bene consultum volo, aliter illis accidere, facere non possum, quin doleam. Tibi enim, homini raris ingenii dotibus & eximia virtute prædito, invideri mirarer equidem, si virtutem esse rem invidiosam nescirem. Quia verò id quotidianum est, non tam miror id tibi accidere, quam doleo ei, cui minimè omnium vellem, in hac præsertim senectute, id contigisse. Ac quamvis plus tibi constantiæ superesse ad hæc contemnenda, quam illis impudentiæ ad te lacessendum scio; tamen & nobis ægrè est, quietem stu-

studiorum tuorum sollicitari: & tu non potes effugere, quin aliquando ad hos susurros animum advertas. Nam & tonitrua movent sapientis animum, quamvis non terrent. *Quomodo leonem apud Æsopum non terruit mus, sed excitavit. Nihil tamen magis assultus harum larvarum eludere potest, quam dissimulatio καὶ ἀνεξικακία. Sui enim rationem haberi putant (quod quidam affectant) quum, quibus insultant, eos maxime se permovisse arbitrantur. Hos animos illis conscientia, & doloris ab illis expressa, quibus nocere student, confessio, faciunt. Sed talem* proterviam solus contēptus retundere potest. *Neque tu hæc ignorare potes, homo Philosophiæ alumnus, ut mihi opus sit ea te docere. Non possum tamen dissimulare dolorem meum, quem ex præpostera hominum hodiernorum consuetudine capio: quos, quum literæ, quas profitentur, ex feris humaniores efficere debuerint, nihil tamen illorum moribus agrestius, nihil ingeniis inamœnius, nihil scriptis virulentius, nihil verbis atrocius. Non memoro inscitiam, (nam ea sola ejuscemodi morum mater est,) & absque illa fuisset, si non meliores, saltem minus mali esse potuissent.* Ad fastigium barbarei, mi Caseli, pervenimus. Non habet, quo

ulterius progressum faciat. Jam stat in præcipiti. Pauculi supersunt, quos melior natura formavit. Ex quibus alii sensum bonarum literarum, alii sensum & usum habent. Tu quidem in illis familiam ducis, qui puritate sermonis atque eruditione omnes provocare possis; &, quod caput est, vitæ integritate ac modestia inprimis, quam virtutem ego, quum in multis, qui literas colunt, tum in vestris præcipuè Germanis requiro: apud quos nulla magis ad maledicendum parata sunt ingenia, quàm quæ maxime horrida sunt & agrestia. *Quot Teutonicorum scriptorum portenta Nundinæ Francofurtenses producunt? Quis in reliqua Europa aut plura vidit, aut petulantiora impotentium animorum argumenta, quàm sunt illa lemmata librorum, partim Germanico sermone, partim Latino; sed à Germanis Furiis concepta? Quis tam perditus, ut legendis illis bonas horas per-*

perdere postulet? Deus meliora, quàm ut relictis optimis studiis, vel unum temporis momentum illis impendam. Et literæ tamen furoribus & debacchationibus horum ancillantur, ut non ad aliud quàm ad impura horum hominum ministeria natæ esse videantur. Sed, mi Caseli, neque querelam nunc instituo, neque modum epistolæ excedam. Hanc vocem doloris mei testem, tum imminens bonarum literarum interitus, tum improbitas hominum extudit, qui non aliter se doctos probari putant, quàm si literis in hominum doctorum dedecus abutantur. Hoc unum me tamen consolatur, quod tu cum paucis de aureo illo seculo reliquus, *quo Italia, Gallia, & Germania honestis floruit artibus.* Neq; *minus consolari te debet, quod homines tecum habes qui quotidiani congressus sui suavitate omnem molestiam tibi abstergere possunt, & illam horum generis humani retrimentorum recordationem ex animo delere, siquidem ulla adhuc residet. Quorum aliquot lucubratiunculas, quas misisti mihi, summa cum voluptate legi. Tuum carmen, tum Latinum, tum Græcum, in homine id ætatis miratus sum, qui, quæ mea stultitia est, aliorum senum captum ex meo metiri audeam. Vix tandem, mi Caseli, sentio,* Musas puellas esse, quæ senes aversari solent, *quæ quidem quum sint novem, ne unam quidem exorare possum, ut per eam unum epigrammation, ut cum*

Ennio,

Ennio loquar, edolare mihi liceat. Tanta est ariditas venæ, quam amici in juvene fuisse jurant. Ego, quanta fuit, aut si qua fuit, non memini. Hoc unum scio, in sene nullam esse. Molliculum & venustum illud epos Græcum ætas tua poterat vetare credi tuum, nisi ingenium tuum, quod mihi probè notum est, aliter persuaderet. Quod verò in extrema epistola de Isaaci Casauboni præclaro de nobis testimonio adjecisti, non præter solitum facit, qui ex amore suo metitur, quod non potest ex merito meo. Notum est, quanti ego illud literarum columen faciam. Oro te, quid vidisti ab eo, nisi eximium? quid illius Athenæo, quid historia Augusta, quid omnibus ejus lucubrationibus eruditius, absolutius, exquisitius? Hoc unum doleo, tantæ eruditioni testes deesse, quos meretur. Omnes docti, illum in literis multum præstitisse fatentur, quantum tamen præstiterit, nesciunt. Ille unus plus, quàm omnes simul, qui illas tractant literas, me docuit. Utinam illi ejusmodi testes contingerent, qualem me esse sentio. Sed comprimo me: vereor enim, ne garrulitate mea tam illius laudes deteram, quam te obtundam. Vale. Prid. Kal. Quint. Jul. 1603.

EPISTOLA LXXVIII.

BInas ad te his diebus dedi, non tam tibi ut aliquid nuntiarem, quàm desiderio vestrarum sive potius vestri. Poteris autem die

craſtino aliquid per generum dare: mitte etiam, quæ deſcribi cœpta ſunt prœmii Xenophontei, nec obliviſcere narrationis πανηγύρεως Hamburgicæ. Amicus noſter properabat, cujus in quibusdam rebus ingenium cognoris. Utinam omnes, quæ veritatis & commodi publici ſunt, quæramus. Vale. Helmſt. ex Acad. Julia XII. Nov. 1603.

EPISTOLA LXXIX.

IN eorum, quæ tibi legenda reliqueram, amiſſione, jacturæ nihil eſt. Nec enim exemplum habeo, neque nihil de iis penes me eſt, præſertim ſi ea mihi libeat retexere: de quo videro. Sunt tamen, quæ Adoleſcentes cum aliqua, ut opinor, utilitate cognoſcant. Malim autem porrò coram quotidie tecum loqui, quàm per has interpretes, in quibus ſæpè deſideremus ea, quæ audire potiſſimum noluerimus. Quin verè adeſtis? Nam de contagio, quæ iſtic feruntur, falſa ſunt: nec illum locum attigit, de quo dictum iſtic audio. Aut capiuntur fabellis, aut eas confingunt, quod huic negocio non favent: velint ſaltem, non dico nobis,

omnia mirificè διαθῇ. Vale. Helmst. ea Academia Julia die 4. Octobr. 1603. περὶ λοιμοῦ nihil audio amplius.

EPISTOLA LXXIV.

JUlio has dedi: qui ipse sibi erit Sub-Mercurius. Namque negocium neque incipi, neque perfici queat sine Sallustio. Quod ad meas litteras & rem ipsam, non nitimur profectò, vel potius ego non nitor ramusculis. Namque certò scimus, & quibus ille homo supplex factus sit, & quis negocium apud Provinciales egerit, & quis ad Serenissimum retulerit. Decretum autem quidnam, decernendumve sit, θεῶ ἐνὶ γούνασι κεῖται. Utinam cognoverit, cognoscatve, priusquam quid decernatur, quæ perscripsi: malim ex quocunque potius quàm ex me: sed tamen meas litteras ὑπὸ τοῦ ἄρχοντος legi nescio qua gratia nolim: ita salvus sim, non propter me aut meos, sed propter salutem publicam. Fabellas habemus plures: unam audi.

Heri advenit ab Albi Gesnerus Theologus Brunſvigam proficiſcens: vix ingreſſo diverſorium adeſt, qui diceret, hominem reſtitutum in dignitatem priſtinam: advenit eadem hora Potinius detegens mendacium. Namque ille, ſi quid etiam decretum eſſet, noviſſe non poterat. Τὸ ψεῦδος τῆς διαβολῆς certiſſima mater eſt. Vale. Hel. ex academia Julia pridie Non. Octobr. cIɔ Iɔ CIII.

De ipſo autem homine luce meridiana clarius eſt. Tamen ὅπερ δόξῃ Κρυσιάδῃ, qui omnia momenta ponderare poterit, γενέσθω.

EPISTOLA LXXV.

ITer iſtud Hamburgenſe ἐμποδισθῆναι plures adſerebant: alii demum affirmant negocium procedere: hoc ſi ita eſt, ibitis. Περὶ Οἰμιάδε audio eſſe in ſpe: ex Esbecano iſtuc accitum πρὸς τὰς συμβούλους: & vobis hodie affuturum puto. ὡς καλῷ καὶ ἀγαθῷ ἀνδρὶ πρέπει:

denique in ipso minimum desidero, nec vidi, nec video, quem cum hoc comparemus. Ipse cum cura fungetur officio, & acuetur meis verbis, te diligit, Crispum colit. Nostri juvenes quotidie à Bructero abeunt longius, ad Alpes accedunt propius. Res Academicæ sunt, uti erant: unus adhuc καραδοκᾷ, οἱ αὐτῷ σύμψηφοι καὶ κόλακες σιγῶσι. Vale. Helm. ex Academia Julia eid. Octobr. 1603.

EPISTOLA LXXVI.

Mellea non sunt, neque lactea, quæ ille scribit: absinthium, aloë, merum fel. Qui si herus mihi sit, miserum equidem sim mancipium. Cœperam respondere & responderam; sed jam nunc ea conscindo. Æquissimæ enim ipsius petitioni mihi cedendum video. Hoc enim ille æquum putat, quod vult, oblitus, quid amicitiæ debeat, & ei amico, quem ille modo habebat unum & unicum. Vult autem nihil, nisi suam Φιλουμένην. Aut Crispus ei verbum non fecit, aut hominem accendit magis. Scidam ex epi-

stola

stola exemeras. Venerat enim. Cum eo quid actum sit, scire aveo: nisi hodie, audiam die crastino. Unà igitur nobiscum iter ibit: quos ego reverti, quàm abire malim. Vale. Helmst. ex Acad. Jul. die 17. Octobr. 1603.

EPISTOLA LXXVII.

POstquam rediistis, redeamus ad scribendum. Ex te scire cupio τὰ τῆς ἐκείνης πανηγύρεως: adde præterea, quæ de illa solennitate illic typis edita narrantur. De vestro in Academiam adventu fortè interea verbum nullum. Nobilissimi Othonis ab Hoim uxori scripsi versus aliquot: correctos ad ipsum mittam, velim te hoc amico & pio officio itidem fungi. Quod ad πρωτεπιστολὴν darem, erat quidem, sed non vacabat. Scaligeri ad me epistolam mense Majo scriptam, recèns mihi redditam, si vobis lubet legere, misi ejus exemplum ad Othonem. Vale. Helmst. ex Acad. Jul. Id. Nov. cIↄ Iↄ CIII.

Josephus Justus Scaliger Joanni Caselio S.

Binas à te litteras eodem ferme tempore accepi. Quæ tamen prius scriptæ, posterius redditæ sunt. Neq; verò causam scire potui, cur is, cui priores tradideras, tam lente fidem suam liberaverit. Statim enim, si vacat, ad amicorum literas respondere soleo, id quod & jam fecissem, si per ejus culpam mihi licuisset. Nihil enim mihi antiquius est, quam negligentiæ & causas omnes & suspicionem à me amoliri, ut ternis potius literis ad unas quam nullis respondeam. Primum igitur, quod ex iis accepi, qui mihi tuas reddidere, gratissimum mihi de valetudine tua fuit, quam adhuc constare tibi in ætate illa affirmabant. Quod verò ex literis tuis cognoscere potui, ex eo non vulgaris mihi admiratio incessit. Non quod mirari soleam, quæ miranda non sunt, sed quia, quibus bene consultum volo, aliter illis accidere, facere non possum, quin doleam. Tibi enim, homini raris ingenii dotibus & eximia virtute prædito, invideri mirarer equidem, si virtutem esse rem invidiosam nescirem. Quia verò id quotidianum est, non tam miror id tibi accidere, quam doleo ei, cui minimè omnium vellem, in hac præsertim senectute, id contigisse. Ac quamvis plus tibi constantiæ superesse ad hæc contemnenda, quam illis impudentiæ ad te lacessendum scio; tamen & nobis ægrè est, quietem stu-

studiorum tuorum sollicitari: & tu non potes effugere, quin aliquando ad hos susurros animum advertas. Nam & tonitrua movent sapientis animum, quamvis non terrent. *Quomodo leonem apud Æsopum non terruit mus, sed excitavit. Nihil tamen magis assultus harum larvarum eludere potest, quam dissimulatio καὶ ἀνεξικακία. Sui enim rationem haberi putant (quod quidam affectant) quum, quibus insultant, eos maxime se permovisse arbitrantur. Hos animos illis conscientia, & doloris ab illis expressa, quibus nocere student, confessio, faciunt. Sed talem* proterviam solus contẽptus retundere potest. *Neque tu hæc ignorare potes, homo Philosophiæ alumnus, ut mihi opus sit ea te docere. Non possum tamen dissimulare dolorem meum, quem ex præpostera hominum hodiernorum consuetudine capio: quos, quum literæ, quas profitentur, ex feris humaniores efficere debuerint, nihil tamen illorum moribus agrestius, nihil ingeniis inamœnius, nihil scriptis virulentius, nihil verbis atrocius. Non memoro inscitiam, (nam ea sola ejuscemodi morum mater est,) & absque illa fuisset, si non meliores, saltem minus mali esse potuissent.* Ad fastigium barbarei, mi Caseli, pervenimus. Non habet, quo

 ulte-

ulterius progressum faciat. Jam stat in præcipiti. Pauculi supersunt, quos melior natura formavit. Ex quibus alii sensum bonarum literarum, alii sensum & usum habent. Tu quidem in illis familiam ducis, qui puritate sermonis atque eruditione omnes provocare possis; &, quod caput est, vitæ integritate ac modestia inprimis, quam virtutem ego, quum in multis, qui literas colunt, tum in vestris præcipuè Germanis requiro: apud quos nulla magis ad maledicendum parata sunt ingenia, quàm quæ maximè horrida sunt & agrestia. *Quot Teutonicorum scriptorum portenta Nundinæ Francofurtenses producunt? Quis in reliqua Europa aut plura vidit, aut petulantiora impotentium animorum argumenta, quàm sunt illa lemmata librorum, partim Germanico sermone, partim Latino; sed à Germanis Furiis concepta? Quis tam perditus, ut legendis illis bonas horas* per-

perdere postulet? Deus meliora, quàm ut relictis optimis studiis, vel unum temporis momentum illis impendam. Et literæ tamen furoribus & debacchationibus horum ancillantur, ut non ad aliud quàm ad impura horum hominum ministeria natæ esse videantur. Sed, mi Caseli, neque querelam nunc instituo, neque modum epistolæ excedam. Hanc vocem doloris mei testem, tum imminens bonarum literarum interitus, tum improbitas hominum extudit, qui non aliter se doctos probari putant, quàm si literis in hominum doctorum dedecus abutantur. Hoc unum me tamen consolatur, quod tu cum paucis de aureo illo seculo reliquus, *quo Italia, Gallia, & Germania honestis floruit artibus. Neque minus consolari te debet, quod homines tecum habes qui quotidiani congressus sui suavitate omnem molestiam tibi abstergere possunt, & illam horum generis humani retrimentorum recordationem ex animo delere, siquidem ulla adhuc residet. Quorum aliquot lucubratiunculas, quas misisti mihi, summa cum voluptate legi. Tuum carmen, tum Latinum, tum Græcum, in homine id ætatis miratus sum, qui, quæ mea stultitia est, aliorum senum captum ex meo metiri audeam. Vix tandem, mi Caseli, sentio,* Musas puellas esse, quæ senes aversari solent, *quæ quidem quum sint novem, ne unam quidem exorare possum, ut per eam unum epigrammation, ut cum*

Ennio

crastino aliquid per generum dare: mitte etiam, quæ describi cœpta sunt prœmii Xenophontei, nec obliviscere narrationis πανηγύρεως Hamburgicæ. Amicus noster properabat, cujus in quibusdam rebus ingenium cognoris. Utinam omnes, quæ veritatis & commodi publici sunt, quæramus. Vale. Helmst. ex Acad. Julia XII. Nov. 1603.

EPISTOLA LXXIX.

IN eorum, quæ tibi legenda relique-ram, amissione, jacturæ nihil est. Nec enim exemplum habeo, neque nihil de iis penes me est, præsertim si ea mihi libeat retexere: de quo videro. Sunt tamen, quæ Adolescentes cum aliqua, ut opinor, utilitate cognoscant. Malim autem porrò coram quotidie tecum loqui, quàm per has interpretes, in quibus sæpè desideremus ea, quæ audire potissimum noluerimus. Quin verò adestis? Nam de contagio, quæ istic feruntur, falsa sunt: nec illum locum attigit, de quo dictum istic audio. Aut capiuntur fabellis, aut eas confingunt. quod huic negocio non favent; velint saltem, non dico nobis, sed

ſed ſtudiis liberalibus. Nos ſi qui minus ament, perinde habebo: nec talibus ſuccenſebo, neq; maledicam. Vale. Helmſt. ex Acad. Julia XXIII. Novembr. clɔ Iɔ CIII.

EPISTOLA LXXX.

DEderat ad me literas Delius non inanes. Scripſerat enim non ſolùm, quæ ſcire deſiderarem, ſed quæ non levi cura me levarent. Meum erat reſcribere: faſciculum iſtuc miſi: tabellarius abierat: remittuntur ad me litteræ: quas nec perire velim; & ab illo legi, ſi illic adhuc hæreat, ſive redierit, ſive his diebus exſpectetur. Eundem igitur faſciculum fidei tuæ commendo. Si Decembri aderitis, quis annum hunc vos hic vixiſſe non prædicabit? ἀεργῶν μὲν εἶναι φαίνονται ἀναβολαί; σκήψεις δὲ καὶ βασιλέων εἶναι λέγονται. Vale. Helm. ex Acad. Julia IV. Kalend. Dec. clɔ Iɔc III.

EPISTOLA LXXXI.

QUia biduo aderitis, faciam hic finem

nem nostri ἐπιςολικοῦ ἀγῶνος. Tu enim respondebis coram. Cum potissimam partem noctis insomnem agerem, exaravi quoque aliquid ad Principem, quod te interprete cognoscet plenius: est tamen, cujus interpretationem à me accipies. Etenim ut in aliis, ita hic quoque senile ἦθος servo. Vale. Helmst. ex A. Jul. V. Non. Dec. 1603.

EPISTOLA LXXXII.

FRater tuus hic fuit, me non vidit: à meis semel iterumque quæsitus fuit frustra. Nam ego cum eo de isto vitæ genere contulissem. Si quid habes, quod me scire velis, hic tabellarius à Cornelio ad Chilonem missus statim ad nos revertitur. Exspecto quoque, si quid respondeat Sallustius. Exemplum epistolæ ad me Zamoscii, etsi singulare argumentum non habet, mitto. Videbitis, ut Academia nostra non ita vilis sit foris, ut est domi. De Zamoscio, ejus Academia & pædia filii adhuc impuberis, audies coram. Unum tibi narro in præsentia, quod quatuor

 lingua-

linguarum preceptores ipse liberali sumptu alit, ac habet jam puer initia linguarum Latinæ, Græcæ, Germanicæ & Turcicæ. Hoc occinito iis exemplum, qui Principes in Inscitia educari malunt, ut ipsi primo loco sint. Expedit sanè œconomo dubiæ fidei, ut fortunatus herus artem numerandi minus rectè calleat: tu accommoda cætera: fortè ipse aliquando in loco idem fecero: sit argumentum συλυρογχάφω. Vale. Helm. ex Acad. Julia Non. Dec. clɔ lɔc III.

EPISTOLA LXXXIII.

EPistolam flagitas, RUDOLPHE, de qua me cogitare ostenderam, cum tu te aliquid in natalem *Principis Frid. Hulderici* quintùm jam meditari diceres. Ajo me certam tibi spem fecisse ejus lucubrationis? hoc verò modò non & mihi persuades: nec enim ab eo multum aberam. Verum, ut aliquid & ipse meditari cœperim, nihil scripsi. Sub speratum enim diem aliò ibam, uti scis, in negocio fratris pernecessario. Rediens quærebam de Nonis

nis tnis Aprilibus: redditas legi avidè: relegi cum voluptate, cum admiratione, cum prædicatione ad familiares: hoc non contentus, ad amicos exempla misi, qui hoc genere epularum delectantur potissimum: misi quotquot mihi donasti, & quotquot tibi eripui, cum relinquerē paucula. Cum aliis ad alios opus esset, jussi typographum eadem recudere, forma vulgari, minore molestia. Nam nec ille habebat chartam regiam, & operæ laboris aliquid declinant. Hoc meum studiū indicio tibi sit, quid de hac oda sentiam: quam equidem adspiciens longiusculam putabam, inter legendum facta fuit duobus nominibus brevior: tum quòd erat suavissima, tum quòd nihil habet supervacaneum. Cautè laudas alumnum disciplinæ vestræ, doces fideliter, cum in hac cohortatione, tum aliàs semper, nec quidquam toto tempore, qui modò sextus annus ire cœpit, abs te omissum est, quod à cujusquam fide & industria requiri præstarive potuerit. Prętereo cætera, ista intelligi ab impubere, & rarum & magnum est: præstabis, sive præstabitis porrò; quod habes optatissimum aulæ

 ma-

magistrum, sive præstabimus, quoniam academicos in curę partem adsciscitis, ut quam minimum, sive nihil potius ad educationem regiã desideretur. Etenim eam penitissimè intelligitis: cur enim hoc non affirmem? cum utriusque & doctrinam noverim & animum: nec temerè mihi ejus rei intelligentiam arrogo senex, totaque vita in ea parte plurimum ac summo studio versatus. Nec aliquid causæ est, quamobrem dissimulemus, omnem παιδείαν regiam nobis esse cognitam, quando omnia, pleraque certè didicimus, quæ & à sapientibus, & ab inferioris notæ scriptoribus super eo negocio memoriæ prodita sunt: & doctrinas videlicet, quas regias appellare nihil vetat, &, ne quis rationes veras mera verba suspicetur, exempla Principum præstantium: illas sinceras atque uberrimas: hæc, ut in rebus humanis, quædam expressa ad archetypum, ut facilè adversus calumniam constare valeant: cujus quæ ipsa spicula in hanc doctrinam jacit, & retudimus sæpè, & retundemus deinceps. Nos faciamus officium, & quæ Gubernator universi nos

 idem

idem ille filios Regum discere, discant in republ. capiendis doceamus: quod cultu vitæ humanæ, deque rectis consiliis docere jussit, investigemus, deque verò sedulò & agendo exerceant. Sed quid quotidianas nostras dissertationes adsuo epistolæ? cum illarum vix modus, satietas verò statui neque possit, neque debeat. Vale. Helmstadii ex Acad. Julia XIII. Kalend. Maji. clↄ Iↄ CIV.

DE

CHARACTERE EPISTOLICO.

I.

ARtemon, qui Aristotelis epistolas in ordinem redegit, earumque volumen edidit, ait, eodem stilo scribendas epistolas, quo scribitur dialogus. Esse enim epistolam velut alteram dialogi partem. Ac fortè aliquid dicit, sed non dicit omnia. Oportet enim quodammodo plus accuratæ considerationis adhibere ad exarandas cum laude litteras, quàm ad scribendum dialogum. Dialogus enim imitatur ex tempore loquentem; sed epistola scribitur & donum mittitur aliquo modo. Quis igitur ita loqueretur cum amico, ut Aristoteles cum Antipatro, scribens pro exule, dicit?

Si quocunque hic exitio periit, ut desperatus ei sit reditus, nimirum iis, qui apud inferos sunt, redire volentibus, non sit invidendum. Qui enim sic loquitur, videtur potius demonstrare, non familiariter loqui.

II. Etiam solutiones crebræ non conveniunt epistolis. Videatur enim nasci disputatio pro epistola. Præterea quæ imitationis sunt, non ita scriptionis sunt, nedum conveniant epistolæ, veluti in Euthidemo Platonis: *Quis erat, mi Socrates, qui cum heri in Lyceo differebas? certè multi nos circumstabant.* Atque paullulum progressus ita infert: *ac mihi videbatur hospes quispiam esse, qui cum loquebare: quis erat?* Hujusmodi enim omnis explicatio atq; imitatio personæ magis convenit, quam epistolis, quæ scribantur.

III. Plurimum autem morati habeat epistola, ita ut dialogus: sic enim quisq; scribit epistolam, ut animi sui effigiem. Ac videre licet ex quavis oratione mores, unde & est proverbium; sermonem esse certam animi notam; sed ita evidenter ex nulla, uti ex literis; nec facile quis ita literas pingere, fucoque illinere potest, vel potius nemo eas ita semper potest pingere, ut scriptoris animus intimus

timus non aliquando deprehendatur. Si enim nihil aliud, aut si non certum malitiæ genus, fraus ipsa hinc inde emicat.

IV. Quare etsi hic canon vitæ est, ut & bene sentiamus, & bene faciamus: tamen serviet, ni fallor, orationi non minus, quàm quidquam præceptorum. Ita qui bene sentiat, & bene faciat, non magna difficultate idem etiam bene scribat, aut certè in id, quod fœdissimum est in oratione, nunquam incurrat; cætera mediocri studio & usu facilè sibi pariat.

V. Magnitudo verò etiam contrahatur epistolæ. Quæ enim valde longæ sunt, atque insuper oratione tumidiores, equidem epistolę esse nequeant, sed opera, in quorum fronte scripserimus S. P. quemadmodum sunt multæ Platonis, & præ cæteris ad Dionysium & Dionis propinquos, & epistolæ Thucydidis; quædam item Isocratis & Demosthenis. Nonnullæ tales sunt M. Tullii; prę cæteris nobilis illa ad Q Fratrem, Asię tunc Proconsulem: liber enim est, quo virum politicum magna ex parte erudit.

VI. Habenda est & *compositionis ratio.* Si igitur structura verborum dissolutior

 potius,

potius, qualis est pone omnium Ciceronis ad Atticum. Ridiculum est enim orbes orationum facere, quasi non epistolam, sed causam scribas; neque solum ridiculum, sed neque amicitiæ conveniens, quoniam arrogans, cum excludatur familiaritas, comes & index benevolentię. Quod enim in proverb. est, ut ficũ ficum dicamus; id servandum prorsus in epistolis, si uspiam in oratione; quod in omni re tamen boni viri facient, detestati quicquid cum veritate non congruit.

VII. Videamus quoque, quæ sit *Materia Epistolæ*; non solum enim certa quædam locutio, sed quædam etiam res propriæ conveniunt epistolis. Aristoteles igitur, ut qui plurima, ita doctissimorum hominum judicio præter cæteros formam epistolicam videtur assecutus: *Hæc autem, inquit, non scribo ad te. Non esset hæc res accommodata epistolæ.* Si quis enim literis persequitur sophismata & naturæ rationes; scribit ille quidem, sed non scribit epistolam, cujusmodi exstant tres epistolé Epicuri apud Laërtium. Debet enim esse epistola, ut multa simul complectantur, brevis aliqua benevolentiæ significatio, & negotii simplicis expositio, & conflata verbis simplicibus. Hæc

XIII. Hæc autem simplicitas elegantiam non respuit, sed præcipuè est hæc epistolæ elegantia, benevoli animi indicationes & crebra proverbia adspersa. Hæc enim sola sapientia in epistola sit, non peculiaris quædam & recondita, quoniam populare quiddam est proverbium & commune. Si quis verò sententias edit & cohortatur; non jam ille per epistolam aliquid significare, sed per machinam videtur. Aristoteles sanè etiam demonstrationibus alicubi utitur epistolicis, ut quando docere vult, eodē pacto & magna oppida & pusilla beneficiis afficienda esse dicit: *Dii in utrisq; æquales: siquidē igitur Gratiæ Deæ, in utrisq; tibi æquales constituentur.* Hic & quod demonstratur, est epistolæ accommodatum, & ipsa quoque demonstratio.

IX. Cum verò etiam & ad Respubl. interdum & ad Reges scribamus, sint sanè hæ epistolæ nonnihil elatæ, ac recedant à stylo tenui aliquantò propius ad Magnificum. Nam habenda est ratio etiam personæ, ad quam scribas. Sic tamen elatas eas esse oportet, ut non opus nascatur pro epistola, quemadmodum illa Aristotelis ad Alexandrum, & Platonis ad Dionis propinquos. Quod tamen exemplo talium virorum fit,

& tantis auctoribus, id fortasse non magnopere reprehendi possit.

X. In universum autem, quod ad elocutionem, misceatur epistola ex duabus notis, eleganti & tenui.

SCHOLION.

I. ORationes Rhetorum constantur è dicendi notis omnibus, quas ita misceri oportere existimamus, ut unicuique rei sua dictio, sua compositio tribuatur. Suam dico, quæ maximè conveniat. Convenire autem maximè judicanda sunt, quæ si aliter, vel efferantur, vel constituantur; neque vim, neque decus idem obtineant. Ita perfecta erit oratio, in qua non multum desideremus, quàm potius admiremur.

II. An verò hæc ratio sequenda est in exarandis literis? Nam videtur esse operæ precium, hac etiam de re aliquid præcipere. Namque hujusmodi præceptorum usus erit singularis & quotidianus. Vix enim dies prætereit, quin politi homines epistolas conscribant, sive id

ve id ipsis necessarium est ad expedienda alibi per alios negocia, sive quia ita volunt, quòd sentiunt, unam hanc esse neque contemnendam rationem tuendæ amicitiæ, aut colendæ humanitatis. Humanitatem autem qui tollat è societate mortalium, plantas omnium bonorum radicitus exstirpet, & omnium contra malorum semina jaciat, quorum per se, ut lolii, amplissimus est proventus.

III. Literæ dicuntur, quia hę sunt scriptionis elementa. Sed an hęc sola scriptio? Videtur omnium prima, quoniam maximè necessaria; cęteræ, quæ multiplices ortæ deinceps. Epistolæ autem, quia mandata de nostris rebus exponunt: nam ἐπιστέλλειν etiam mandare est. Sic Thucydides libro I. ἐπιστέλλουσι τοῖς ἄρχουσι τῶν νέων, πολιδαματῶν ὁμήροις λαβεῖν. Et ἐπιστολὴ apud Æschylum initio προμηθέως δεσμώτου; Σοὶ δὲ χρὴ μέλειν ἐπιστολὰς; quę paullò post dicuntur ἐντολαί. Idem πέρσαις; Ξέρξης δ' ἐμὸς παῖς, ὢν νέος, νέα φρονεῖ, κοὐ μνημονεύει τὰς ἐμὰς ἐπιστολάς.

IV. Qui autem epistolas rectè scribent, utentur potissimum nota tenui. A quo judicio Artemon non videtur dissentire.

tire. Putavit enim, qua ratione sermones componuntur, eadem & exarandas literas, quòd hæ sunt sermonis pars altera. Hinc apparet eum voluisse tenuem characterem convenire epistolis, quoniam ex eo constant dialogi. Habentur enim ex tempore, & sic conscribuntur, quasi ex tempore habiti; nec admittunt, nisi familiarem sermonem, aut quia ad familiarem accedat proximè.

V. Appareat igitur hæc negligentia, sive orationis humilitas in scriptis dialogis, cujus tamen non multa vestigia oportet exstare in scriptis epistolis. δεῖ γὰρ ὑποκατεσκευάσθαι πως μᾶλλον τοῦ διαλόγου. Oportet epistolam esse magis adornatam, sive paulò majore diligentia scriptam, quàm sermo aliquis, quòd quodammodo muneri amico mittitur. Munus autem sordidum nemo amico mittit, qui sapiat.

VI. Ne sint igitur inquinatæ, ne abjectæ epistolæ, ne careant cura, ne tamen multam perpetuamq; præ se ferant. Nec enim hoc convenit amicitiæ æqualium, inter quos ea contrahitur, sed est inferiorum adversus multò superiores.

VII. Ex epistolis præstantium virorum

rum exempla peti possunt, quæ accuratiora esse patet, quàm ut sermonibus conveniant. Tale est Aristotelis ad Antipatrum: Εἰ δὲ περὶ ἁπάσας οἰχεται τὰς φυγὰς οὗτος, ὥστε μὴ κατάγειν, δῆλον ὡς τοῖς γε εἰς ᾅδου κατελθεῖν βουλομένοις, οὐδεὶς φθόνος. Qui locus clarior esset, si integra exstaret epistola.

IIX. Hoc tamen non est obscurum, acutiorem esse orationem, quàm familiariorem. Sermones item soluti sunt, neq; conjunctionibus quasi conglutinati. Convenit autem actioni solutio, quod prius quoque monuimus.

IX. At epistolarum partes copulis oportet connecti; quod nisi fiat, nascetur obscuritas, quo loco perspicuitate opus erat. Exemplum ex Euthydemo Platonis hoc est: τίς ἦν, ὦ Σώκρατες, ᾧ χθὲς ἐν Λυκείῳ διελέγου; ἦ πολὺς ὑμᾶς ὄχλος περιειστήκει: paucis verò interjectis: καί μοι δοκεῖ ξένος εἶναι τις, ᾧ διελέγου. τίς ἦν;

X. Hæc epistolæ aut nunquam, aut admodum raro conveniunt. Namq; etiam intelligens hujus rei, quando convenientissimum judicat, [rectè autem judicabit] vel aliquid διαλογικὸν, vel

vel διαλογισμὸν includet epistolæ. Non dubitavit hoc facere in hoc genere princeps Cicero: inclusit idem & partes orationum. Verum exceptio hęc est, non regula, quarum hanc semper sequi tutò possis. In altero convenit ratio dialogi & epistolæ.

XI. Nam ἠθικὸν in utroque requiritur. Ut igitur in sermonibus exprimuntur loquentium mores & deteguntur animi: ita in literis quoque ipsum scribentem totum apparere, qualis est, oportet; inprimis autem benevolum; quin hæc est natura rei. Ut plurimum enim secundum veterem versum, Ανδρὸς χαρακτὴρ ἐκ λόγων γνωρίζεται; quanto magis ex literis?

XII. Sequitur præceptum de magnitudine epistolæ. Respondeat dictioni: hæc sit tenuis, illa modica pro negotiis, quæ explicantur. Non nascatur liber pro epistola, qui nihil habeat præter initium epistolicum, videlicet salutationem, ut χαίρειν ἢ εὖ πράττειν.

XIII. Cæterum & sua est compositio epistolę, non periodica, sed liberior atq; solutior. Ambitus sunt causarum: hîc foret

foret ridicula eorum ostentatio. Aliena enim est à moribus amicorum.

XIV. Non quod excludantur è literis omnes periodi, sed ne crebræ sint, & quæ sint, ne productiores. Sunt autem breviores unimembres & bimembres. Neque hæ pro periodis à quivis agnoscantur, ut quem in vili amictu videas, non agnoscas pro Patritio.

XV. Reliquum est περὶ ὕλης. Non enim omnes res propriè conveniunt epistolę, nisi quis contendat, cuique licere, in qua re ipsæ versantur, de ea epistolas scribere non minus, quàm aliud ingenii monumentum condere. Hinc inscripserunt aliqui, poterunt item alii, ἐπιστολὰς θεολογικὰς, νομικὰς, ἰατρικὰς, φιλοσοφικὰς, κριτικὰς, ne plura dicam genera.

XVI. Verum audiamus Aristotelem, qui cum abdita naturæ eruerit, & ad agnoscendum non stupidis, nec inertibus ingeniis proposuerit; hoc quod in sensus penè ipsos incurrit, non viderit? Vidit autem, & protulit, cum in quadam epistola scripsit: τοῦτο δὲ οὐ γράφω σοι. οὐ γὰρ ἦν ἐπιστολικόν: id est; hoc ad te non

scribo

ſcribo: neque enim conveniret epiſtolæ. Magnam jacturam fecit ἐπιστολικὴ τέχνη amiſſione epiſtolarum hujus Philoſophi, quarum guſtum habere licet ex pauculis, quæ in manibus ſunt, longè politiſſimæ, & plenæ ſucci ſapientiæ. Quas adhuc Simplicium legiſſe apparet. Mentionem enim earum facit ἐν προλεγομένοις εἰς τὰς κατηγορίας. Affirmat autem, in arte ſcribendarum epiſtolarum Ariſtotelem cæteros omnes poſt ſe reliquiſſe.

XVII. Facit quoque idem locus ad ea, quæ diximus, quæque dicemus de perſpicuitate, ut neceſſaria ad hoc genus ſcriptionis. Nec non probat comparationem, cum conditione tamen, ſermonum & epiſtolarum: Τὸ δὲ δύνασθαι, inquit, σαφῶς εἰπεῖν, δηλοῖ μάλιστα ὁ τῶν ἐπιστολῶν αὐτοῦ (τοῦ Ἀριστοτέλους δηλονότι) χαρακτὴρ, τὸν ἀνὰ χεῖρας διάλογον, ὃς ἐπιστολαῖς προσήκει, μετ' εὐπρεπείας ἀποτυπούμενος; καὶ οὐδέ ἐστί τις τῶν συνεγνωσμένων Ἀριστοτέλει περὶ τὸν ἐπιστολικὸν χαρακτῆρα προσόμοιος.

XVIII. Non ſunt igitur reverà epiſtolæ, quibus σοφίσματα καὶ φυσιολογίαι explicantur, tum quia carent benevolentiæ notis,

notis, quas lucere in omnibus litterarum partibus convenit, tum quia non sunt expositio simplicis negotii, simplici orationis genere facta. Hæc enim sunt uniuscujusque epistolæ propria.

XIX. In primis ornant epistolam φιλοφρονήσεις, id est amicorum inter se suaves compellationes atq; blanditiæ. Item crebra proverbia, quæ sunt condimenta non nimis exquisita, uti diximus.

XX. Non convenit γνωμολογεῖν, sive verba fundere sapientia. Nec sententias dicit orator, nisi ubi locus adm. postulet.

XXI. Deniq; hoc nec omnium est, nec cujusq; temporis, neq; de quacunque re, ἁρμόττει δὲ, inquit Philosophus. γνωμολογεῖν ἡλικίᾳ μὲν πρεσβύτερον, περὶ δὲ τούτων, ὧν ἔμπειρός τις ἐστιν. Senibus convenit sententias dicere, quorum est auctoritas, quod habentur prudentes, quoniam usu rerum præditi; de iis autem tantum rebus, in quibus longo vitæ tempore fuerint versati: de re rustica rusticus, de negotio civili civis, de republica senator, de militia Dux aut veteranus:

XXII. Adolescentiorem haudquaquam decet. Itaque idem recte

& disertè admodum, ὡς τὸ μὲν μὴ τηλικοῦτον ὄντα γνωμολογεῖν, ἀπρεπὲς, ὥσπερ καὶ τὸ μυθολογεῖν. τὸ δὲ, περὶ ὧν ἄπειρός ἐστι, ἠλίθιον καὶ ἀπαίδευτον. σημεῖον δ' ἱκανόν. οἱ γὰρ ἀγροῖκοι, μάλιστα γνωμοτύποι εἰσι, καὶ ῥαδίως ἀποφαίνονται. Qui minor ætate sententias dicat, indecorè faciat, ut & idem, si fabulas inveniat, aut in oratione usurpet. Qui verò de negocio, quod non habet longo multoque usu exploratissimum, pronunciat, prodit stultitiam suam & rude ingenium. Agrestes enim homines maximè solent sententias dicere, & suum de unaquaque re judicium temerè & confestim aperire.

XXIII. Cum autem sententiis refercire literas non oporteat; videntur neq; cohortationes esse epistolarum, quæ tamen sæpè comprehenduntur literis. Scilicet meræ esse γνῶμαι & προτροπαὶ non debent: hę verò rarę ad æquales, rarissimæ ad superiores, vel nullæ potius, nisi alia res eos quodammodo æquet, ut si sapiens ad potentem scribat.

XXIV. Quod si quis quid in epistola probare velit; oportet esse probationes non nimis subtiles aut sublimes, sed epistolicas;

ſtolicas; cujusmodi uſus fuit Ariſtoteles, ut doceret, puſilla oppida non minus eſſe beneficiis afficienda, quàm amplas urbes. οἱ γὰρ θεοὶ, inquit, ἐν ἀμφοτέροις ἴσοι. ὥστε ἐπεὶ αἱ χάριτες θεαὶ, ἴσαι ἀποκείσονταί σοι παρ' ἀμφοτέραις.

XXV. Ex iis, quæ diximus, intelligitur, potiſſimū Tenui charactere ſcribendas, nec oportere eſſe incomptas ſupina ſcribentis negligentia. Itaque non omnem elegantiam ad epiſtolas conquiremus, ſed nonnihil tamen. Quid enim amicum ſive φιλικὸν absque venuſtate?

XXVI. Ex Magnifico huc nihil adferemus, niſi ſit ad Reges ſcribendum, aut ad Reſpublicas. Tum enim elatiores eſſe debent, quod ratio ſit habenda ejus perſonæ, ad quam ſcribimus. Tamen ut meminerimus, nos epiſtolam ſcribere non opus condere.

XXVII. Ex Gravi fortè nihil ad hanc artem faciat, niſi rariſſimè. Acria enim quid ad epiſtolas, quas docuimus conſtare magna ex parte benevolentia?

XXVIII. Sed dicat quis, expoſtulationes etiam conſignari epiſtolis? Non debent tamen illæ humanitates leges mi-

grare: carere convicio omni & omnibꝰ contumeliis debent. Qui ſecus faciat, non egeat legibus politæ artis epiſtolicæ, ſed barbarè vivat & ſentiat & ſcribat, ubi, quemadmodum apud Ætnæos fratres, ἀκούει οὐδὲν οὐδεὶς οὐδενός.

XXIX. Igitur in hoc charactere multum erit elegantis notæ, vel quia amabilia pleraque, tenuis plurimum. Quare non alieno loco inculcamus hæc præcepta de ſcribendis epiſtolis: nec alienum exiſtimo, ſi quæ de eadem re viſa fuerunt ſummo Theologo, viro doctiſſimo, *Gregorio Nazianzeno*, ſubjiciam.

XXX. Comprehendit autem omnem ſuam ſententiam quadam ad *Nicobulum epiſtola*, quam nos omnium primi edidimus, jam ante annos ſedecim; poſtea quoq; vidimus editam in Italia ab Aldo Manutio, Paulli filio. Mecum verò pluribus adhuc annis antè vir Græcè doctiſſimus & præclarè de Græca lingua meritus, Arnoldus Arlenius Belga communicaverat. Floruerat juvenis Bononiæ, doctiſſimis hominibus familiaris & carus. Præter enim quàm, quod Græcorum aliquot ſcriptorum publicationem

nem

nem fideliter procurarat, in quibus & Josephus est, ediderat quædam ingenii monumenta non inerudita. Fatum etiam vobis Arsenii narrabo. Ille Bononia iter facturus, si rectè memini, Romam, postridie in via, in tramitib9 Apennini, ex equo delapsus, crus fregit, & ægrè Florentiam delatus, eo in loco consedit, ubi & plures annos vixit: tandem ingravescente ætate Taurini bonas literas docuit. Incredibile olim studium posuerat in emendatione veterum scriptorum, quos ego permultos apud ipsum vidi, collatos summa diligentia cum manu scriptis libris. De illis ipsius laboribus ex eo tempore nihil cognovi. Mihi donabat quandam Libanii orationem pro bonis litteris, & de qua memini, Nazianzeni epistolam, non indignam, quam hic quoque consideremus, quod ex ea fortassis aliquid lucis etiam superioribus accesserit.

XXXI. Sive autem eam velit Arsenio, sive Manutio debere Lector; hæc ipsa est:

ΓΡΗΓΟΡΙΟΣ ΝΙΚΟΒΟΥΛΩΙ.

Τῶν γραφόντων ἐπιστολὰς, ἐπειδὴ καὶ τοῦτο αἰτεῖς, οἱ μὲν, μακρότερα γράφουσιν, ἤπερ εἰκὸς· οἱ δὲ, καὶ λίαν ἐνδεέστερα, καὶ ἀμφότεροι τοῦ μέτρου διαμαρτάνουσιν, ὥσπερ τῶν σκοπῶν οἱ τοξεύοντες, ἄν τε εἴσω πέμπωσιν, ἄν τε ὑπερπέμπωσι. τὸ γὰρ ἀποτυγχάνειν ἴσον, κἂν ἀπὸ τῶν ἐναντίων γίνηται. ἔστι δὲ μέτρον ἐπιστολῶν ἡ χρεία· καὶ οὔτε μακρότερα γραπτέον, οὗ μὴ πολλὰ τὰ πράγματα· οὔτε μικρολογητέον, ἔνθα πολλά. τί γὰρ ἢ τῇ περσικῇ σχοίνῳ μετρεῖσθαι δεῖ τὴν σοφίαν ἢ παιδικοῖς πήχεσι καὶ οὕτως ἀτελῆ γράφειν, ὡς μηδὲ γράφειν· ἀλλὰ μιμεῖσθαι τῶν σκιῶν τὰς μεσημβρινὰς, ἢ τῶν κέντρων τὰς κατὰ πρόσωπον ἀπαντώσας, ὧν συνιζάνει τὰ μήκη, καὶ παραφαίνεται μᾶλλον, ἢ φαίνεται τῶν ἄκρων τισὶ γνωριζόμενα· καὶ ἔστιν ὡς ἂν εἴποιμι καιρίως, εἰκασμάτων εἰκάσματα, δέον ἀμφοτέρων φεύγοντα τὴν ἀμετρίαν, τοῦ μέτρου κατατυγχάνειν. περὶ μὲν τῆς συντομίας, ταῦτα γινώσκω. Περὶ δὲ σαφηνείας, ἐκεῖνο γνώριμον, ὅτι χρὴ φεύγοντα τὸ λογοειδὲς ὅσον ἐνδέχεται, μᾶλλον εἰς τὸ λαλικὸν ἀποκλίνειν, καὶ, ἵν᾽ εἴπω συντόμως, αὕτη τῶν ἐπιστολῶν ἀρίστη, καὶ κάλλιστα ἔχουσα, ἣ ἂν καὶ τὸν ἰδιώτην πείθῃ, καὶ τὸν πεπαιδευμένον· τὸν μὲν, ὡς κατὰ τοὺς πολλοὺς οὖσα, τὸν δὲ, ὑπὲρ τοὺς πολλοὺς, καὶ ἡ αὐτόθεν γνώ-

ριμος

ελμος. ὁμοίως γὰρ ἄκαιρον, καὶ γελοῖον νοεῖσθαι καὶ ἐπιστολὴν ἑρμηνεύεσθαι.

Τρίτον ἐστὶ τῶν ἐπιστολῶν ἡ χάρις· ταύτην δὲ φυλάξομεν, εἰ μήτε παντάπασιν ξηρὰ, καὶ ἄχαρι γράφοιμεν, καὶ ἀκαλλώπιστα, ἀκόσμητά τε, καὶ ἀκόρητα, ὃ δὴ λέγεται, οἷον δὴ γνωμῶν, καὶ παροιμιῶν, καὶ ἀποφθεγμάτων ἐκτὸς, ἔτι δὲ σκωμμάτων, καὶ αἰνιγμάτων, οἷς ὁ λόγος καταγλυκαίνεται, μήτε λίαν τούτοις φαινοίμεθα καταχρώμενοι. τὸ μὲν γὰρ ἄγροικον, τὸ δὲ ἄπληστον. καὶ τοσαῦτα τούτοις χρηστέον, ὅσα καὶ ταῖς πορφύραις ἐν τοῖς ὑφάσμασι. τροπὰς δὲ παραδεξόμεθα μὲν, ὀλίγας δὲ, καὶ ταύτας οὐκ ἀναισχύντους. ἀντίθετα δὲ, καὶ πάρισα, καὶ ἰσόκωλα, τοῖς σοφισταῖς ἀπορρίψωμεν. εἰ δέ που καὶ παραλάβοιμεν, ὡς καταπαίζοντες μᾶλλον τοῦτο ποιήσωμεν, ἢ σπουδάζοντες. πέρας τοῦ λόγου, ὅπερ τῶν κομψῶν τινος ἤκουσα περὶ τοῦ ἀετοῦ λέγοντος, ἡνίκα ἐκρίνοντο περὶ βασιλείας οἱ ὄρνιθες, καὶ ἄλλοι ἄλλως ἧκον ἑαυτοὺς κοσμήσαντες. ὅτι ἐκείνου κάλλιστον ἦν, τὸ μὴ οἴεσθαι καλὸν εἶναι. τοῦτο κἀν ταῖς ἐπιστολαῖς μάλιστα τηρητέον, τὸ ἀκαλλώπιστον, καὶ ὅτι ἐγγυτάτω τοῦ κατὰ φύσιν. τοσαῦτά σοι περὶ ἐπιστολῶν, ὡς δι' ἐπιστολῆς παρ' ἡμῶν, καὶ ταῦτα ἴσως οὐ πρὸς ἡμῶν, οἷς τὰ μείζω σπουδάζεται· τὰ ἄλλα δὲ αὐτός τε φιλοπονήσεις εὐμαθὴς ὢν, καὶ οἱ περὶ ταῦτα κομψοὶ διδάξουσιν.

Ετυ-

XXXI. Eruditissimæ hujus epistolæ sententiam & ipse conatus sum Latine reddere, quod fortè non prorsus assecutus fuero, vel de meo judicio. Neque enim diffiteor, esse in quo hæream.

QUi epistolas scribunt, quoniam & hoc petis, eorum alii pluribus verbis scribunt, quàm conveniat, alii verò etiam ita paucis, ut aliqua desiderentur. Atque utrique à modo aberrant, quemadmodum à scopo sagittarii, sive hi inferius, sive altius feriant. Æqualis enim utraque aberratio, etiamsi à contrariis fiat. Est autem epistolarum modus, ipsemet usus. Neque igitur pluribus verbis scribantur, ubi non multæ sunt res, neq; pauculis, ubi multæ. An enim metiri sapientiam decet, aut schœno Persica, aut puerili cubito, & adeò imperfecta scribere, ut ne scribere quidem videaris? sed imitari umbras meridianas, aut centrorum in oculos incurrentes, quarum longitudines considunt, & magis visum nostrum fallunt, quàm * extremo aliquo cognita appareant, suntque, ut commo-

dè

dè loquar, imagines imaginum, cum quod utrinque immodicum est, fugere, & observare modum oporteat. De brevitate ita sentio. De perspicuitate, nemo est, qui nesciat, similitudinem orationum fugiendam esse, quantum fieri potest, & magis inclinandum ad sermonem familiarem. Atque ut uno verbo dicam, hæc epistolarum optima est, quæ & cuique è vulgo & erudito persuadeat, quod vult: illi, ut ad captum populi, huic, ut supra captum populi facta, statimque intelligatur per se. Æquè enim intempestivum foret, griphum intelligi, & ad litteras interprete opus esse. Tertium, quod in epistolis requiritur, est venustas: eam assequemur, si neque prorsus arida & invenusta scribamus, & incompta, & inornata, & immunda, ut dicitur, exceptis sententiis & proverbiis, & apophthegmatis, præterea dicteriis & ænigmatis, quibus conditur oratio; neque nimium illis abuti videamur. Illud enim est rusticum, hoc satietatem parit. Et tantum illis uti oportet.

quantum purpuris intextilibus. Figuras autem adsciscemus paucas, easque non impudentes. Opposita verò, & æqualia æqualibus relata, & æqualia membra sophistis relinquamus. Quod si alicubi accipiemus, hoc tanquam ludibundi faciamus, non rem seriam agentes. Extremum orationis hoc sit, quod ex eleganti viro de aquila narrare audivi, cum aves de regno contenderent, & ornavissent sese aliæ aliter, in illa hoc fuisse pulcherrimum, quod se pulchram non opinaretur. Hoc etiam in epistolis maximè observandum est, ut nihil ibi sit fuco illitum, omniaque quàm proximè ad naturam accedant. Hæc tibi de epistolis, veluti per epistolam à nobis habe: ac forsan hæc ad nos minus pertinent, qui gravioribus studiis occupamur. Cætera verò tum ipse labore tuo erues, cujus docilitas mihi perspecta est, tum qui in iis præstant, te docebunt.

XXXIII. Annotabimus & ad hanc epistolam aliqua, cujus argumentum, si ea sequamur, quæ tradidimus, minus convenit epistolæ: hæc enim doctrina opusculum desiderabat. Quod vidit &

& Nazianzenus. Quare se quoque purgat non solùm de paucitate præceptorum hujus artis, sed hoc quoque nomine, ut opinor, ταῦτα περὶ ἐπιστολῶν, inquiens, ὡς δι' ἐπιστολῆς. Quibus verbis videtur dicere, omnem hanc rem neque epistolæ esse, neque brevi epistola omnem posse explicari.

XXXIV. Erudit autem studiosum elegantiæ scribendi litteras de tribus potissimum, *de magnitudine epistolæ, de perspicuitate, de gratia.* Nec quidquam obscuri est in hisce tribus præceptis, aut diversum ab iis, quæ supra exposuimus: aliquæ fortè partes declarationem postulent: videtur certè postulare una earum, si modo quid lucis adferre possimus.

XXXV. *Primum est de brevitate*, quæ videtur aliquibus placuisse, cujus loco probat justam epistolę magnitudinem. Non enim de magno pluribusve negociis ita breviter scribendum erit, ut qui legat, non intelligat, quid velimus: neque de re parva & plana longam orationem instituemus. Hoc enim ostentatoris foret, aut garruli. Qui alterutrum sequantur;

tur; faciunt quod τοξόται minus exercitati, qui cum habeant ſibi certum σκοπὸν propoſitum, ſagittam ſupra infràve eum mittunt, & ex contrariis æquè aberrant.

XXXVI. Magna eſt vis medii in moribus, in actionibus, in artibus; nec minor in omni oratione. Magna igitur etiam in ſcriptione epiſtolarum. Res autem ipſa, de qua agemus, eſt ſcribentis quaſi ſcopus, & medii index, & menſura longitudinis. Hoc eſt, quod Phalereus: τὸ δὲ μέγεθος συνεστάλθω τῆς ἐπιστολῆς. Magno negotio longiorem epiſtolam, parvo breviorem deſtinabimus.

XXXVII. Metiri oportet quamq; rem ſua menſura, quod illuſtratur ſimilitudine. Sapientiam enim metiemur, neque ſchœno Perſica, neque cubito pueri. πῆχυς eſt è menſuris minoribus, è maximis σχοῖνος. De cubito cuilibet notum: ſchœnos multa ſtadia, imò duos paraſangas continet. Sunt autem ambæ dictiones Perſicæ, docente Athenæo δειπνοσοφ. libr. III. παρὰ τοῖς ἀρχαίοις ποιηταῖς καὶ συγγραφεῦσι τοῖς σφόδρα ἑλληνίζουσιν, ἐστὶν εὑρεῖν καὶ Περσικὰ ὀνόματα κείμενα, διὰ τὴν τῆς χρήσεως συνήθειαν, ὡς τοὺς παρασάγγας καὶ τὴν

σχοῖνον

σχοῖνον ἢ τὸν σχοῖνον. μέτρον δ' ἐςὶ τοῦτο ὁδοῦ, μέχρι νῦν οὕτω καλούμενον. Quæ mensura tamen sit, non indicat; sed docet Herodotus Εὐτέρπῃ. δύναται δὲ, inquit, ὁ μὲν παρασάγγης τριήκοντα ςάδια, ὁ δὲ σχοῖνος μέτρον ἐὸν Αἰγύπτιον, ἑξήκοντα ςάδια. Schœnus igitur IIX M. passuum, vel paullò minus duobus miliaribus Germanicis. Μετρεῖν δὲ τὴν σοφίαν σχοίνῳ antè scripserat Callimachus, ut Plutarchus testatur ἐν τῷ περὶ φυγῆς, qui neque schœnis, neque parasangis metiendam addit beatitudinem, id est, neque latifundiis, neque regionibus aut regnis, quorum domini sæpè longissimè absunt à beata vita, vel sunt etiam mortalium miserrimi.

XXXVIII. Hæc si ad locum epistolæ minus faciunt, at sunt non inerudita. Sic autem Plutarchus. ὅπου γὰρ οὐ φαύλως δοκεῖ λέγειν ὁ Καλλίμαχος, τὸ μὴ σχοίνῳ περσίδι τὴν σοφίαν· ἤ πού τὴν εὐδαιμονίαν σχοίνοις καὶ παρασάγγαις μετροῦντες, ἐὰν νῆσον οἰκῶμεν διακοσίων ςαδίων, ἀλλὰ μὴ τεσσάρων ἡμερῶν ὥσπερ ἡ Σικελία περίπλουν ἔχουσαν, ὀδυρᾶν ἑαυτοὺς καὶ θρηνεῖν ὀφείλομεν ὡς κακο-

δαιμονοῦντες, τί γὰρ ἡ πλατεῖα χώρα πρὸς τὸν ἄλυπον βίον; οὐκ ἀκούεις τοῦ Ταντάλου λέγοντος ἐν τῇ τραγῳδίᾳ;

σπείρω δ' ἄρουραν δώδεκα ἡμερῶν ὁδὸν
Βερέκυνθα χῶρον, εἶτα μετ' ὀλίγον λέγοντος.
θυμὸς δέ πού ἀμὸς οὐρανῷ κυρῶν ἄνω,
ἔραζε πίπτει, καί με προσφωνεῖ τάδε.
γίνωσκε τἀνθρώπεια μὴ σέβειν ἄγαν.

XXXIX. Aurea omnia, & ad auri potentiæque ſitim reſtinguendam à ſapientibus divinitus inventa. Sed hæc de Schœno & cubitis comparatio plus fortè huic rei non congruit, quàm ut intelligamus, quamque rem ſua menſura metiendam.

XL. Sed difficilior nodus eſt in ſimilitudine de umbris, quem alii quoque relinquunt, & ego ne ope quidem amicorum, qui doctrinam περὶ σκιῶν ad unguem tenent, ſolvero.

XLI. Cum ſententia convenit, non oportere breviora ſcribere, quàm res ſit, quod qui faciat, imitetur umbras meridianas, quę ipſæ cum toto anno, tum maximè ſolſtitio, ſunt breviores iis rebus, quarum ſunt umbræ, quod maximè ibi verum eſt, ubi illa ſcripta ſunt: aut imi-

tetur

tur umbras gnomonum ad parietem ad oculos nostros versas, quod hæ similiter nos fallant.

XLII. Sed plura quęret eruditus lector, ut & ipse quæro: fortè & nobis aliquando τὸ ζητούμενον ἁλωτὸν, secundum Sophoclem. Sunt autem minimæ umbrarum, sive curtissimę solstitio, maximè quibus erit sol κατὰ κορυφὴν, εἰκάσματα εἰκασμάτων; eodemque modo pusillæ litteræ de rebus maximis.

XLIII. *Alterum caput est de perspicuitate.* De hac nihil prætermissum fuit ante. Etenim de nota Tenui dicta, intelligantur & de nota epistolica. Quod jubemur ἀποκλίνειν πρὸς τὸ λαλικὸν, idem est, quod de affinitate epistolæ & dialogi dictum fuit: & hæc prorsus conveniunt, paullò graviores debere esse litteras, quam sermo vel in scripto dialogo, vel inter eos, qui confabulentur.

XLIV. Ne sint igitur etiam comicæ, atque hoc minus, quò plus in comœdiis & plebejæ locutionis, & vilium nugarum, & scurrilitatis.

XLV. Non pertinet autem etiam ad nudam dictionem, quod ait optimam esse

ΓΡΗΓΟΡΙΟΣ ΝΙΚΟΒΟΥΛΩΙ.

Τῶν γραφόντων ἐπιστολάς, ἐπειδὴ καὶ τοῦτο αἰτεῖς, οἱ μὲν μακρότερα γράφουσιν, ἤπερ εἰκός· οἱ δὲ, καὶ λίαν ἐνδεέστερα, καὶ ἀμφότεροι τοῦ μέτρου διαμαρτάνουσιν, ὥσπερ τῶν σκοπῶν οἱ τοξεύοντες, αὖτε εἴσω πέμπασιν, αὖτε ὑπερπέμπωσι. τὸ γὰρ ἀποτυγχάνειν ἴσον, κἂν ἀπὸ τῶν ἐναντίων γίνηται. ἔστι δὲ μέτρον ἐπιστολῶν ἡ χρεία· καὶ οὔτε μακρότερα γραπτέον, οὗ μὴ πολλὰ τὰ πράγματα· οὔτε μικρολογητέον, ἔνθα πολλά. τί γὰρ δή; τῇ περσικῇ σχοίνῳ μετρεῖσθαι δεῖ τὴν σοφίαν, ἢ παιδικοῖς πήχεσι, καὶ οὕτως ἀτελῆ γράφειν, ὡς μηδὲ γράφειν; ἀλλὰ μιμεῖσθαι τῶν σκιῶν τὰς μεσημβρινὰς, ἢ τῶν κέντρων τὰς κατὰ πρόσωπον ἀπαντώσας, ὧν συνιζάνει τὰ μήκη, καὶ παρὰ φαίνεται μᾶλλον, ἢ φαίνεται τῶν ἄκρων τινὶ γνωριζόμενα; καὶ ἔστιν ὡς ἂν εἴποιμι κυρίως, εἰκασμάτων εἰκάσματα, δέον ἀμφοτέρων φεύγοντα τὴν ἀμετρίαν, τοῦ μέτρου κατατυγχάνειν. περὶ μὲν τῆς συντομίας, ταῦτα γινώσκω. Περὶ δὲ σαφηνείας, ἐκεῖνο γνώριμον, ὅτι χρὴ φεύγοντα τὸ λογοειδὲς ὅσον ἐνδέχεται, μᾶλλον εἰς τὸ λαλικὸν ἀποκλίνειν, καὶ, ἵν' εἴπω συντόμως, αὕτη τῶν ἐπιστολῶν ἀρίστη, καὶ κάλλιστα ἔχουσα, ἣ ἂν καὶ τὸν ἰδιώτην πείθῃ, καὶ τὸν πεπαιδευμένον· τὸν μὲν, ὡς κατὰ τοὺς πολλοὺς οὖσα, τὸν δὲ, ὑπὲρ τοὺς πολλοὺς, καὶ ἡ αὐτόθεν γνώ-

ριμος

ελμος. ὁμοίως γὰρ ἄκαιρον, καὶ γελοῖον νοεῖσθαι καὶ ἐπιστολὴν ἑρμηνεύεσθαι.

Τρίτον ἐστὶ τῶν ἐπιστολῶν ἡ χάρις; ταύτην δὲ φυλάξομεν, εἰ μήτε παντάπασιν ξηρὰ, καὶ ἄχαρι γράφοιμεν, καὶ ἀκαλλώπιστα, ἀκόσμητά τε, καὶ ἀκόρητα, ὃ δὴ λέγεται, οἷον δὴ γνωμῶν, καὶ παροιμιῶν, καὶ ἀποφθεγμάτων ἐκτὸς, ἔτι δὲ σκωμμάτων, καὶ αἰνιγμάτων, οἷς ὁ λόγος καταγλυκαίνεται, μήτε λίαν τούτοις φαινοίμεθα καταχρώμενοι. τὸ μὲν γὰρ ἄγροικον, τὸ δὲ ἄπληστον. καὶ τοσαῦτα τούτοις χρηστέον, ὅσα καὶ ταῖς πορφύραις ἐν τοῖς ὑφάσμασι. τροπὰς δὲ παραδεξόμεθα μὲν, ὀλίγας δὲ, καὶ ταύτας οὐκ ἀναισχύντους. ἀντίθετα δὲ, καὶ πάρισα, καὶ ἰσόκωλα, τοῖς σοφισταῖς ἀπορρίψωμεν. εἰ δέ που καὶ παραλάβοιμεν, ὡς καταπαίζοντες μᾶλλον τοῦτο ποιήσωμεν, ἢ σπουδάζοντες. πέρας τοῦ λόγου, ὥσπερ τοῦ κομψῶν τινος ἤκουσα περὶ τοῦ ἀετοῦ λεγομένου, ἡνίκα ἐκρίνοντο περὶ βασιλείας οἱ ὄρνιθες, καὶ ἄλλοι ἄλλως ἧκον ἑαυτοὺς κοσμήσαντες, ὅτι ἐκείνου κάλλιστον ἦν, τὸ μὴ οἴεσθαι καλὸν εἶναι. τοῦτο κἂν ταῖς ἐπιστολαῖς μάλιστα τηρητέον, τὸ ἀκαλλώπιστον, καὶ ὅτι ἐγγύτατα τοῦ κατὰ φύσιν. τοσαῦτά μοι περὶ ἐπιστολῶν, ὡς δι' ἐπιστολῆς παρ' ἡμῶν, καὶ ταῦτα ἴσως οὐ πρὸς ἡμῶν, οἷς τὰ μείζω σπουδάζεται; τ' ἄλλα δὲ αὐτός τε φιλοπονήσεις εὐμαθὴς ὢν, καὶ οἱ περὶ ταῦτα κομψοὶ διδάξουσιν.

Ερμ-

XXXI. Eruditissimæ hujus epistolæ sententiam & ipse conatus sum Latinè reddere, quod fortè non prorsus assecutus fuero, vel de meo judicio. Neque enim diffiteor, esse in quo hæream.

QUi epistolas scribunt, quoniam & hoc petis, eorum alii pluribus verbis scribunt, quàm conveniat, alii verò etiam ita paucis, ut aliqua desiderentur. Atque utrique à modo aberrant, quemadmodum à scopo sagittarii, sive hi inferius, sive altius feriant. Æqualis enim utraque aberratio, etiamsi à contrariis fiat. Est autem epistolarum modus, ipsemet usus. Neque igitur pluribus verbis scribantur, ubi non multæ sunt res, neq; paucûlis, ubi multæ. An enim metiri sapientiam decet, aut schœno Persica, aut puerili cubito, & adeò imperfecta scribere, ut ne scribere quidem videaris? sed imitari umbras meridianas, aut centrorum in oculos incurrentes, quarum longitudines considunt, & magis visum nostrum fallunt, quàm * extremo aliquo cognita appareant, suntque, ut commo-

dè

dè loquar, imagines imaginum, cum quod utrinque immodicum est, fugere, & observare modum oporteat. De brevitate ita sentio. De perspicuitate, nemo est, qui nesciat, similitudinem orationum fugiendam esse, quantum fieri potest, & magis inclinandum ad sermonem familiarem. Atque ut uno verbo dicam; hæc epistolarum optima est, quæ & cuique è vulgo & erudito persuadeat, quod vult: illi, ut ad captum populi, huic, ut supra captum populi facta, statimque intelligatur per se. Æquè enim intempestivum foret, griphum intelligi, & ad litteras interprete opus esse. Tertium, quod in epistolis requiritur, est venustas: eam assequemur, si neque prorsus arida & invenusta scribamus, & incompta, & inornata, & immunda, ut dicitur, exceptis sententiis & proverbiis, & apophthegmatis, præterea dicteriis & ænigmatis, quibus conditur oratio; neque nimium illis abuti videamur. Illud enim est rusticum, hoc satietatem parit. Et tantum illis uti oportet,

 quan-

quantum purpuris intextilibus. Figuras autem adsciscemus paucas, easque non impudentes. Opposita verò, & æqualia æqualibus relata, & æqualia membra sophistis relinquamus. Quod si alicubi accipiemus, hoc tanquam ludibundi faciamus, non rem seriam agentes. Extremum orationis hoc sit, quod ex eleganti viro de aquila narrare audivi, cum aves de regno contenderent, & ornavissent sese aliæ aliter, in illa hoc fuisse pulcherrimum, quod se pulchram non opinaretur. Hoc etiam in epistolis maximè observandum est, ut nihil ibi sit fuco illitum, omniaque quàm proximè ad naturam accedant. Hæc tibi de epistolis, veluti per epistolam à nobis habe: ac forsan hæc ad nos minus pertinent, qui gravioribus studiis occupamur. Cætera verò tum ipse labore tuo erues, cujus docilitas mihi perspecta est, tum qui in iis præstant, te docebunt.

XXXIII. Annotabimus & ad hanc epistolam aliqua, cujus argumentum, si ea sequamur, quæ tradidimus, minus convenit epistolæ: hæc enim doctrina opusculum desiderabat. Quod vidit

&

& Nazianzenus. Quare se quoque purgat non solùm de paucitate præceptorum hujus artis, sed hoc quoque nomine, ut opinor, ταῦτα πλεῖ ἐπιστολῶν, inquiens, ὡς δι' ἐπιστολῆς. Quibus verbis videtur dicere, omnem hanc rem neque epistolæ esse, neque brevi epistola omnem posse explicari.

XXXIV. Erudit autem studiosum elegantiæ scribendi litteras de tribus potissimum, *de magnitudine epistolæ, de perspicuitate, de gratia.* Nec quidquam obscuri est in hisce tribus præceptis, aut diversum ab iis, quæ supra exposuimus: aliquæ fortè partes declarationem postulent: videtur certè postulare una earum, si modo quid lucis adferre possimus.

XXXV. *Primum est de brevitate*, quæ videtur aliquibus placuisse, cujus loco probat justam epistolę magnitudinem. Non enim de magno pluribusve negociis ita breviter scribendum erit, ut qui legat, non intelligat, quid velimus: neque de re parva & plana longam orationem instituemus. Hoc enim ostentatoris foret, aut garruli. Qui alterutrum sequantur;

tur; faciunt quod τοξόται minus exercitati, qui cum habeant sibi certum σκοπὸν propositum, sagittam supra infràve eum mittunt, & ex contrariis æquè aberrant.

XXXVI. Magna est vis medii in moribus, in actionibus, in artibus; nec minor in omni oratione. Magna igitur etiam in scriptione epistolarum. Res autem ipsa, de qua agemus, est scribentis quasi scopus, & medii index, & mensura longitudinis. Hoc est, quod Phalereus: τὸ δὲ μέγεθος συνεστάλθω τῆς ἐπιστολῆς. Magno negotio longiorem epistolam, parvo breviorem destinabimus.

XXXVII. Metiri oportet quamque rem sua mensura, quod illustratur similitudine. Sapientiam enim metiemur, neque schœno Persica, neque cubito pueri. πῆχυς est è mensuris minoribus, è maximis σχοῖνος. De cubito cuilibet notum: schœnos multa stadia, imò duos parasangas continet. Sunt autem ambæ dictiones Persicæ, docente Athenæo δειπνοσοφ. libr. III. παρὰ τοῖς ἀρχαίοις ποιηταῖς καὶ συγγραφεῦσι τοῖς σφόδρα ἑλληνίζουσιν, ἐστὶν εὑρεῖν καὶ Περσικὰ ὀνόματα κείμενα, διὰ τὴν τῆς χρήσεως συνήθειαν, ὡς τοὺς παρασάγγας καὶ τὴν σχοῖνον

σχοῖνον ἢ τὸν σχοῖνον. μέτρον δ᾽ ἐστὶ τοῦτο ὁδοῦ, μέχρι νῦν οὕτω καλούμενον. Quæ mensura tamen sit, non indicat; sed docet Herodotus Εὐτέρπῃ. δύναται δὲ, inquit, ὁ μὲν παρασάγγης τριήκοντα στάδια. ὁ δὲ σχοῖνος μέτρον ἐὸν Αἰγύπτιον, ἑξήκοντα στάδια. Schœnus igitur IIX M. passuum, vel paullò minus duobus miliaribus Germanicis. Μετρεῖν δὲ τὴν σοφίαν σχοίνῳ antè scripserat Callimachus, ut Plutarchus testatur ἐν τῷ περὶ φυγῆς, qui neque schœnis, neque parasangis metiendam addit beatitudinem, id est, neque latifundiis, neque regionibus aut regnis, quorum domini sæpè longissimè absunt à beata vita, vel sunt etiam mortalium miserrimi.

XXXVIII. Hæc si ad locum epistolæ minus faciunt, at sunt non inerudita. Sic autem Plutarchus. ὅπου γὰρ οὐ φαύλως δοκεῖ λέγειν ὁ Καλλίμαχος, τὸ μὴ σχοίνῳ περσίδι τὴν σοφίην· ἤ που τὴν εὐδαιμονίαν σχοίνοις καὶ παρασάγγαις μετροῦντες, ἐὰν νῆσον οἰκῶμεν διακοσίων σταδίων, ἀλλὰ μὴ τεσσάρων, ἡμερῶν ὥσπερ ἡ Σικελία περίπλουν ἐχούσαν, ὀδυρᾶν ἑαυτοὺς καὶ θρηνεῖν ὀφείλομεν ὡς κακο-

δαι-

tur umbras gnomonum ad parietem ad oculos nostros versas, quod hæ similiter nos fallant.

XLII. Sed plura quæret eruditus lector, ut & ipse quæro: fortè & nobis aliquando τὸ ζητούμενον ἁλωτὸν, secundum Sophoclem. Sunt autem minimæ umbrarum, sive curtissimę solstitio, maximè quibus erit sol κατὰ κορυφὴν, εἰκάσματα εἰκασμάτων; eodemque modo pusillæ litteræ de rebus maximis.

XLIII. *Alterum caput est de perspicuitate.* De hac nihil prætermissum fuit ante. Etenim de nota Tenui dicta, intelligantur & de nota epistolica. Quod jubemur ἀποκλίνειν πρὸς τὸ λαλικὸν, idem est, quod de affinitate epistolæ & dialogi dictum fuit: & hæc prorsus conveniunt, paullò graviores debere esse litteras, quam sermo vel in scripto dialogo, vel inter eos, qui confabulentur.

XLIV. Ne sint igitur etiam comicæ, atque hoc minus, quò plus in comœdiis & plebejæ locutionis, & vilium nugarum, & scurrilitatis.

XLV. Non pertinet autem etiam ad nudam dictionem, quod ait optimam esse

esse epistolarum, quę accommodata sit ad persuadendum, & plebejum quemq; & doctum. Hic apparet enim, quo genere argumentorum nos uti velit, non exquisito videlicet, sed polito tamen. Hæ sunt superiores ἀποδείξεις ἐπιστολικαί.

XLVI. *Ultimum de gratia præceptum* idem est, cum eo, quod docuimus ex eleganti etiam charactere ad epistolam multum accedere. Ακόρητα autem sunt hoc loco sordida. Ακόρητος enim præter significationem notissimam, est impurus & sordidus. Ut apud Aristophanem Strepsiades, penè initio νεφελῶν:

ἐμοὶ γὰρ ἦν ἄγροικος ἥδιστος βίος,
εὐρωτιῶν, ἀκόρητος, εἰκῇ κείμενος,
βρύων μελίτταις, καὶ προβάτοις, καὶ στεμφύλοις.

Est παρὰ τὸ κορεῖν, verrere sive purgare. Si absint sordes, satis erit mundiciei; satis puræ erunt, si non impuræ; vel si puræ, satis elegantes.

XLVII. Quid de sententiis, & cæteris? Puto dici, non esse excludendas, quoniam subjicit, [an non de iisdem?] non esse iis abutendum.

XLVIII. Verum prius visæ fuerunt exclu-

excludi sententiæ? Non arbitror, sed τὸ γνωμολογεῖν, seu frequens illarum usurpatio.

XLIX. Proverbia verò crebra admisimus: modus hîc antefertur: hoc probat Aldus: nos quoque subscribemus huic sententiæ, nec puto aliud voluisse alterum, quòd similia exempla apud priscos non exstant: non voluit certè conflari maximam partem litterarum oportere ex proverbiis.

L. Monebo unum παρέργως: pauci hodie rectè aspergunt aliquid litteris, vel ex Homero, vel ex Euripide, vel ex aliis myrotheciis Græciæ. Putidum est hic eadem sæpè usurpare, quę alii; non satis πεπαιδευμένε, nullis prorsus uti, aut nullis aliis.

LI. Ἀποφθεγμάτων & αἰνιγμάτων fortè erit usus rarissimus, aut certè non minus rarus, quam cæterorum. Σκώμματα intellige hic salsè dicta, imò urbanos sales. Ubi ait: τὸ δ' ἄπληστον, habui rationem sententiæ, quam ego viderem. Vult enim hoc, ni fallor: ut aromata in omnibus cibis fastidium pariunt, ita illa sine modo usurpata satietatem legenti, non

 volu-

Digitized by Google

voluptatem. Igitur comparat ea iterum cum purpura, quæ togæ intexitur: non toga è purpura consuitur. Cum Regum verò purpura non scitè comparabitur epistola.

LII. Namque epistolam satis est esse puritate elegantem, non adscitis aliundè ornamentis, sed natura sua, ut est in fabella de aquila. Sic Tullius de iis, quæ Atticus scripserat: Quamquam tua illa, (legi enim libenter) horridula mihi atque incompta visa sunt; sed tamen erant ornata hoc ipso, quod ornamenta neglexerant, & ut mulieres ideò bene olere, quod nihil olebant, videbantur. Hoc autem fuisse jactatum, veluti proverbio Mostellaria Plauti videtur indicare. Quia ecastor, inquit ancilla, mulier rectè olet, ubi nihil olet.

Nam istæc veteres, quæ se unguentis unctitant, interpoles,
Vetulæ, edentulæ, quæ vitia corporis fuco occulunt,
Ubi sese sudor cum unguentis consociavit, ilico

Iti-

Itidem olent, quasi cum unà
multa jura confudit coquos:
Quid oleant nescias, nisi id unū,
ut malè olere intelligas.

LIII. Nec ab his dissimile est, quod de bellariis Varro satyra Menippea scripsit, ut refertur apud Macrobium. Bellaria ea maximè sunt mellita, quæ mellita non sunt. Sed ad Mostellariam redeo, in qua quod eodem loco dicitur: *Pulchra mulier, nuda erit, quàm purpurata, pulchrior*: id in epistolam moratam convenit. Moratæ enim mundicies facilè superabit, quidquid addi aut illini queat ornamentorum.

JO. CASELII

ΝΙΧΘΗΜΕΡΟΝ,

Siv e Carmen aureum, quo docet, quibus rebus & studiis, tam noctem quam diem occupare deceat adolescentem, qui in genuinis studiosis nomen profitetur suum.

Cœnatus modicè, fili, neq; nocte profundâ,
Cum prece, sed siccus grati pete munera somni:
Sic placidam capies animo, membrisq; quietem,
Te nec agent variis insomnia vana figuris,
Quæ vexant homines nequam vinoque gravatos.
Si sopor à mediâ forsan te nocte relinquat,
Vota fac illa eadem: noctu quoque luce frueris,
Ut lustres animo subeasque palatia cœli.
Semper item est culpa veniam cur quisq; rogemus:
Curas semper habes, & mille pericula vitæ,
E quibus emergat, sine rerum præside, nemo.
Vim quoque consilii tibi quæres nocte silente:
Sed neque perficiat summam mens nostra negotî,
Ipse Pater facili nisi firmet singula nutu.
Quod si fortè quies iterum tibi blandior instet,
Obsequitor paulùm. Se vivens inserit umbris,
Desidiâ victus, qui somno dedicat ævum.

Ergo

Ergo ſub auroram, quo Sol faſtigia cœli
Tempore latius obit, tu te celer eripe lecto.
Quid deinceps facias, hyemem perdiſcito, noris.
Ante diem verò per brumam totus inhærens
Palladiis operis, ex qua te parte juvabit.
Principio veterum cognoſce inſignia ſcita.
Inde alia ex aliis veſtigia mente ſagaci,
Pergens explorare nihil non indice Lydo.
Denique ſi quid erit, quo rerum creſcat acervus,
Vera, abſque invidia, muſeis illine Chartis.
Intereà tenebræ cedunt, pars prima diei
Effluit: haud ego te nunquam ceſſare jubebo:
Alternant labor & requies in ſedibus imis,
Sic ut legitimus ſit & huic, & terminus illi,
Quæ rectè ratio, & vita definiat uſus.
Ergo ne faciem, neq; veſtem ſordidus, exi,
Agreſti cultam ceu rure profectus in urbem.
Nec tamen ad blandas veneres, aut dulcia vina,
Dives opum, petulans quibus eſt aſſueta juventus.
I ſodes, quò diva ſuos Tritonis alumnos
Ire jubet, nec quà paſſim per compita plebes
Currit iners, oblita ſui, peregrina requirens
Sollicitè: quid agit Moſcus? quid Sarmata? quid
Thrax? (*tannus?*
Quid Panno? quid Gallus? Iberus? Belga, Bri-
Quid vafer Auſonio Venetus cum præſule tractat?
Magna ea ſunt, (fateamur enim) ſed propria Re-
Non eſt multa, ſacræ Sophia, curatio myſtis. (*gum:*
Quid faciant magni Reges, urbesque ſuperbæ,
Illa duces populosq; etenim gerere uſq; neceſſe eſt,
Quæ nos à ſtudio veri rectique retardent.

Laudem, quando sinant venti, pluviaq́, nivesq,
Quisquis per patulos campos, quà semita ducit,
Unà cum comite æquali pedes ambulat horâ,
Sive legant jam tum missas aliunde tabellas,
Sive gravi de re dicant, seu ludicra narrent.
Multiplices animi curas, tristesq; loquelas
Quò libet, à tali spatio procul ire velimus.
Inde domum lætus rediens accumbe: nec unus,
Sed gregis ejusdem vel tres vel quatuor unà,
Lautitiis oneret felix opulentia mensas,
Cum tenues miserè ducunt in sordibus ævum.
Simplicê nos medii victu mundoq; fruentes
Tristibus à morbis agimus securius annos.
Hoc age, dum prandes, quod agis, nec volve papyros
At si sacrifices Musis, seclusus in arcto.
Dic aliquid nobis, nec amici despice nugas,
Si tibi sunt ipsi fontes, sed venula cuiq; est.
Pransus abi, quò te paulò post Musa citabit,
Et sufferre tui quod tota potest animi vis,
Cœptum confice iter Sophies ad nobile templum.
Tum si fortè tui volitent ad vina sodales,
Ne sequitor, non sic fas est deperdere lucis
Præcipuum: vel jam poti rixantur ibidem,
Adque manus veniunt, vel si jam ludicra desit
Fandi materies, in amicos crimina fingunt,
Aut vertunt tenues scelera in capitalia nevos.
Jamque adeò sibi præstantes, pulchrique videntur,
Quod sit in iis hominis monstrũ, velut aspida vita.
Ut malè ne dicas etiam, pereasve veneno:
Sanctius is faciat, qui sese nosse laboret,
Unius haud generis secum permulta recordans,

Aut

Ante quis à puero fuerit, sit & hac quis in hora.
Curemus propiora: tuas prius ablue sordes,
Quàm malus innocui commonstres indice labem:
Sin, cave, ne pereas quovis censore vicissim.
Vesper adest, iterum tere plantis æquora campi,
Si libet, haud aliter multò, quàm manè solebas.
Interea vobis non magno cœna paratur.
Quando ego non tenuis calices mihi deligo vini,
Tum tu, quale juvet jam te, quantumq; videbis.
Sint procul hinc torvi vultus, procul aspera verba,
Jurgia detestata bonis, mollesque querelæ,
Nostraque multimodis rodentes pectora curæ:
Neu quis tartareos lemures, cædesque cruentas,
Aut ignes equulêi laqueosve, crucesve, vel uncos,
Aut Mormas, aut Thersitas, informia monstra
Proferat, hæc doctæ non sunt anathemata cœnæ.
In reliquis etiam ne dic obscœna, nec audi.
Non hilarant animos verè, neq; tristia demunt,
Quæ te sive alios è recto in devia flectunt.
Adde quod hoc verbo, qui sis fuerisve, recludis.
Historiis potius lectis salibusque politis
In medio locus est, epulo mensâque remotâ,
Nec minus & liquidæ voci, fidibusque canoris.
Illic ne sileas, nec non & quisq; loquatur:
Quis venit ad mensam socius, cui symbola non sit.
Nec decet in paribus fando dominarier unum.
Hic faciet, quod quis digitis & gutture novit.
Nox venit, & jam jam sequitur pellacia somni:
Ne rursus lege: fac monui quod carmine primo.

HENRICUS VAGETIUS.

QUod omnibus hominibus debet esse propositum, ut, cum à rerum suarum cauta & sollicita procuratione discesserint, in eam curam & cogitationem incumbant, quemadmodum aliorum quoque rationem habeant, eorumq́ue saluti, quoad fieri potest, consulant, id sedulò ac unicè egit vir summus in maximarum rerum scientia Joannes Caselius: & ita quidem egit, ut sint, qui affirmare non dubitent, suas eum sæpe res in minimis posuisse, de alienis vehementius laborasse. Cum autem duplici via ad alios juvandos procedi possit, vel corpori necessaria, vel animæ salutaria, prospiciendo, in neutro operam suam passus est hic noster desiderari.

derari. Fertur enim in ſummis & hoc ipſius laudibus, quod adoleſcentes bonarum quidem literarum amantes, ſed fortunæ præſidiis, ad ſuſtinendos ſtudiorum ſumptus non ſatis munitos, quoquo modo fulcire & ſublevare allaborarit, vivendi ſubſidia, undecunque licuit, comparando. Quanta verò ipſius cura verſata ſit in moribus eorum vel bonis confirmandis, vel pravis evellendis & ejiciendis, evidenter oſtendunt tot ipſius, & tam ſollicitæ ad virtutis & optimarum artium ſtudia cohortationes. Quæ tametſi non æquè magnum ad omnes fructum attulerunt (*penes conſulentem enim non eſt, ut audiatur*) optimi tamen ſenis de hoc hominum genere benè merendi ſtudium lau-

de

de dignum meritò censetur. Cum enim præclarum sit, cujuscunque ordinis & ætatis hominibus prodesse cupere, certè adolescentum saluti in omnem partem consulere hoc præclarius est, quò illorum pronior est in vitiorum & exitii præcipitium lapsus. *Quod enim munus*, [ut Tulli lib. 2. de Div. verbis id efferam] *Reip. afferre majus meliusve possumus, quam si docemus atque erudimus juventutem, his præsertim moribus atque temporibus, quibus ita prolapsa est, ut omnium opibus refrænanda atq; coërcenda sit.* Hoc igitur spectavit cùm in aliis suis lucubrationibus Νυχθημέρȣ autor, in quibus nullam omisit occasionem ineuntis ætatis inscitiam suâ regendi & constituendi prudentiâ, tum in hac sua Παραινέσει, ut à corruptis hujus seculi moribus aversos adolescentum animos ad serium virtutis & ingenii cultum traduceret, doceretque tam nocturni quam diurni temporis bonas horas ita impendere, ut otii fructum & ipsi capere, & ad societatem humanam afferre aliquando possent.

INDEX

INDEX

COMMONSTRANS

Et CUI scripta sint epistolæ & QUOTIES.

A

ADOLPHO FRIDERICO & JOANNI ALBERTO, Fratribus germanis, Ducibus Megapolitan. 157
Abrahamo à Winterfeld Equiti Marchico p. 400.
Adamo Krausen in Borgfeld Equiti Megapolitano à pag. 180. usque ad pag. 213. Epistolæ XVI.
Alberto Clampio Consiliario Duc. Br. & L. à pag. 811. usq; ad pag. 947. Epist. LXXXIX.
Ejusdem Scazontes seu preces pro remissione peccatorum p. 953.
Andreæ Cludio, Consiliario Duc. Br. & L. & Prof. Ac. Jul. à p. 765. usq; ad 772. Epistolæ II.

An-

Andreæ Mylio, Cancellario Megapolitano Socero ſuo p. 651. 671. 677. 681.
Antonio à Wittershæm, Canc. Schomburgico 468

B.

BOGISLAO XIV. DUCI Pomeraniæ pag. 112.
Nobilibus à Baſſeviz à pag. 236. uſque ad pag. 265.
Benedicto Pogviſcio 412

C.

CHRISTIANO, ejusq; Fratribus germanis JOACHIMO ERNESTO & JOANNI GEORGIO Marchionibus Brandeburg. 73
Carolo Sigonio 736
Caſparo Flotovio 356
Caſparo Peucero 732
Caſparo Rotermundio 403
Chriſtiano Diſtelmeier, Dño in Malsdorff & Radesleben à pag. 335. uſque ad pag. 355. Epiſt. 11.
Chriſtophoro Caſelio fratri, 672. 676.

Chri-

Christophoro Hencelio Götting. 642
Christophoro Seliger Götting. 675
Christophoro Wittichio 643
Conrado Heidenreich 640. 674.

D.

Danieli Caselio fratri pag. 670.
Danieli Hœschelio, Rectori Gymnasii Augustani 744
Davidi Chytræo 724
Ejusdem Epist. ad Joannem Jageman Cancell. Duc. Br. & L. 553

E.

Ernesto ab Hohnrohda à pag. 376. usq; ad pag. 398. Epist. III.
Ernesto à Steinberg 454
Ernesto Volcmaro Ecclesiastæ Willershusano 699
Ernesto Julio à Wittershæm 470
Erico à Walthausen 474

F.

FRIDERICO HULDERICO Duc. Br. & Lün. pag. 110. 128. 142.

Fri-

Friderico Bilæ 370.
Friderico Taubmanno 757

G.

Göttingensis Reipublicæ Consulibus & Senatoribus. pag. 693.

H.

HENRICO JULIO Episcopo Halberstad. Duc. Br. & Lün. p. 56. 81. 86. 90. 106. 131. 164.
Hajoni à Nessa Cancell. Megap. 484.
Henrico Ranzovio, Vicario in Holsatia 355
Henningo von der Schulenburg 440
Hieronymo Wolfio 719. & 735
Hildebrando Gieslero Ruhman Consiliario Brunsuigio-Lüneburg. à pag. 556. usque ad 639. Epist. XLI.
Nobilibus ab Hoim pag. 214. usque ad 236. Epist. V.

I.

JOACHIMO FRIDERICO Marchioni Brandeburgensi pag. 49. item 166. 171.

171. 176. quaternæ epiſtolæ à Petro Victorio ad illum ſcriptæ.
Joachimo Götzen ab Olenhuſen Conſiliario Duc. Br.& L. 435. 449. 451.
Jacobo Schenck in Flechtingen, pag. 441 & 444.
Joanni Jageman Cancellario Br. & L. ejusque filiis, à pag. 489. uſque ad p. 552. Epiſt. XVI.
Joanni Carolo Caſelio filio, 684. 685. 691.
Joanni Ulrico Caſelio filio 681. 689.
Joanni Neiwald, JCto 690
Joanni Clampio Conſuli Reipubl. Bremenſis 948
Joanni Peparino Conſiliario Brunſuigico-Lüneburgico, à pag. 799. uſque ad pag. 810. Epiſt. V.
Joanni Stigelio 723
Joachimo Mylio, viro Nobili in Gödenbenda, affini ſuo, 708
JOSEPHO SCALIGERO 762
Ejusdem epiſtola ad Caſelium 1064
Iſaaco Caſaubono 758. 761.
Julio à Grœbin 572
Juſto Lipſio 734

L.

Laurentio Rhodomano 746

Laurentio Scheurlæo Theologo in Academia Julia à pag. 772. usque ad pag. 799. Epist. II.
Lævino à Bülor Eq. & Ducis Borussorum Cancellario

M.

Marco Antonio Mureto 728
Matthiæ Caselio Patri suo 664. 672
Matthiæ Overbecio Belgæ; 957. usque ad 976. Epist. II.

N.

Nicolao Casio Regni Danici Cancellario pag. 360

P.

PHILIPPO DUCI Pomeraniæ 135
Paulo Manutio 729
Petro Victorio Nobili Florentino 266 usque ad 286. Epist. V.
Ejusdem Epistolæ ad Caselium p. 286. usque ad 328. Epistolæ XIV.

R.

Ræmaro à Leisten Equiti Megap. 398

Rænero Ræneccio, Historico 739
Rabano Christiani Gottingensi 716
Rudolpho Diepholdio p. 977. usque ad 1075. Epist. LXXXIII.

S.

Svantoni Bielke Baroni 329
Samueli Caselio fratri 645

T.

THOMÆ ZAMOSCIO de Zamoscie Magni Zamoscii filio 94. & 103.
Ejusdem Tutoribus, Principibus Illustrissimis 91
Theodoro Farensbach 45
Theodoro à Senden 442
Tilemanno Stellæ Mathemat. 426
Tobiæ Paurmeister à Kochstet, Cancel. Duc. Br. & L. 759

V.

Victorino Strigelio pag. 725

W.

WOLFGANGO ERNESTO Comiti Stolbergæ 65

Digitized by Google

INDEX RERUM & SENTENTIARUM MEMORABILIUM.

A

Academiarcha pag.780. & seqq.
Academia Julia 422
Acer animus 522
Adulatores blandi parricidæ Principis & Reipublicæ 60. 61
Æschylus 285.528.576
Alexander Macedo 153
Amicitiæ cum doctis suavitas 484. 739
Amicitia veteri nihil carius aut pretiosius apud mortales 253
Amicitiæ commilitonum natura 473
Amicis integris aut inimicis acribus opus esse illi, cui bene futurum sit, aut qui servari debeat, ait Diog. 61. 62
Amicus amicorum liberis 471
Aristoteles, signifer totius sapientiæ, ut &

& Democritus, Plato & Plutarchus. 293. 294.
Ariſtophanes Atticè ſcripſit præ omnibus & quotidie tritus à Joanne Chryſoſtomo 466
Ars educandi pueritiam ad virtutem & literas ut rara & difficilis, ita primaria 373
Ejusdem dignitas tanto major, quanto cæteris & animantibus & rebus longius homo anteit ibid.
Audire eſt obſequi cum ratione & benevolentia monenti; idque ipſum eſt Deo parere 111
Aulæ Magiſter ſive Præfectus qualis. 469
Autores ſive ſcriptores optimi quiq; legendi, & quomodo 380. 381. 463. 464.

B.

Bacchylides 168
Barbaries & inſcitia quod oppugnatur, id ſaluti eſt Eccleſię & Reipubl. 258

C.

G. Calixtus 974
Callimachi inſignes verſus 698

Cassius Parmensis 355. 359
J. Casæ carmina optimæ notæ 474. & seq
J. Casaubonus 479. 549. 1068
Chronologia 545
Dio Chrysostomus 466
Cicero Demosthenis in orando æmulus & Latinitatis Pater 462
Epistolæ ejusdem quando legendæ 464
Cornelius Martini 191
Crato summus Medicus 299. 353

D.

Demetrius Seleuci f. 153
Divitias virtus non ambit 406
Divitiæ & opes vacuæ á virtute nihil juvant, nullumque in se verum emolumentum habent 168
Divitiarum possessio & insignia honoris etiam sæpè penes nefarios 738
Doctor in sua quisque disciplina debet esse vir præstans, h.e. non solùm scientiâ abundè & præ pluribus instructus, sed etiam in docendo *disertus & perspicuus, nec leviter ante versatus* 69
Doconti ubi merces tribuitur, unde solus in diem vix vivat, quis eum locum am-

ambiat, nisi qui eruditionis nihili & nullius eruditionis sit? ibid.
Doctorum præstantium magna penuria ibid.
Doctoris munus non sit beneficium. 71
Doctor bonus non temerè dimittendus, sed retinendus 106.107
Doctor Principis qualis 498. & seqq.
Doctoribus litterarum præcipuè prospiciendum 70. iisque honestæ mercedes destinandæ 69

E.

Ex educatione cætera omnia, è quibus sibi felicitatem mortales pollicentur 517
Eloquentiâ & facultate dicendi anteire debent Principes, quemadmodum vestimentorum elegantiâ & cætero omni ornatu corporis vincunt privatos homines 173
Eloquentiæ studium non negligendum Nobili aut gesturo partem Reip. 406
Eloquentia á rebus inanis præter loquacitatem nihil habet 452
Errare eos, qui literis carent, in omnibus, perpetuum est 455

Error quotidie contingit etiam bonis, 62
Eteocles Æſchus ut ſuæ civitatis ſaluti conſuleret, perire etiam ipſe maluit, 370.
Exteri non præferendi civibus: non enim illi ſoli omnia intelligunt 565

F.

Felicitas humana potiſſimum emergit è Latinis Græcisq; literis 115
Finis verus ſalus publica 460
V. Forſterus 621.622.652

H

Geographia informatrix vitæ, altera magiſtra ſapientiæ 386
Geſtus decori & graves in tempore addiſcendi 649
Göttingenſibus ſingulari ſemper curæ fuit educatio pueritiæ ad pietatem & virtutem in bonis literis 694
Eorundem ſcholæ primùm orientis Rector Matthias Caſelius bid.
Græcis literis, ut propriis arculis, theſa sapientiæ ſervantur 333

Græcas

Græcas literas ignorare facile est, non desiderare familiare omnibus, qui sola specie doctrinæ contenti 611
Græcus sermo Musis carus 692
Græcè qui didicit, studia sapientię felicius colet, ibid. Quibus secus videtur, errant ibid.
Simon Grynæus 853

H.

N. Hansmannus in suggestu apoplexiá exstinctus 556
Hercules servator dictus 528
Herodotus 548
Historia neque vetus neque recens negligenda: ejusque studium traducendum in Philosophiam 539
Historia Germaniæ 744
Homerus legendus 142. 219. 292. 384. 498. 692. videatur Epist. tertia libri tertii.
Ex humilibus excitat Deus pręstantes, & permittit, ut non rarò equester progeneret peditem 158

I.

Inscriptiones sint rotundæ, & venustatis ali-

aliquid habeant 593
Integritas 114
Isidori Pelusiotæ aurea sententia 105
Italiæ laus 387

L.

Labori doctorũ merces respondeat, 70.
Labor veræ laudis pater 221
Legum cognitio 406
Libri vivacitas 710

M.

Mathesis 692. 726. 727.
Matrimonii laus 324
Megapolitanorum Ducum familia 159
Meibomius diligens patriæ historiæ indagator 636
Modestia ad virtutem sinceram & pietatem non simulatum vestibulum, 706. 354. 595.
Modestiæ & humanitatis primi cultores Philosophi 771
Ad mores & animum quæ faciant, vid. Epist. 9. Libr. VII.
Mors subita & improvisa nonnullorum, 553. & seq.

Musa-

Musarum hortus 379
Musica 396. 469

O.

Obedientia felicitatis mater, uxor Servatoris, docente Aschylo 528
ὀξύχολον coërcendum 647

P.

Adversus *Patriam* consilia capere vel aliquid conari vel agere, non longè abest à parricidio 836
Pantheon 349
Παῤῥησία 114
Peregrinatio à Politico suscipienda, non quemadmodum multi, sed quo consilio id fecit Solon, quo Romani Græciam inviserunt 658. 387. 388. 454. 455.
Philosophia vera est vitam & mores expolire, & non tam studium ponere in investigatione abditarum obscurarumq; rerum, quum in virtute ipsa ornanda ipsiusque honestis factis merito celebrandis 290. 291.

Eandem qui docent, vehementer prosunt humano generi, ac sunt veri duces beatæ vitæ autoresq; sapientię, ib.
Phœnix 321
Plato 192. 227. 249. 294. 397.
Plautus 466
Plutarchus 227. 295
Pictoria, Poësis & Musica sunt artes maximè liberales ac regiæ 396
Poësis 216. 219. 396. 466 475.
Πολυπραγμοσύνη 683
Poma decidunt proximè arborem 157
Primates sunt & oculi & manus Regũ, 341
Principis est odisse sycophantas,& quàm minimè ferre adulatores 60
Principis juventutis idea seu imago vid. Libr. I. ep. II.
Προκαθεδρία 769. 770. 771.
Prudentia 144. 531
Pudoris πρέπον 648
Pythagoras rectè jubebat negocia patriæ aggredi, οὐκ ἐκ ἀναιδείας, ἀλλ' παιδείας 260.

Q.

Quęstus optimus de aliis benemereri 910.

Regium

R.

Regium est semper rectè & bene facere, 65.
Regium est aberranti etiam longius ignoscere. 114
Religio vera & sanctitas nunquam sitit sanguinem, sed hoc opus est Atę & Erynnium 119
Rex imaginem Dei refert potentiâ, sapientiâ, beneficentia, 130

S.

Sallustio nihil exquisitius, isq; Thucydiden sapit. 466
Sapientiæ decretum in nemine radices agit, nisi idem in dies singulos eadem & dicat & in usum vitæ transferat 181
Sententiæ veterum, quæ porrò quotidie magno usui sint adultioribus, discendæ à pueris 260
Scaliger, pater & filius 477
Scholæ bonæ idea 697
Stheneli vox gloriosa honestè usurpari potest:
Ἡμεῖς τοι πατέρων μέγ' ἀμείνονες εὐχόμεθ' εἶναι.

Nos

Nos patribus longè meliores esse precamur 376

T.

Ταπεινοφροσύνη inprimis convenit ordini sacerdotali 707
Temperantia ad proximum parietem pietatis domum habet 534
Terentius 464
Theologia multis indiget adminiculis & assiduo studio 706
Theologos quanta bonæ atque multiplicis doctrinæ instructos esse oporteat, 781.
Theologi seu antistites sacrorum in oculis ferendi 783
Thucydides 478
Thuanus 547
Tranquillè vivimus, sapientiâ & virtute si contenti sumus: neque agit vitam miserè, qui utrique semper studet seriò 738
Turnebius 415
Tutelæ munus 449

V.

Valetudo non facilè laboribus, facillimè de-

deliciarum & voluptatum studio labefactatur & diffluit 104
Varro 285
P. Victorii laudes, vid. Epist. 1. Libr. 1.
Ejus libellus de cultura olearum p. 309
In Virtute salutem ponebat Diogenes. 61.
Virtus, studium, sapientia maximoperè cohonestant possessorem 105
Vitæ privatæ laus 168

X

Xenophon suavis est & instillat de omnibus quæ tractat sive etiam attingit, præcepta sapientiæ 127
Xenophontis opus velut Atticæ apis favus, commendatur Principi 62
Xenophontea simplicitas inimitabilis 63

Z

Zamoscius 433. 436
Zasius 713
Zebresidovius, Palatinus Cracoviensis, 438. 756.

Digitized by Google

INDEX EPISTOLARUM
secundùm caussarum genera.

Comendatitiæ: Libr. I. Epist. 5. 7. 16. 22.
IV. 4.
V. 1. 3.
VIII. 5. 6. 9. 10. 11 16. 17. 18. 22. 23
XIV. 80.

Consolatoriæ: Libr. III. Epist. 4.
IV. 3.
V. 6. P. Victorii.
VII. *D*avidis Chytræi sub fi-
VIII. 7 8. 15. 40. (nem libri.
IX. 14.
X. 2.
XI. 1.
XVI. p. 1064. *S*caligeri.

Consultatoriæ: Libr. II. Epist. 12.
IX. 5. 13.
XIV. 13

Dedicatoriæ: Libr. I. *E*p. 3. 4. 8. 9. 12. 14. 17.
IV. 4. 5.
V. 14. P. Victorii.
VI. 6. 14 17. 28.
VII. 2. 6.
IX. 25 26.
XIV. 90.

Hortato-

Digitized by Google

Hortatoriæ: Libr. I. Epist. 1. sub fin. 10. 12. 14. 15. 17. 20. 21.
III. 1. 4. 5.
IV. 1. 2.
VI. 5. 9. 11. 12. 15. 16. 17. 19. 20. 21. 25.
VII. 9. 10. 11.
IX. 2. 4. 9. 17. 18. 19. 20. 22.
XIII. 4.
Petitoriæ: Lib. III. Epist 3. 5.
IV. 4. P. Victorii.
VI. 22. 30.
VII. 6. 8.
VIII. 12.
IX. 3.
X. 14.
Invitans ad cœnam II. 3.
ad nuptias IX. 21. XIV. 27.
ad spectandam solemnitatem libr. ejusdem Epist. 69.
Narratoriæ: Libr. IV. Epist. 1. 3.
V. 5.
VI. 23.
IX. 12.
Gratias agentes: Libr. I. Epist. 1.
V. 1. 2. 4. P. Victorii.
VI. 2. 4.
X. 2. 3.
Gratulatoriæ: Libr. II. Epist. 5. 6.
V. 6. 12. P. Victorii.
VI. 3. 21. 27.

VII.

Digitized by Google

	VII. 10. 15.
	IX. 24.
	XII. 2.
	XIV. 17.
Querulæ:	Libr. V. Epist. 8. P. Vict.
	VII. 1.
	VIII. 12. 16. 18. 26. 29. 30.
	IX. 11.
	XVI. 66.
Objurgatoria:	Lib. IX. Epist. 10.

Mixtæ quamplurimæ.

ASTerisci seu signa hæc ** .:. indicant quę obliterata, in archetypis legi non poterunt, aut quæ privata & amico tantum scripta eliminari non debuerunt.

Errata hæc inter alia irrepserunt, sic emendanda: pag. 55. lin. 22. dele *in*. pag. 126. lin. 15. lege ἀνέγνως. pag. 165. lin. 9. lege *dubitabamus*. pag. 495. lin. 4 lege *vagiq;*. pag. 529. lin. 2 lege *servaret*. pag. 691. lin. 16. lege *filio*. pag. 729. lin. 19. pro Jenam lege *Romam*. pag. 781. lin. 15. lege multiplicis *doctrina*. pag. 977. lin. 8. lege *Doctorem*.

Cæteris erratis leviculis operarumq; lapsibus vel in numeris paginarum & Epistolarum vel in aliis da veniam & ipse emendare ne gravare.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google